


INSTITUTIONES

THEOLOGICÆ

AD USUM SEMINARIORUM

EDITIO DECIMA QUINTA

JUXTA DOCTRINAM S. THOMÆ, S. ALPH. DE LIGORIO
AC LITTERAS APOSTOLICAS B. P. N. LEONIS PP. XIII

EXARATA AUT RECOGNITA

APPROBANTIBUS

Ill. ac Rev. DD. AUGUSTINO FORCADE, Archiepiscopo Aquensi.
Ill. ac Rev. DD. ERNESTO BOURRET, Episcopo Ruthenensi.

AUCTORE A. BONAL
SOCIETATIS S. SULPITII PRESBYTERO

TOMUS QUARTUS

DE POENITENTIA, DE INDULGENTIIS ET SUFFRAGIIS, DE PURGATORIO,
DE EXTREMA UNCTIONE, DE ORDINE, DE MATRIMONIO

APUD DOULADOURE-PRIVAT
EDITORES
TOLOSÆ
39, via Saint-Rome, 39

APUD DELHOMME & BRIGUET
PARISIIS
13, via de l'Abbaye, 13
LUGDUNI
3, via de l'Archevêché, 3

1884

INSTITUTIONES

THEOLOGICÆ

AD USUM SEMINARIORUM

INSTITUTIONES
THEOLOGICÆ

AD USUM SEMINARIORUM

EDITIO DECIMA QUINTA

JUXTA DOCTRINAM S. THOMÆ ET S. ALPH. DE LIGORIO, AC LITTERAS APOSTOLICAS
SS. LEONIS XIII EXARATA AUT RECOGNITA

APPROBANTIBUS

Ill. ac. Rev. DD. AUGUSTINO FORCADE, Archiepiscopo Aquensi,
Ill. ac. Rev. DD. ERNESTO BOURRET, Episcopo Ruthenensi.

AUCTORE A. BONAL
SOCIETATIS S. SULPITII PRESBYTERO

TOMUS QUARTUS

DE PŒNITENTIA, DE INDULGENTIIS ET SUFFRAGIIS, DE PURGATORIO,
DE EXTREMA UNCTIONE, DE ORDINE, DE MATRIMONIO

TOLOSÆ
APUD DOULADOURE-PRIVAT, EDITORES BIBLIOPOLAS
VIA SAINT-ROME, 39

1884



VIRGINI

IMMACULATÆ

TRACTATUS

DE PŒNITENTIÆ SACRAMENTO

CONC. TRID. DECLARATIONES ET CANONES

DE PŒNITENTIÆ SACRAMENTO, *Sess. XIV.*

CAP. 1. ***De necessitate et institutione Sacramenti Pœnitentiæ.***

1. — Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut justitiam in Baptismo ipsius beneficio et gratia susceptam, constanter tuerentur, non fuisset opus aliud ab ipso Baptismo Sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. Quoniam autem Deus, dives in misericordia, cognovit figmentum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem, et dæmonis potestatem tradidissent Sacramentum videlicet Pœnitentiæ; quo lapsis post Baptismum, beneficium mortis Christi applicatur.

Fuit quidem Pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et justitiam assequendam necessaria, illis etiam qui Baptismi Sacramento ablui petivissent, ut perversitate abjecta et emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio et pio animi dolore detestarentur. Unde Propheta ait : « Convertimini et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris : et non erit vobis in ruinam iniquitas. » Dominus etiam dixit : « Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. » Et princeps Apostolorum Petrus peccatoribus Baptismo initiandis pœnitentiam commendans, dicebat : « Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum. »

Porro nec ante adventum Christi Pœnitentia erat Sacramentum, nec est post adventum illius cuiquam ante Baptis-

mum. Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum a mortuis excitatus, insufflavit in Discipulos suos, dicens : « Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt. » Quo tam insigni facto et verbis tam perspicuis, potestatem remittendi et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit; et Novatianos, remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia Catholica, tanquam hæreticos explosit atque condemnavit. Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum sancta hæc Synodus probans et recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem prædicandi verbum Dei et Christi Evangelium annuntiandi, contra hujusmodi Sacramenti institutionem falso detorquent.

CAP. 2. *De differentia Sacramenti Pœnitentiæ et Baptismi.*

2. — Cæterum hoc Sacramentum multis rationibus a Baptismo differre dignoscitur; nam præterquam quod materia et forma, quibus Sacramenti essentia perficitur, longissime dissidet; constat certe, Baptismi ministrum judicem esse non oportere; cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus. « Quid enim mihi, inquit Apostolus, de iis qui foris sunt, judicare? » Secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus lavacro Baptismi sui corporis membra semel effecit; nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito Baptismo ablui, cum id in Ecclesia Catholica nulla ratione liceat, sed ante hoc tribunal tanquam reos sisti voluit; ut per Sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari.

Alius est præterea Baptismi, et alius Pœnitentiæ fructus : per Baptismum enim Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam et integram peccatorum omnium remissionem consequentes : ad quam tamen novitatem et integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ, sine magnis nostris fletibus et laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus : ut merito Pœnitentia laboriosus quidam baptismus a Sanctis Patribus dictus fuerit. Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum

ad salutem *necessarium*, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.

CAP. 3 *De partibus et fructu hujus Sacramenti.*

3. — Docet præterea Sancta Synodus Sacramenti Pœnitentiæ *formam*, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse : *Ego te absolvo*, etc.; quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur : ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ.

Sunt autem *quasi materia* hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confessio et Satisfactio. Qui, quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.

Sane vero res et effectus hujus Sacramentio, quantum ad ejus vim et efficaciam pertinet, reconciliati est cum Deo, quam interdum in viris piis et cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, conscientiæ pax ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet. Hæc de partibus et effectu hujus Sacramenti Sancta Synodus tradens, simul eorum sententias damnat, qui Pœnitentiæ partes, incussos conscientiæ terrores et fidem esse contendunt.

CAP. 4. *De Contritione.*

4. — Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, *animi dolor ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.* Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus necessarius ; et in homine post Baptismum lapso, ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ et voto præstandi reliqua conjunctus sit, quæ ad rite suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur.

Declarat igitur Sancta Synodus, hanc Contritionem non solum cessationem a peccato, et vitæ novæ propositum et inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud : « Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum. » Et certe, qui illos Sanctorum clamores consideraverit : « Tibi soli peccavi, et malum coram te feci : Laboravi in gemitu meo; lavabo per singulas noctes lectum meum : Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ; » et alios hujus

generis; facile intelliget eos ex vehementi quodam ante actæ vitæ odio, et ingenti peccatorum detestatione manasse.

Docet præterea, etsi Contritionem hanc aliquando charitate *perfectam* esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi Contritioni, sine Sacramenti voto quod in illa includitur, non esse adscribendam. Illam vero Contritionem *imperfectam*, quæ *Attritio* dicitur, quoniam vel ex turpidinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat, non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, et Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit. Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, et misericordiam a Domino impetrarunt. Quamobrem falso quidam calumniantur catholicos Scriptores, quasi tradiderint Sacramentum pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod nunquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit; sed et falso docent Contritionem esse extortam et coactam, non liberam et voluntariam.

CAP. 5. *De Confessione.*

5. — **Ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicata universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum Confessionem, et omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere: quam Dominus noster Jesus Christus, e terris ascensurus ad cœlos, Sacerdotes suiipsius vicarios reliquit, tanquam præsides et judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint: quo pro potestate clavium, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim, Sacerdotes judicium hoc, incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, et non potius in specie, ac sigillatim, sua ipsi peccata declarassent.**

Ex his colligitur, oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem, conscien-

tiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint, et tantum adversus duo ultima Decalogi præcepta commissa, quæ nonnunquam animum gravius sauciant, et periculosiora sunt iis, quæ in manifesto admittuntur : nam venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, et in quæ frequentius labimur, quamquam recte et utiliter citraque omnem præsumptionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat; taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. Verum cum universa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios, et Dei inimicos reddant; necessum est, omnium etiam veniam, cum aperta et verecunda Confessione, a Deo quærere. Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Christi fideles confiteri student, procul dubio omnia divinæ misericordiæ ignoscenda exponunt; qui vero secus faciunt, et scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt; si enim erubescat ægrotus vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat.

Colligitur præterea, etiam eas circumstantias in Confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant : quod sine illis peccata ipsa neque a pœnitentibus integre exponantur, nec judicibus innotescant, et fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, et pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere. Unde alienum a ratione est, docere circumstantias has ab hominibus otiosis excogitatas fuisse; aut unam tantum circumstantiam confitendam esse, nempe peccasse in fratrem. Sed et impium est, Confessionem quæ hac ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere aut carnificinam illam conscientiarum appellare : constat enim, nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi, quam ut, postquam quisque diligentius se excusserit, et conscientiæ suæ sinus omnes et latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum et Deum suum mortaliter offendisse meminerit; reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem Confessione inclusa esse intelliguntur : pro quibus fideliter cum Propheta dicimus : « Ab occultis meis munda me, Domine. » Ipsa vero hujusmodi Confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis et consolationibus levaretur, quæ omnibus digne ad hoc Sacramentum accedentibus, per absolutionem certissime conferuntur.

Cæterum, quoad modum confitendi secreto apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum et sui humiliationem, tum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publice confiteri possit; non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consulte humama aliqua lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta, publica essent Confessione aperienda.

Unde cum a sanctissimis et antiquissimis Patribus, magno unanimique consensu secreta Confessio sacramentalis, qua ab initio Ecclesia sancta usa est, et modo etiam utitur, fuerit semper commendata; manifeste refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam, et inventum humanum esse, atque a Patribus in Concilio Lateranensi congregatis initium habuisse, docere non verentur. Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium et institutum esse intellexerat; sed ut præceptum Confessionis, saltem semel in anno, ab omnibus et singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur; unde jam in universa Ecclesia cum ingenti animarum fidelium fructu observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo et maxime acceptabili tempore Quadragesimæ : quem morem hæc sancta Synodus maxime probat et amplectitur, tanquam pium et merito retinendum.

Cap. 6. *De Ministro hujus Sacramenti et Absolutione.*

6. — Circa ministrum autem hujus Sacramenti, declarat Sancta Synodus, falsas esse et a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines præter Episcopos et Sacerdotes, clavium ministerium perniciose extendunt; putantes verba illa Domini : « Quæcunque alligaveritis super terram, erunt alligata et in cœlo : et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo, et : Quorum remiseritis, peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueritis, retenta sunt : » ad omnes Christi fideles indifferenter et promiscue, contra institutionem hujus sacramenti, ita fuisse dicta, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata publica quidem per correptionem, si correptus acquieverit; secreta vero per spontaneam confessionem, cuicunque factam.

Docet quoque. etiam Sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus Sancti in ordinatione collatam,

tanquam Christi ministros, functionem remittendi peccata, exercere; eosque prave sentire, qui in malis Sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt.

Quamvis autem absolutio Sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso, velut a judice sententia pronuntiatur; atque ideo non debet pœnitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiam si nulla illi adsit contritio, aut Sacerdoti animus serio agendi et vere absolvendi desit, putet tamen se, propter suam solam fidem, vere et coram Deo esse absolutum; nec enim fides sine pœnitentia remissionem ullam peccatorum præstaret : nec is esset, nisi salutis suæ negligentissimus, qui Sacerdotem joco se absolventem cognosceret, et non alium, serio agentem, sedulo requireret.

Cap. 7. *De Casuum reservatione.*

7. — Quoniam igitur natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur; persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem. Magnopere vero ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis duntaxat Sacerdotibus absolverentur; unde merito Pontifices maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universali tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculari judicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia, quæ a Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique diœcesi in ædificationem tamen, non in destructionem, liceat, pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem, consonum est divinæ auctoritati, non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere.

Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis : atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris

absolvere possunt : extra quem articulum Sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores et legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant.

CAP. 8. *De Satisfactionis necessitate et fructu.*

8. — Demum quoad Satisfactionem, quæ ex omnibus Pœnitentiæ partibus, quemadmodum a Patribus nostris Christiano populo fuit perpetuo tempore commendata ; ita una maxime nostra ætate, summo pietatis prætextu impugnatur ab iis, qui speciem pietatis habent, virtutem autem ejus abnegarunt : Sancta Synodus declarat, falsum omnino esse, et a verbo Dei alienum culpam a Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur. Perspicua enim et illustria in sacris Litteris exempla reperiuntur, quibus, præter divinam traditionem, hic error quam manifestissime revincitur. Sane et divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero, qui semel a peccati et dæmonis servitute liberati, et accepto Spiritus Sancti dono, scienter templum Dei violare, et Spiritum Sanctum contristare non formidaverint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii et contumeliosi Spiritui Sancto. in graviora labamus, thesaurizantes nobis iram in die iræ.

Procul dubio enim magnopere a peccato revocant, et quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque et vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt : medentur quoque peccatorum reliquiis, et vitiosos habitus, male vivendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque vero securior ulla via in Ecclesia Dei unquam existimata fuit ad amovendam imminentem a Domino pœnam , quam ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc, quod, dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur, et conglorificabimur.

Neque vero ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum : nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante

qui nos confortat, omnia possumus : ita non habet homo unde glorietur : sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre.

Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere: ne, si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.

Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, et infirmitatis medicamentum; sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem ; nam claves Sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed et ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres et credunt et docent; nec propterea existimarunt, Sacramentum Pœnitentiæ esse forum iræ vel pœnarum; sicut nemo unquam Catholicus sensit, ex hujusmodi nostri satisfactionibus vim meriti, et satisfactionis Domini nostri Jesu Christi vel obscurari, vel ex aliqua parte imminui : quod dum Novatores intelligere nolunt, ita optimam pœnitentiam novam vitam esse docent, ut omnem satisfactionis vim et usum tollant.

CAP. 9. *De operibus Satisfactionis.*

9. — **Docet præterea, tantum esse divinæ munificentiæ largitatem,** ut non solum pœnis, sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis a Deo inflictis et a nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus.

CANONES

10. — Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere et proprie Sacramentum, pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis a Christo Domino nostro institutum ; A. S.

11. — **Si quis, Sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo sacra-**

menta distincta non sint, atque ideo Pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari : A. S.

12. — Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris : « Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; et quorum retinuerititis, retenta sunt, » non esse intelligenda de potestate remittendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem, contra institutionem hujus sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium : A. S.

13. — Si quis negaverit, ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet, Contritionem, Confessionem, et Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur; aut dixerit, duas tantum esse Pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos censcientiæ, agnito peccato, et fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata : A. S.

14. — Si quis dixerit, eam Contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, et æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum et utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem; demum illam esse dolorem coactum, et non liberum ac voluntarium : A. S.

15. — Si quis negaverit, Confessionem sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino, aut dixerit, modum secrete confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum : A. S.

16. — Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino, confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, et quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, et circumstantias, quæ peccati speciem mutant; sed eam Confessionem tantum esse utilem ad erudiendum et consolandum pœniten-

tem, et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum; aut demum, non licere confiteri peccata venialia : A. S.

17. — Si quis dixerit, Confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, et traditionem humanam, a piis abolendam; aut ad eam non teneri omnes et singulos utriusque sexùs Christi fideles, juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno, et ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimæ : A. S.

18. — Si quis dixerit, Absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum : aut Sacerdos non serio, sed joco absolvat; aut dixerit, non requiri Confessionem pœnitentis, ut Sacerdos eum absolvere possit : A. S.

19. — Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere; aut non solos Sacerdotes esse ministros Absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum : « Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo; » et : « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt : » quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem duntaxat, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem : A. S.

20. — Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat : A. S.

21. — Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam, quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse : A. S.

22. — Si quis dixerit, pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo

inflictis, et patienter toleratis, vel a Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam : A. S.

23. — Si quis dixerit, satisfactiones, quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, et verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes : A. S.

24. — Si quis dixerit, claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, et propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium, et contra institutionem Christi, et fictionem esse, quod virtute clavium, sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exsolvenda remaneat : A. S.

OBJECTUM, UTILITAS, ET DIVISIO TRACTATUS

25. — Ex triplici Tractatu præcedenti, constat vitam supernaturalem in hominem lapsum iterum infundi ad modum *regenerationis*, *confirmationis* et *enutritionis* per sacramenta Baptismi, Confirmationis et Eucharistiæ.

Nunc vero inquirendum est, an, posito quod homo sic regeneratus, roboratus et enutritus, nihilominus iterum per peccatum ab ordine supernaturali deficiat, divinamque vitam amittat, supersit aliquod Sacramentum, quo iterum atque iterum spiritualiter *resurgere, sanari* et *reconciliari* valeat, et quænam sint hujusmodi Sacramenti et reconciliationis conditiones : in hoc porro contrahitur hujusce Tractatus de Sacramento Pœnitentiæ objectum.

Ejusdem Tractatus excellentiam et utilitatem metiri possumus, tum ex frequenti hominum lapsu, ob nimiam fragilitatem et imbecillitatem omnibus in natam, tum excellentia et necessitate resurrectionis spiritualis et cum Deo reconciliationis. Et revera, in statu præsenti, relationes fere omnes inter Deum et hominem vel ad illam spiritualem resurrectionem per Sacramentum Pœnitentiæ perficiendam præparant et concurrunt, vel ex eadem consequuntur. Unde

præsens Tractatus cæterarum Theologiæ dogmaticæ et præsertim moralis partium difficultates continet, resumit ac explanat. Nunquam igitur tyrones, Magistri et Parochi in hujusce Sacramenti cognitione et explicatione adeo diligentes futuri sunt, ut satis videri possit. Catech. Rom., *de Pœnit.*, n. 1.

Cæterum in hoc maxime Tractatu apparet conclusionum moralium diversitas inter Theologos; dum alii in nimiam forte severitatem, alii vero in nimiam forte benignitatem propendere videntur. Nos vero inter extrema incedere omni, quo par est, studio conabimur, in hac materia peritissimorum vestigia diligenter sectando, nec illius principii S. Antonini immemores : « Melius est Domino reddere rationem de nimia misericordia, quam de nimia severitate. »

Sex erunt capita, scilicet, de Sacramenti Pœnitentiæ 1° notione, existentia et necessitate; 2° materia; 3° forma; 4° effectibus; 5° subjecto et susjecti dispositionibus; 6° ministro [1].

CAPUT PRIMUM

DE NOTIONE, EXISTENTIA, ET NECESSITATE PŒNITENTIÆ

26. — In nova lege, virtus et Sacramentum Pœnitentiæ adeo sunt conjuncta, ut nec Sacramentum consistere valeat sine virtute, nec virtus sine Sacramento prodesse; sub utraque igitur ratione de Pœnitentia in hoc primo capite disserendum est.

In triplici articulo dicemus 1° de notione Pœnitentiæ in genere, 2° de notione et necessitate virtutis Pœnitentiæ, 3° de notione, existentia et necessitate Sacramenti Pœnitentiæ.

1. Circa Tractatum *de Pœnitentia* consuli possunt Catechismus Rom. 2 p. *de Sacram. Pœnit.* — S. Th. 3 p., q. 84, et seq.; — Suarez, *de Pœnitentia;* — S. Ligorius, lib. 6, et *Praxis Confessarii;* — S. Carolus Borr., *Monita ad Confessores*, etc.; — Du Jardin, *de Officio Sacerdotis qua judicis et medici;* — Scavini, *de Pœnitentia;* — opera, quibus tituli : *La Science du Confesseur; Méthode de Besançon; Le Miroir du Clergé;* — *Le Prêtre juge et Médecin au tribunal de la Pénitence.*

ARTICULUS PRIMUS

De notione Pœnitentiæ in genere.

27. — *Quæritur* quid sit *Pœnitentia* in genere?

Resp. Nomen *pœnitentiæ* seu punientiæ oritur a pœna, atque adeo pœnitere idem est ac pœnam tenere.

Itaque 1. generatim Pœnitentia significat quamdam commotionem et perturbati animi affectionem seu tristitiam de re præterita, sive bona, sive mala, quam quis non factam vel non omissam fuisse vellet. Dolor enim de facto commisso vel omisso est prima ac præcipua pœna seu pœnitentia de illa commissione, aut omissione.

In hoc sensu, sed metaphorice, dicitur *Deum pœnituisse* quod hominem fecisset, et quod Saülem regem constituisset; Gen. 6, ℣ 6; I Reg. 15, ℣ 35. Scilicet, hæc pœnitentia intelligi debet non ratione *affectus* seu tristitiæ et mutationis in ipsa voluntate, sed ratione *effectus*, quos Deus ita operatur, ac si ipsum vere pœniteret. Delevit enim opus suum : hoc autem solent facere ii, quos facti pœnitet.

2. In sensu minus generali et theologico more, Pœnitentia solum dicitur *dolor de peccato commisso*. Pœna enim respondet culpæ; et ideo pœnitentia proprie dicta est ab illa pœna, quæ propter culpam et quidem voluntarie sumitur, alioquin jam non esset pœnitentia, sed pura vindicta. Unde

3. Voce *pœnitentiæ* significatur specialis virtus, qua inclinamur ad dolendum et detestandum peccatum commissum, quatenus est offensa Dei.

4. Tandem præfato nomine sæpe sæpius et præsertim in hoc Tractatu designatur Sacramentum, quo gratia peccati post Baptismum commissi remissiva confertur. Dolor enim de peccato commisso est pars illius Sacramenti : porro, sicut a parte totum denominatur, ita et illud Sacramentum ab una ex suis partibus constitutivis appellatum est.

28. — Pœnitentiæ autem virtus, et præsertim Sacramentum, dicitur *secunda post naufragium tabula*, n. 11. Ut enim, confracta navi, unum vitæ servandæ perfugium reliquum est, si forte tabulam aliquam de naufragio liceat ar-

ripere; ita, post amissam Baptismi gratiam, nisi quis ad pœnitentiæ tabulam confugiat, sine dubio de ejus salute desperandum est. S. Th. 3 p. q. 84, a. 6.

Dicitur etiam *baptismus laboriosus*, quia non purgat animam a sordibus peccati, nec obtinet plenam et integram peccatorum omnium remissionem, sine intimo animi dolore et magnis nostris fletibus et laboribus, divina id exigente justitia.

ARTICULUS II

De notione et necessitate Virtutis Pœnitentiæ.

I. — *De notione Virtutis Pœnitentiæ.*

29. — *Quæritur* quid sit *Pœnitentia* quatenus *virtus?*

Resp. Virtus Pœnitentiæ definitur : *habitus supernaturalis disponens hominem lapsum ad dolorem et detestationem peccati sui quatenus est offensa Dei, et consequenter ad firmum melioris vitæ propositum et ad sui vindictam.* Quæ definitio maximi est momenti ad subsequentium intelligentiam ; ideoque eam accurate evolvemus.

Et quidem 1. *habitus*, seu accidens perficiens substantiam et ex se difficile mobilis; in quo distinguitur ab actu pœnitentiæ, qui est accidens ex se transitorius seu ipsius virtutis exercitium.

2. *Supernaturalis*, ratione sive motivi, sive principii seu gratiæ sanctificantis, per quam a Deo in anima infunditur. Sub hoc duplici respectu discrepat ab aliquali pœnitentia mere naturali, quæ etiam in statu naturæ lapsæ possibilis remanet.

3. *Disponens hominem lapsum;* hoc verbo designatur proprium virtutis Pœnitentiæ subjectum. Siquidem Pœnitentia non fuit in Angelis bonis, nec in dæmonibus, nec in Adamo ante lapsum, nec est in Beatis jam æterna Dei amicitia fruentibus.

4. *Ad animi dolorem*, id est, voluntariam conscientiam seu tristitiam de peccato commisso quatenus est summum malum; in hoc reponitur initium actus pœnitentiæ.

5. *Et detestationem*, seu repulsionem et retractationem,

qua ita a peccato commisso sese avertit voluntas, ut desideret illud malum non esse, nec unquam fuisse commissum; sicque, quantum in se est, illud repudiare, removere atque tollere nititur. In hac detestatione proprie consistit pœnitentiæ actus, qui *contritio* ordinarie vocatur, n. 132, 133; ideo illa virtus in voluntate subjectatur.

6. *Peccati*, seu mali moralis; et tale est objectum materiale virtutis Pœnitentiæ, circa quod versatur præfata tristitia ac detestatio.

7. *Sui*. Non est enim tristitia seu conscientia mali nisi proprii, nec retractatio proprie dicta nisi volitionum personalium; et ideo pœnitentia stricte sumpta versatur tantum circa propria peccata; S. Th. 3 p., q. 84, a. 2. ad 3.

Attamen versari potest etiam circa aliena peccata, non per modum tristitiæ et retractationis, sed simplicis odii et abominationis. Turpitudo enim peccati ut sic, displicet pœnitenti in peccato proprio; ergo displicet etiam in alieno ex ejusdem virtutis inclinatione.

8. *Quatenus est offensa Dei;* quibus verbis exprimitur objectum formale seu motivum specificum virtutis Pœnitentiæ.

Scilicet, charitas intendit amicitiam cum Deo, atque detestatur peccatum quatenus tali cultui divino repugnans; Pœnitentia autem intendit compensationem injuriæ Deo illatæ per denegationem hujusmodi recognitions; atque ideo detestatur peccatum quatenus est *offensa* seu *injuria Dei*; ergo pœnitentia fit specialis virtus ex illo speciali proprio fine seu motivo. S. Th. 3 p. q. 85, a. 2, 3.

9. *Consequenter ad melioris vitæ propositum*; quibus verbis indicatur Pœnitentiam consequenter versari circa peccata nondum commissa. Proprium enim virtutis Pœnitentiæ est disponere ad detestationem peccati sui quatenus est offensa Dei; et ideo ejusdem virtutis est inclinare ad vitandum peccatum, quod futurum timetur.

10. *Et ad sui vindictam*; quod significatur malum etiam pœnæ sub objecto materiali virtutis Pœnitentiæ consequenter comprehendi. Ejusdem enim virtutis est intendere finem, et eligere media ad illum finem accommodata: atqui,

ex una parte, virtus Pœnitentiæ intendit destruere peccatum ad resarciendam divinam injuriam; ex altera vero, malum pœnæ in vindictam delicti commissi, est aptum medium ad illum finem consequendum; ergo malum pœnæ spectat etiam Pœnitentiæ objectum. Sed tamen diverso modo; siquidem malum culpæ hac virtute respicitur ut destruendum, malum vero pœnæ ut potius amplectendum, quia simpliciter bonum est, et potens ad malum culpæ removendum.

Cæterum, non solum externæ actiones et passiones corporis, interiores afflictiones et dolores animæ, sed et ipse dolor de peccato commisso quatenus imperatus et volitus a voluntate, fieri possunt pœnæ ad vindictam.

30. — Hinc 1. satisfactio etiam pro pœna ad specificum hujus virtutis motivum pertinet, atque est ejusdem virtutis actus secundarius. Punitio enim ejus, qui injuriam intulit, redundat in honorem et ampliorem satisfactionem ejus, qui injuriam passus est.

31. — Hinc 2. primarius finis virtutis Pœnitentiæ est destructio culpæ, secundarius vero est destructio omnis reatus pœnæ; uterque adæquate continetur sub fine seu motivo compensandi divinam injuriam.

32. — Hinc 3. Pœnitentia est pars justitiæ commutativæ secundum quid, quatenus servat, inquantum est in potestate peccatoris respectu Dei offensi, æqualitatem inter injuriam per peccatum, et compensationem per dolorem, detestationem et pœnam.

Quæ autem justitia inter hominem et Deum, licet non sit simpliciter seu secundum æqualitatem perfectam, longe tamen excellentior est quam perfecta justitia inter homines, propter ejus objectum seu jus divinum, quod longe superioris ordinis est quam jus humanum; homo enim ita subest dominio Dei, ut quidquid habet, magis sit Dei quam ipsius hominis. S. Th. ibid., a. 3.

II. — *De necessitate Virtutis Pœnitentiæ.*

In Tract. *de Gratia*, n. 133 et seq., 275, expositi et confutati sunt errores circa Pœnitentiæ necessitatem, illamque virtutem necessariam esse necessitate medii, iterum demonstrabitur, n. 154, 175, 177. Hic igitur quærendum est solummodo, an et quandonam actus virtutis Pœnitentiæ necessarius sit necessitate præcepti. Unde

PROPOSITIO

43. — *Supposito peccato mortali, Pœnitentia per dolorem et detestationem cadit sub speciali præcepto.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* Etenim, in veteri Testamento, gravissimæ sunt reprehensiones contra eos, qui pœnitentiam non agunt, Isa. 65, Jerem. 8, etc, : porro non solent hoc modo reprehendi homines, nisi quia præcepta non servant. Similiter Joannes Baptista, Christus et Apostoli omnes prædicationem suam a pœnitentia inchoarunt; Matth. 3; Marc. 1; Act. 2; ergo pœnitentia pro peccatoribus est obligatoria.

Porro in illis textibus agitur de Pœnitentia per dolorem et detestationem peccatorum, ut patet ex contextu, et quamplurimis aliis textibus : *Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras;* Ezech, 18, ℣ 31. — *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci;* Ps. 50, ℣ 16. — « *Recogitabo* tibi omnes annos meos in *amaritudine* animæ meæ; » Isa. 38, ℣ 15. Ergo Pœnitentia per dolorem et detestationem peccati sub speciali præcepto cadit.

2° *Traditione.* Conc. Trid. declarat « Pœnitentiam per *odium* peccati et *pium animi dolorem necessariam* fuisse *omni tempore* ad impetrandam veniam peccatorum, » n. 1, 4; ergo omni tempore viguit præceptum concipiendi illum dolorem et odium peccati.

« De *jure naturali* est quod aliquis *pœniteat* de malis quæ fecit, quantum ad hoc quod *doleat* ea fecisse, et doloris remedium quærat per aliquem modum, et quod etiam aliqua signa doloris ostendat. » S. Th. 3 p. q, 84, a. 7.

3° *Ratione.* Obligatur peccator ad pœnitentiam ex motivo justitiæ et charitatis erga Deum et seipsum.

Et quidem 1. ex motivo *justitiæ*. Nam homo gravem injuriam Deo infert, cum per peccatum ad creaturam se convertit, divinoque beneplacito proprii sensus delectationem anteponit : porro, ex una parte, talem injuriam reparare seu compensare tenetur peccator, ut patet, et, ex altera, hujusmodi compensatio fit, in quantum potest, dum, per dolorem de peccato, homo removet peccatum, proprii sensus delectationem in se voluntariæ luit, eique divinum beneplacitum anteponit ; ergo ex justitia tenetur homo illam injuriam compensare per dolorem de peccato.

2. Ex motivo *charitatis*. Etenim, ex præcepto charitatis erga Deum, tenetur homo Deum super omnia diligere, et ideo cum Deo sese reconciliare, si in peccato jaceat : atqui talis reconciliatio perfici nequit absque voluntate peccatum detestante uti offensam Dei, sine qua remanet voluntas peccaminosa ; ergo, ex præcepto charitatis erga Deum, tenetur homo dolere de peccato a se commisso.

Similiter, ex præcepto charitatis erga seipsum tenetur homo a damnatione æterna præcavere : atqui peccator ab æterna damnatione non præcavet, nisi removendo peccatum per ejus detestationem ; ergo ex præcepto charitatis erga seipsum tenetur homo ad pœnitentiam. S. Th., *ibid.*, q. 86, a. 2.

44. — Hinc 1° impænitentia seu voluntaria pœnitentiæ omissio, est speciale peccatum ab aliis distinctum, si fiat directe vel indirecte.

Et quidem *directe*, per expressum actum quo quis vult tempore debito non pœnitere. *Indirecte* autem, si quis tempore debito omittat pœnitentiam ex ignorantia vincibili, vel ex certa scientia cum voluntate non directe omittendi pœnitentiam, sed aliquid agendi cum pœnitentia incompossibile. Unde contingere potest, ut peccator moriatur absque speciali impœnitentiæ peccato, nempe si nec directe, nec indirecte voluntatem non pœnitendi habuerit, v. g., subita morte præventus.

45. — Hinc 2° virtus pœnitentiæ uti proprium *finem elicit* seu intendit sufficientem satisfactionem pro peccato,

quatenus est offensa Dei; atque, ad illum finem obtinendum uti *medium imperat* vel contritionem perfectam ex motivo charitatis, vel contritionem imperfectam cum reali susceptione Baptismi aut sacramenti Pœnitentiæ : sine iis enim non perficitur cum Deo reconciliatio, ex dicendis, n. 175, 177.

46. — *Quæritur* 1° *quandonam* obliget pœnitentiæ præceptum?

Resp. 1., juxta probabiliorem sententiam, *per se* non obligat statim post patratum mortale peccatum; alioquin multiplicarentur peccata pro numero instantium dilationis, quod sensui fidelium et Confessariorum praxi adversatur. Et revera præcepta affirmativa non obligant singulis momentis.

Urget autem pœnitendi præceptum saltem in periculo, et a fortiori in articulo mortis, si adhuc status peccati perseveret; secus enim frustra poneretur.

An, extra periculum mortis, obliget *aliquando in vita*, disputant auctores. Alii affirmant. Scriptura enim et SS. Patres valde reprehendunt notabilem pœnitentiæ dilationem, et præsertim usque ad finem vitæ : « Pœnitentia, quæ *ab infirmo* petitur, *infirma* est; quæ autem *a moriente* petitur, timeo ne et *ipsa moriatur*...; satis *alienus* est *a fide*, qui ad agendam pœnitentiam tempus *senectutis* expectat; » S. August., *serm.* 57, 71. — « Hoc timeo, hoc verum puto, quod ei *non bonus finis* est, cui semper fuerit *mala* vita; » S. Bonavent., Opusc. *de Contemptu seculi*. Ergo, juxta illos Doctores, differre pœnitentiam usque ad mortis periculum est per se rationi dissentaneum, et quodammodo se exponere periculo veram non agendi pœnitentiam.

Alii vero negant, tum quia dilatio non videtur justitiæ erga Deum contraria, tum quia dilationis incommoda sufficienter vitantur, adimplendo pœnitendi obligationem per accidens.

2. *Per accidens* autem tenetur peccator pœnitere, quoties requiritur pœnitentia ad servandum aliud præceptum a Pœnitentiæ præcepto distinctum. Scilicet,

Vel ex præcepto res sacras digne tractandi, quando Sacerdos aut fidelis peccator debet ministrare ex officio aliquod sacramentum aut suscipere.

Vel ex præcepto charitatis erga Deum. Namque, juxta communem sententiam, omnis adultus ex præcepto charitatis tenetur pluries in anno actum dilectionis erga Deum elicere, ac proinde, si sit in peccato, de hoc delere.

Vel ex præcepto charitatis propriæ. Ex dictis enim in Tract. *de Gratia*, n. 262, 269, fidelis in peccato jacens, et a fortiori infidelis, non potest nisi ad breve tempus resistere gravibus tentationibus; ergo, ob proximum periculum novarum culparum, tenetur peccator, ex charitatis propriæ præcepto, pœnitentiam non differre per notabile tempus. Quare dicitur : « Quia *vocavi*, et *renuistis*... ; ego quoque *in interitu vestro ridebo*, et *subsannabo vos*. » Prov. 1, ℣ 26.

Præterea homo usum vitæ præsentis recepit ad vitam æternam promerendam : atqui opera peccatoris, quæcunque sint, non proficiunt ad gloriam; ergo ex charitate propria omnino saltem convenit per notabile tempus non differre pœnitentiam, ad vitandam gravissimam jacturam suorum omnium operum vitæque præsentis.

Quale sit autem hoc *notabile* tempus, præcise determinari nequit. Alii putant esse integrum annum, alii sex menses, alii mensem vel hebdomadam. Sat probabile videtur dilationem pœnitentiæ ultra mensem per se grave peccatum constituere. Peccatores tamen, præsertim rudes, ab illo dilatæ pœnitentiæ peccato, ob inadvertantiam, ut plurimum, imo fere semper excusari possunt; S. Ligor., n. 437. Eo igitur enitendum est, ut tanta diligentia curemus tantæ necessitatis actum elici, ut nullum sit in omittendo aut negligendo periculum.

47. — *Quæritur* 2° an ille, qui in articulo mortis suscepit Sacramentum Pœnitentiæ cum attritione, teneatur insuper elicere actum pœnitentiæ simpliciter seu contritionis perfectæ?

Resp. negative. Etenim, qui contrarium affirmant, consentiunt non teneri, posito quod sufficiat attritio ad effec-

tum Sacramenti Pœnitentiæ recipiendum : atqui, ex dicendis, n. 177, sufficit attritio; ergo Pœnitentiæ præceptum non est per se obligatorium in præfato casu. Attamen, in articulo mortis, quisque etiam justus charitatis actum elicere debet; ac proinde, ex eodem præcepto, actum implicitum contritionis perfectæ concipere.

48. — *Quæritur* 3° an ex præcepto Pœnitentiæ teneatur homo *in hac vita* satisfacere Deo pro *pœna temporali*, quæ, remissa culpa, sæpe exsolvenda superest?

Resp. negative. Ad talem enim pœnam in hac vita exsolvendam non adstringitur homo ex justitia erga Deum, cum sine injustitia differre possit peccati sui punitionnem usque ad expiationem in Purgatorio imponendam, sicut reus expectat pœnam a judice infligendam; nec ex charitate erga Deum et seipsum, cum sic differendo nec divinum amorem, nec suam beatitudinem homo amittat. Revera Conc. Trid., loquens de satisfactione pro pœna temporali, nunquam dicit esse in præcepto extra satisfactionem sacramentalem, sed tantum esse *securiorem* viam, necessariam, non simpliciter, sed ad *perfectam* animæ liberationem seu puritatem; n. 8.

Proinde, vi ejusdem præcepti non obligatur homo ad externos actus pœnitentiæ, quatenus præcise conferunt ad tollendum pœnæ temporalis reatum. Ad hoc autem interdum obligari potest per accidens, v. g., quando illi actus sunt ita conjuncti cum pœnitentia interiori seu contritione, ut ad eam concipiendam sint moraliter necessarii; aut etiam quando sunt remedia moraliter necessaria ad vitandum peccatum, quale potest esse jejunium ad servandam continentiam.

Satisfactio Sacramentalis seu a Confessario imposita in Sacramento Pœnitentiæ, vi specialis præcepti positivi obligat, ut dicetur n. 272, 273.

ARTICULUS III

De notione, existentia et necessitate Sacramenti Pœnitentiæ.

§ I

De notione Sacramenti Pœnitentiæ.

49. — *Quæritur* 1° quid sit sacramentum Pœnitentiæ?

Resp. Sacramentum Pœnitentiæ definitur : *signum efficax gratiæ remissivæ peccati post Baptismum commissi ;* vel fusius : *signum sensibile ex actibus pœnitentis et Sacerdotis absolutione constans, permanenter a Christo institutum ad significandam et conferendam gratiam peccati post Baptismum commissi remissivam.*

Dicitur 1 : *signum sensibile permanenter a Christo institutum ;* in hoc illius Sacramenti denotatur genus.

Dicitur 2 : *constans actibus pœnitentis,* scilicet, *contritione, confessione*, et *satisfactione ;* quibus verbis designatur specialis materia hujus Sacramenti. Unde jam innuitur dotes omnes virtutis Pœnitentiæ includi ac præsupponi in hoc Sacramento, quod propterea *Pœnitentiæ* Sacramentum nuncupatur.

Dicitur 3 : *et absolutione Sacerdotis.* In his exprimitur hujus Sacramenti sive forma seu actus judicii et sententiæ prolatio, sive proprius minister seu Sacerdos, tanquam judex in foro interno sese gerens; ita ut hujus Sacramenti confectio fiat per sensibile exercitium potestatis judiciariæ ad remittenda peccata a Christo Sacerdotibus collatæ.

Dicitur 4 : *ad significandam et conferendam gratiam peccati post Baptismum commissi remissivam ;* quibus indicatur hujus Sacramenti tum effectus proprius seu collatio gratiæ spiritualis resurrectionis, sanationis aut reconciliationis, ratione cujus sæpe Sacramentum *reconciliationis* vel *mortuorum* denominatur; tum materia remota, seu peccata post Baptismum commissa; tum subjectum seu fidelis, qui post Baptismum iterum in peccatum lapsus est. Ex iisdem colligitur discrimen inter Pœnitentiæ Sacramentum et alia Sacramenta.

30. — Itaque, ex præfata definitione, primaria essentia hujus Sacramenti posita est in *judiciaria potestate remittendi peccata*. Qua enim potestate semel hominibus concessa, cætera ad illud Sacramentum pertinentia, exinde consequuntur ; quatenus, scilicet, ad hujusce potestatis exercitium requiritur, ut minister jurisdictione gaudeat, ac proinde illam potestatem exerceat erga solos baptizatos, et circa peccata tantum post Baptismum commissa ; sed insuper ut causam cognoscat, examinet et absolvat : quod præviam accusationem et contritionem essentialiter præsupponit ; tandem ut pœnam satisfactoriam imponat.

31. — *Quæritur* 2° cur potestas judiciaria dimittendi vel retinendi peccata dicatur *claves regni cœlorum, ministerium clavium ?*

Resp. Illa potestas præfatis denominationibus sæpius designatur in Scriptura, a Conciliis et Theologis, et merito quidem. Scilicet, 1. dicitur *clavis* quædam, *clavis regni cœlorum*. Clavis enim est medium seu instrumentum ad aperiendum et claudendum : porro cœli ostium nobis per peccatum clauditur ratione maculæ et reatus pœnæ ; ergo potestas, qua tale removetur obstaculum, est veluti *clavis* quædam, *clavis regni cœlorum*.

Non dicitur tamen *clavis inferni*, etsi infernum claudat vel aperiat, remittendo aut retinendo peccata. Apertio enim regni cœlorum directe, per se ac positive intenditur et fit per illam potestatem, cujus immediatus effectus, ex dicendis, est gratiæ peccati remissivæ collatio ; et ideo potius ab illo directo et positivo effectu denominatur.

2. Dicitur etiam *clavis ministerii, ministerium clavium*. Nam illa potestas est quidem in divina Trinitate per auctoritatem, qua vere remittitur aut retinetur peccatum ; in Christo per excellentiam, quatenus peccatum non remittitur, nisi per merita Christi ; in Sacerdotibus tantum per participationem ministerialem, quatenus non propria, sed divina virtute et merito passionis Christi Sacerdotes peccata remittunt ; et ideo, quatenus a Christo Apostolis eorum-

que successoribus collata, vocatur clavis *ministerii*, *ministerium* clavium.

3. Tandem hæc potestas, licet adæquata et complete sumpta, una sit, tamen nomine plurium *clavium* significatur, ob duplicem respectum, sub quibus considerari potest. Nempe, constituitur 1. auctoritate examinandi conscientiam pœnitentis et in illo foro juridice interrogandi, ita ut pœnitens veritatem fateri teneatur, et in hoc consistit clavis *scientiæ*; 2. facultate remittendi peccatum, ferendo sententiam, quæ clavis *potentiæ* in foro interno nuncupatur; S. Th., Suppl. q. 17, a. 3. Sæpe etiam nomine *potestatis clavium* designatur potestas docendi et regendi Ecclesiam in foro externo.

Similiter potestas clavium in foro sive interno, sive externo, dicitur in Scriptura potestas *solvendi* et *ligandi*. Namque Hebræi non solum clave, sed etiam ligamine soluto, eas aperiebant; ergo, juxta phrasim Scripturæ, *ligare* et *solvere* sunt *claudendi* et *aperiendi* æquivalentia.

Illud Sacramentum fuit *præfiguratum* in Sacerdotum Leviticorum judicio de lepra, Levit. 14; *adumbratum* in resurrectione Lazari, quem Christus divina quadam virtute suscitavit, sed a vinculis solvendum tradidit Apostolis, Joann. 11, ℣ 44; demum a Christo *institutum*, ex subsequentibus. S. Th. 3 p. q. 84, a. 7, ad 2.

§ II

De existentia Sacramenti Pœnitentiæ.

52. — Novatiani, tertio seculo, primum denegarunt Ecclesiæ potestatem dimittendi peccata iis, qui in persecutione lapsi fuerant; et deinde aperte docuerunt, post Pœnitentiam, quæ agitur in Baptismo, nullum peccatum dimitti.

Juxta Protestantes, nulla exstat justificatio vere interna in statu naturæ lapsæ, nec ideo ullum Sacramentum ex se peccati remissivum. Unde Pœnitentiæ Sacramentum non est a Baptismo vel ab ejus memoria distinctum, nec peccata vere remittit, sed tantum remissa declarat. Vide Tract. *de Gratia*, n. 133, 134, 135. Contra sit

PROPOSITIO

53. — *Christus Ecclesiæ concessit potestatem dimittendi peccata post Baptismum commissa, per verum ac proprie dictum Pœnitentiæ Sacramentum.* De fide est.

Prob. 1° *Script.* Christus, a mortuis redivivus, in Apostolos insufflavit, dicens : *Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueritis, retenta sunt ;* Joan. 20, ✝ 23.

Unde sic : ad Sacramentum novæ legis tria requiruntur, scilicet, signum et quidem efficax gratiæ, a Christo permanenter institutum ; atqui hæc tria significantur in allato textu.

Etenim per illa verba Christus Apostolis dedit potestatem dimittendi peccata per *actum judicii*, ut evidenter infertur ex verbis *remittendi* et *retinendi peccata :* porro 1. hujusmodi potestas inter homines et in Ecclesia visibili exerceri nequit, nisi per sententiæ prolationem seu per aliquod signum sensibile; 2. nec tale signum dimittere potest peccata, nisi connexam habeat gratiam sanctificantem, sine qua nullum remittitur peccatum, ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 304; 3. tandem præfata potestas fuit à Christo Apostolis communicata pro tempore indefinito; ergo per illa verba Christus permanenter instituit speciale signum efficax gratiæ, per quamdam sententiæ prolationem, seu Pœnitentiæ Sacramentum.

Idem probatur ex verbis Christi : *Et tibi dabo claves regni cœlorum,* etc... *Quæcunque alligaveritis,* etc. ; Matth. 15, v. 19; 18, v. 17, 18. In his enim conceditur B. Petro, et Apostolis sub B. Petro, in perpetuum auctoritas quæcunque ligandi et solvendi in ordine spirituali, ac proinde in foro sive externo, sive interno : quod importat potestatem dimittendi aut retinendi peccata, per Petrum aliis Sacerdotibus communicandam. Illi textus explicantur in Tract. *de Eccl.*, n. 55, 57. Ad hanc thesim etiam pertinent verba S. Pauli II Cor. 5, v. 18, 19.

2° *Traditione.* 1. Omnium Patrum consensus semper intellexit per verba Christi, *Accipite Spiritum Sanctum,* etc.,

potestatem remittendi et retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis et eorum successoribus fuisse communicatam; et Novatianos omnia peccata remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, Ecclesia Catholica tanquam *hæreticos* explosit atque damnavit.

Et revera, « si adhuc clausum putas cœlum, memento *claves ejus Dominum Petro, et per eum Ecclesiæ reliquisse.* Providens Deus, licet *intinctionis* (Baptismi) sera obstructa, aliquid adhuc permisit patere : collocavit in *vestibulo Pœnitentiam secundam.* » Tertull., *Scorpiaci*, c. 10, *de Pœnit.*, c. 7 ; *de Pudic.* c. 21.

« Confiteantur singuli, dum... satisfactio et *remissio facta per Sacerdotes* apud Deum valet. » S. Cypr., *de Lapsis*, c. 12.

« Impossibile videbatur *per Pœnitentiam dimitti peccata :* concessit hoc Christus Apostolis suis, quod ab Apostolis ad Sacerdotum officia transmissum est. » S. Ambr., *de Pœnit*,, lib. 1, n. 7, 33.

« *Sacerdotibus* a Deo data fuit potestas, quam Angelis non concessit; quippe qui non solum *regenerant*, sed etiam *postea condonandorum peccatorum obtinent potestatem*... Nostris Sacerdotibus non corporis lepram, verum *animæ sordes*, non dico *purgatos probare*, sed *purgare prorsus* concessum est. » S. Chrysost., *de Sacerdot.*, lib. 3, n. 5.

Vide etiam Firmiliani epist. ad S. Cyprian.; Paciani epist. 1, 3, opusc. 37; S. August. *serm.* 295, n. 2; S. Fulgent., *de Remiss. peccat.*, lib. 1, c. 23; S. Gregor. M. *Homil. 26 in Evang.;* Maximus Taurin., *Homil.* 68; Morinum, lib. 1, c. 4.

2. Idem sic definivit Conc. Trid. : « Si quis dixerit, in Catholica Ecclesia *Pœnitentiam non esse vere et proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur*, ipsi Deo *reconciliandis*, a Christo Domino nostro institutum : anathema sit. »

3. *Argumento præscriptionis* eadem divina Traditio constat.

Etenim, seculo XVI, cum Lutherus et Calvinus suos erro-

res disseminare cœperunt, universa Ecclesia credebat Pœnitentiam esse Sacramentum novæ legis : atqui nulla contigit circa illud dogma mutatio seculis decimo sexto anterioribus; ergo semper in tota Ecclesia creditum est Pœnitentiam verum esse novæ legis Sacramentum.

Major ab omnibus admititur; et aliunde evincitur tum ex negatione Lutheri, tum ex affirmatione Conc, Trid., tum ex fide Græcorum etiam schismaticorum circa divinam institutionem Sacramenti Pœnitentiæ.

Minor non minus evidens est. Namque, si contigisset aliqua mutatio, hæc sensibilis fuisset, vel insensibilis : atqui non contigit mutatio *sensibilis*, siquidem assignari non potest locus in quo obtinuit, nec tempus in quo incepit, nec illius auctor aut impugnator, nec ulla hujusmodi mutationis circumstantia.

Nec *insensibilis*. Etenim hic agitur de dogmate inter cætera vulgari, practico, et præsertim, ob peccatorum etiam gravissimorum et occultissimorum confessionem, quam necessario implicat, maxime repugnante superbiæ seu omnium cupiditatum vehementissimæ, atque altissimis radicibus in natura humana infixæ : atqui prorsus repugnat tale dogma in totam Ecclesiam introduci mutatione insensibili, id est, sine vi, sine pugna, absque reclamatione ex parte fidelium et etiam Pastorum ipsorum, a fortiori hæreticorum et schismaticorum; ergo nulla contigit mutatio circa illud dogma seculis decimo sexto anterioribus; ac proinde ab Apostolis et a Christo ejus fides et praxis defluit.

Et vero, tempore persecutionum, vigebat ubique fides de Pœnitentiæ Sacramento, ut constat ex Novatianorum damnatione ab universa Ecclesia : porro nullo tempore difficilior fuit novi dogmatis introductio, ac ætate martyrum, ob necessitatem quotidie imminentem illud dogma coram tyrannis confitendi proprioque obsignandi sanguine; ergo ab origine persecutionum seu ipsa ætate Apostolorum viguit dogma de Pœnitentiæ Sacramento.

3° *Ex congruentiis* 1. Christus non debuit minus providere de remedio pro peccatis fidelium, quam infidelium :

atqui pro istis in remedium institutum est Sacramentum Baptismi; ergo et pro fidelium peccatis debuit Christus aliud instituere Sacramentum; cum non minor sit necessitas in hominibus baptizatis, qui remanent debiles, et a gratia baptismali facile cadunt; nec minus sit periculum in peccatis post Baptismum commissis, quam in eis quæ præcedunt.

2. Omnino congruum fuit instituere Sacramentum, quod ex multiplici parte maximam utilitatem confert ad animarum emendationem atque salutem : porro tale est Pœnitentiæ Sacramentum. Etenim per illud multo facilior redditur via ad justificationem recuperandam, ad plenam perfectamque peccatorum expiationem et remissionem, ad vitandas non solum inferni, sed et purgatorii pœnas, ut infra dicetur.

Insuper idem Sacramentum, ob speciales actus, quos ex parte pœnitentis requirit, maxime favet, ipsis fatentibus adversariis, tum sui cognitioni et despectioni per omnium peccatorum confessionem, tum aversioni a peccato et ad Deum conversioni per contritionem, tum omnium cupiditatum mortificationi per satisfactionem.

Nec minus mirifice spem erigit, atque in pace et conscientiæ gaudio animam quiescere facit et lætificat, sive quia divinum judicium in humanum quodammodo commutat, gerente homine in illo vicem Dei judicantis; sive ob majorem certitudinem de venia concedenda aut concessa ex testimonio judicis, cui reus rem totam patefecit; sive ob eximium animæ levamen et solatium per hujusmodi perfectam animæ culpabilis effusionem in divinum amicum sub sacratissimo et omnimodo inviolabili secreti sigillo.

Et vero, omnibus fere piis persuasum est quidquid sanctitatis, pietatis et religionis in Ecclesia operatum et conservatum fuit, id magna ex parte Sacramento Pœnitentiæ tribuendum esse; atque adeo ipse diabolus, cum fidem catholicam penitus evertere cogitat per ministros suæ impietatis et satellites, hanc veluti christianæ virtutis arcem totis viribus oppugnare conatur. Catech. Rom., *de Pœnit.*, n. 45.

3. Tandem ad perfectionem et majestatem reipublicæ Christianæ pertinuit, ut in ea esset tribunal, in quo animarum causæ judicarentur, et vindicarentur divinæ injuriæ.

Idem tribunal non minus interest ad perfectionem novæ legis, ad ostensionem divinæ justitiæ simul et misericordiæ, et etiam efficacitatis meritorum Christi, qui tunc non solum per seipsum ex potestate excellentiæ, sed etiam per ministros ex potestate eis communicata ipsa peccata remittit.

Ergo omnimodo constat et convenit Christum Ecclesiæ concessisse potestatem dimittendi peccata post Baptismum commissa, per verum ac proprie dictum Pœnitentiæ Sacramentum.

54. — Hinc 1° Pœnitentia est Sacramentum *a Baptismo* vel *ab hujus memoria distinctum*. De fide est.

Etenim 1. ex verbis : *Quorum remiseritis*, etc., Apostoli eorumque successores constituti sunt judices ad dimittenda vel retinenda peccata : atqui in Baptismate non possunt esse judices cum in infideles judicia non exerceat Ecclesia; ergo Pœnitentia est Sacramentum a Baptismo distinctum.

2. Idem constat ex SS. Patribus in thesi relatis, qui clare distinguunt Pœnitentiam a Baptismo; et hoc sic expresse definivit Conc. Trid., n, 2, 11 : « Si-quis, sacramenta confundens, *ipsum Baptismum Pœnitentiæ sacramentum esse dixerit, quasi* hæc duo sacramenta *distincta non sint;* atque ideo Pœnitentiam non recte *secundam* post naufragium *tabulam* appellari : anathema sit; » n. 28. S. Th., 3 p., q. 84, a. 6.

3. Tandem ea prorsus distincta sunt Sacramenta, quorum subjectum, materia, forma, minister, usus et effectus diversa sunt : atqui talis existit diversitas inter Pœnitentiam et Baptismum, ut ex utriusque comparatione patet. Cæterum, si valeret Calvini sententia, frustra Christus Apostolis contulisset potestatem *retinendi* peccata : quis enim impedire potest, quin peccator susceptum Baptismum cogitet?

55. — Hinc 2° in Sacramento Pœnitentiæ non *declaratur* peccata *esse remissa*, sed ipsa *vere dimittuntur*. De fide est.

Namque 1. Christus non dixit : *Quorum declarabitis remissa peccata*, sed : *Quorum remiseritis;* ergo per hæc verba potestatem vere remittendi peccata contulit. Et vero, Pharisæi, cum audierunt Christum dicentem paralytico : *Remittuntur tibi peccata tua*, Luc. 5, ℣ 20, statim ex hujus verbi, *remittuntur*, significatione obvia et naturali intellexerunt Christum sibi arrogasse auctoritatem vere dimittendi peccata; et hanc interpretationem confirmavit ipse Christus, ut patet ex contextu; ergo eodem sensu intelligendum est idem verbum, quando adhibetur a Christo alloquente Apostolos.

2. Idem colligitur ex SS. Patribus in thesi allatis, atque sic definivit Conc. Trid., n. 18 : « Si quis dixerit absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse *actum judicialem*, sed *nudum ministerium pronuntiandi* et *declarandi* remissa esse peccata confitenti... : anathema sit. »

3. Denique, ex dictis, Pœnitentia est verum Sacramentum conferens gratiam peccati remissivam : atqui hoc falsum est, si per pœnitentiam non remittuntur, sed tantum remissa declarantur peccata; ergo in Sacramento Pœnitentiæ vere remittuntur peccata.

56. — *Quæritur* quandonam institutum fuerit Pœnitentiæ Sacramentum?

Resp. Hoc Sacramentum tunc præcipue instituit Christus, cum, a mortuis excitatus, insufflavit in discipulos suos, dicens : *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis*, etc. Ita Conc. Trid., n. 1. Dicitur autem *præcipue*, quia Christus ante mortem, jam Apostolis potestatem judiciariam promiserat his verbis, Matth. 18, ℣ 18 : *Quæcunque ligaveritis*, etc.

57. — *Obj*. 1° Christus per verba : *Quorum remiseritis*, etc., contulit Apostolis potestatem dimittendi peccata per verbi divini prædicationem, non autem per judicialem actum; ergo Pœnitentia non est Sacramentum novæ legis.

Resp. nego ant. Etenim Christus non dixit : « Quorum remi-

seritis peccata *per verbi divini prædicationem*, sed simpliciter : *Quorum remiseritis :* atqui hæc verba in sensu obvio et litterali intellecta, judiciariam auctoritatem enuntiant. Et vero Christus concessit Apostolis potestatem *retinendi* peccata : atqui talis potestas suum effectum sortiri nequit per autoritatem Evangelium prædicandi; quilibet enim alios ad fidem, pœnitentiam et charitatem exhortari potest, et hoc modo remittere peccata. Aliunde potestas prædicandi propriis et disertis verbis data fuit a Christo, Matth. 19, ✝ 28; ergo per verba, *Quorum remiseritis,* aliam singularem potestatem Apostolis Christus communicavit.

58. — *Inst.* 1. « Impossibile eos, qui semel sunt *illuminati* (per Baptismum)... et prolapsi sunt, *rursus renovari ad pœnitentiam;* » Hebr. 6. ✝ 4, 6; ergo nullum est sacramentum peccati post Baptismum commissi remissivum.

Resp. Dist. ant. Impossibile est moraliter, ita ut sit valde difficile, *conc.*; omnino impossibile, *nego.* Illa enim exaggeratio frequens est in communi loquendi modo, eumque interdum Scriptura usurpat. Ita S. Hierony., *Contra Jov.*, lib. 2.

Juxta vero communem interpretationem, sensus litteralis est, eum, qui post Baptismum peccavit, impossibile esse rursus renovari per *iteratum Baptismum*, et consequi illam liberalem remissionem totius culpæ et pœnæ, eo modo quo in Baptismo conceditur; ita SS. Amb., Chrysost., Athan., August., Th. 3 p., q. 84., a. 10, ad 1; Suarez, *de Virt. Pœnit.*, disput. 8., sect. 1.

Revera apud Judæos erant secundum legem quædam lavacra instituta, in quibus pluries se ab immunditia purgabant; unde credebant aliqui Judæorum, quod etiam per lavacrum Baptismi aliquis pluries purificari posset. Ad hoc excludendum Apostolus scribit Hebræis, quod *impossibile sit*, etc.

59. — *Inst.* 2. In Actibus Apostolorum et in scriptis SS. Patrum primi et secundi seculi, nulla fit mentio de Sacramento Pœnitentiæ; ergo tunc temporis non admittebatur.

Resp. Nego conseq. Etenim 1. non omnia Apostolorum dicta et facta in eorum Actibus leguntur; ea vero quæ ibi narrantur, præcipue spectant Gentiles et Judæos, quibus, utpote non baptizatis, conferri non opportuit Pœnitentiæ Sacramentum.

Nihilominus in Actibus expressa mentio fit de credentibus qui *confitebantur peccata sua*, c. 19, ✝ 18; vide infra, n. 215. ...nde, si quid valeret argumentum deductum ex silentio

Scripturarum circa usum hujus Sacramenti, facile etiam probari posset Baptismum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti non esse conferendum, cum nullibi Scripturarum referatur sub expressa hac forma Baptisma ab Apostolis fuisse collatum.

2. Primo et secundo seculo, fides declarata fuit et propugnata martyrio potiusquam scriptis; ergo rarissima supersunt illius ætatis documenta. Insuper SS. Patres, ut plurimum, tunc sermonem dirigebant ad Gentiles vel Catechumenos, quos non de Pœnitentia, sed de Baptismo prius edoceri oportebat. Denique nunquid res certissimis constans argumentis, neganda est, quia non omnes de illa locuti sunt?

60. — *Inst.* 3. Deus solus potest remittere peccata; ergo hæc potestas hominibus communicari nequit.

Resp. Dist. ant. Solus Deus potest peccata dimittere auctoritate propria, *conc.*; per exclusionem causæ sacramentalis, secundariæ et ministerialis, *nego*; alioquin nec per Baptismum peccata remitterentur; n. 51. Tract. *de Sacram. in genere*, n. 56, 105. S. Th., *ibid.* a. 3, ad 3.

61. — *Inst.* 4. Qui accedit ad tribunal Pœnitentiæ cum perfecta contritione, prius reconciliatur cum Deo, quam Sacramentum actu percipiat, ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 284, 285, et ex dicendis, n. 175; ergo in hoc casu absolutio est mere declaratoria.

Resp. Nego conseq. Etenim Sacramentum Pœnitentiæ semper ex se confert gratiam peccati remissivam; si quandoque autem peccatum desit, hoc est per accidens, et tunc etiam Sacramentum valet ad gratiæ augmentum et ad remissionem pœnæ temporalis debitæ pro peccatis rite accusatis, n. 141; ergo absolutio nunquam est per se tantum declaratoria.

Præterea contritio perfecta includit votum Sacramenti Pœnitentiæ cum obligatione peccata post Baptismum commissa clavibus Ecclesiæ subjiciendi, ex dicendis, n. 65, 167; ergo semper aliquo modo requiritur Pœnitentiæ Sacramentum ad remissionem peccati post Baptismum commissi.

§ III

De necessitate Sacramenti Pœnitentiæ.

62. — Duplici modo necessarium esse potest Pœnitentiæ Sacramentum, scilicet, in re vel voto : est necessarium *in*

re, si realis ejus susceptio omnino requiratur ad remissionem cujuscunque peccati mortalis post Baptismum commissi.

In voto tantum necessarium est, si ad remissionem peccati mortalis post Baptismum commissi, solum requiratur firmum propositum debito tempore illud recipiendi ; ita ut pœnitens rite contritus statim veniam peccatorum recipiat, et simul obligatus maneat sua peccata clavibus Ecclesiæ subjiciendi, rite Sacramentum Pœnitentiæ recipiendo. His positis, sit

PROPOSITIO

63. — ***Sacramentum Pœnitentiæ in re, vel saltem in voto, necessarium est ad remissionem peccati mortalis post Baptismum commissi.*** De fide est.

Prob. 1° *Script.* « ***Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueritis, retenta sunt,*** » n. 53 : porro, si quis, post Baptismum lapsus, veniam consequi potest, quin judicio a Sacerdotibus prolato aut proferendo maneat obnoxius, eo ipso peccata a Sacerdotibus retenta sæpe sæpius erunt nihilominus in cœlis remissa ; ergo, ex voluntate Christi, omnibus post Baptismum lapsis necesse est sua peccata clavibus Ecclesiæ in re, vel saltem in voto subjicere.

2° *Traditione.* Quæ necessitas colligi potest ex Patrum testimoniis jam allatis, n. 53 ; quibus ideo pauca addemus. « Peccator non erubescat *malum confiteri ei qui præest*, ut *possit* æterni ignis pœnas effugere. « Clem. Rom., *Epist.* 1.

« Peccatores in barathrum delabuntur, nisi *Sacerdotali auctoritate* illis subventum fuerit. » Fabianus Papa, *Epist.* 2.

« *Necessario* iis *peccata aperiri debent*, quibus credita est *dispensatio.* » S. Basil., *Regul.* 288.

« Nemo sibi dicat : « occulte ago, apud Deum ago ; novit Deus qui ignoscat, quia ego in corde ago (pœnitentiam)... » « Ergo sine causa dictum est : *Quæ solveritis in terra*, etc. ! Ergo *sine causa* claves datæ sunt Ecclesiæ !

Frustramus Evangelium, frustramus verba Christi.» S. August., *Serm.* 392.

Itaque, juxta SS. Patres, non sufficit interior pœnitentia, sed necesse est peccata post Baptismum commissa clavibus Ecclesiæ subjicere, ut *possit* pœna ignis inferni effugi, et ne frustremus verba, quibus Christus dedit claves Ecclesiæ.

Idem tradit Conc. Trid.; declarando et definiendo « Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem *necessarium* esse, ut nondum regeneratis ipse *Baptismus*, atque ideo recte *secundam post naufragium tabulam* appellari; contritionem perfectam Deo hominem non reconciliare sine Sacramenti Pœnitentiæ *voto*, in illa incluso; » n. 2, 4, 10, 15.

3° *Ration. Theol.* 1. Per verba, *Quorum remiseritis*, etc., Christus in perpetuum Apostolos constituit ordinarios judices in foro interno, ex dictis n. 53 : atqui princeps, cum in republica constituit ordinarios judices, apud quos causæ agantur, eo ipso intendit illam esse viam ordinariam jure necessariam ad lites terminandos vel ad puniendа delicta; ergo idem voluit Christus de judicibus ordinariis in foro interno.

2. Ex dictis n. 53, potestatem dimittendi peccata Apostolis contulit Christus ad maximam animarum utilitatem : porro talis nihilominus potestas de facto vana et inutilis remanebit, si aliud sit medium veniam consequendi. Nam investigatio et præsertim accusatio omnium peccatorum, necessario ad illius auctoritatis exercitium prærequisita, quam maxime repugnat omnium cupiditatum vehementissimæ, superbiæ scilicet; ergo, sublata necessitate illius potestatis, nunquam aut saltem rarissime ad illam confugient peccatores; ac proinde huic auctoritati omnes post Baptismum lapsos in re vel saltem in voto subjici, exigit Dei sapientia et bonitas.

64. — Hinc 1° Sacramentum Pœnitentiæ *in re* seu realis ejus susceptio non est necessaria necessitate *medii,* sed *præcepti* tantum. Certum est.

Etenim, ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 284, 285, et ex dicendis, n. 175, actus charitatis seu contritionis perfectæ hominem Deo reconciliat, priusquam illud Sacramentum actu suscipiatur; ergo, ad remissionem peccati mortalis post Baptismum commissi, Sacramentum Pœnitentiæ non est in re necessarium necessitate medii.

Ex thesi autem præcedenti, aliquo modo necessarium est illud Sacramentum ad præfati peccati remissionem; ergo in re necessarium est, saltem necessitate *præcepti*, eo sensu, scilicet, quod pro omnibus post Baptismum lapsis adsit gravis obligatio illud Sacramentum tempore debito recipiendi.

65. — Hinc 2° Sacramentum Pœnitentiæ in *voto* seu voluntas illud suscipiendi, est necessarium necessitate *medii*. Certum est.

Etenim, ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 284, 285, et ex dicendis, n. 175, extra realem susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, ad remissionem peccati mortalis post Baptismum commissi, requiritur contritio perfecta : porro, ex dicendis, n. 166, talis contritio nec esse, nec concipi potest absque firmo proposito servandi omnia præcepta, ac proinde absque voto servandi præceptum, quo omnes post Baptismum lapsi Sacramentum Pœnitentiæ tempore debito recipere tenentur, n. 64, 167; ergo illud Sacramentum in voto necessarium est necessitate medii.

66. — *Quæritur* autem 1° quid sit peccatum remitti per Sacramentum Pœnitentiæ *in voto?*

Resp. Peccata remittuntur per Sacramentum Pœnitentiæ in voto, eo sensu quod, ex voluntate Christi, hujus Sacramenti susceptio realis pertineat ad integram dispositionem seu satisfactionem ex parte nostra necessariam ad peccati remissionem; ac proinde, quamvis remittatur mortale peccatum, existente contritione perfecta, semper hoc fiat in ordine ad illud Sacramentum suscipiendum.

Sic, v. g., in emptione alicujus rei, licet hujus dominium et possessio absolute conferatur ante solutionem integri

pretii, illa tamen dominii translatio fit in ordine ad integram solutionem; unde, cum datur integrum pretium. non acquiritur quidem rei emptæ novum aut majus dominium, sed solvitur tamen, et prior contractus in suo ordine completur. Similiter, posita contritione, datur remissio peccati in ordine ad futuram confessionem et absolutionem veluti ad futuram solutionem integram, ita ut, quando postea fit confessio et rite suscipitur hoc Sacramentum, compleatur prior contractus, quantum ex parte nostra compleri potest.

Sed etiam, per illud Sacramentum infunditur gratia per se loquendo, ex institutione Christi, necessaria ad peccati mortalis post Baptismum commissi remissionem; ergo prior justificatio per contritionem est ex se minus perfecta, atque ordinata ad gratiam sacramentalem tanquam ad suam perfectionem et complementum; S. Th. *Cont. Gent.* lib. 4, c. 72. Quapropter illud Sacramentum veluti *forma* contritionem et hujus effectum perficiens dicitur.

67. — *Quæritur* 2° an requiratur votum hujus Sacramenti *explicitum?*

Resp. Implicitum sufficit votum, quale, scilicet, includitur in contritione perfecta aut in amore Dei super omnia. Etenim Conc. Trid. declarat « contritionem perfectam cum *voto* Sacramenti Pœnitentiæ, *quod in illa includitur,* hominem Deo reconciliare priusquam hoc Sacramentum suscipiatur, » n. 4; ergo sufficit hujus Sacramenti votum in perfecta contritione inclusum seu implicitum. Ita communiter.

Revera, contritio perfecta cum voto tantum implicito Baptismi sufficit ad peccati mortalis ante Baptismum commissi remissionem; ergo et, post Baptismum, votum implicitum Pœnitentiæ ad reconciliationis gratiam sufficere debet; eadem enim est ratio.

68. — *Quæritur* 3° *quandonam* obliget divinum præceptum in re suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ?

Resp. Illud præceptum obligat per se, vel per accidens.

quatenus removenda, sunt Sacramenti Pœnitentiæ materia remota.

Et quidem 1° *sola* peccata *post Baptismum commissa.* De fide est. Hoc enim definivit Conc. Trid., n. 10, 53. Aliunde, Baptismus per se delet omnia peccata ante ipsius collationem commissa; atque Sacramentum Pœnitentiæ necessario præsupponit receptionem Baptismi, et jurisdictionem quæ spectat tantum illos, qui jam per Baptismum Ecclesiæ subditi facti sunt.

2° *Omnia mortalia* post Baptismum commissa, sunt materia *necessaria.* De fide est ex Conc. Trid., n. 16, et directe probabitur n. 222. « Ad deletionem peccati mortalis Sacramentum Pœnitentiæ proprie et principaliter est institutum. » S. Th., 3 p. q. 84, a. 2. ad 3.

3° Omnia *venialia* peccata post Baptismum commissa, uti materia *sufficiens* et *libera.* Certum est. Et quidem 1. *sufficiens;* tum quia sunt peccata, quæ ideo clavibus Ecclesiæ subjici possunt; tum quia sine ulla peccatorum distinctione Christus dixit : *Quorum remiseritis peccata,* etc.; tum quia solent viri pii et sancti sola venialia peccata confiteri, cum se nullius lethalis noxæ reos esse intelligunt, quem morem Conc. Trid. approbat tanquam « *rectum* et *utilem,* et qui citra omnem præsuptionem *potest retineri;* » n. 5.

2. *Libera.* Deo enim sic volente, venialia possunt aliis mediis auferri sine ordine ad hoc Sacramentum. Nam Conc. Trid. declarat « venialia peccata *taceri, citra culpam,* multisque aliis mediis expiari posse, » n. 5. Itaque verba Christi : *Quorum remiseritis peccata,* etc., comprehendunt venialia, non autem verba : *Quorum retinueritis,* etc., eo sensu quod sine absolutione in re aut in voto remitti possunt venialia, n. 295. « Contra venialia peccata non principaliter est hoc Sacramentum institutum, » inquit S. Th., *ibid.*

PROPOSITIO II

73. — *Peccata jam rite declarata et per absolutionem remissa, sunt materia sufficiens sacramenti Pœnitentiæ.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* Etenim Christus per verba : *Quorum re-*

miseritis, etc., potestatem concessit nullo modo limitatam ad unum remissionis actum; ergo, etc.

2° *Praxi fidelium* et piorum omnium, quam sic approbat Benedictus XI: « Licet de *necessitate* non sit iterum *eadem* confiteri peccata, tamen... ut *eorumdem peccatorum iteretur confessio*, reputamus *salutare*. »

3° *Ration. theol.* Actus virtutis pœnitentiæ seu contritio, confessio et satisfactio iterum atque iterum versari possunt circa eadem peccata jam condonata, ut per se patet: atqui, ex dicendis, n. 81, hujusmodi actus sunt materia Sacramenti Pœnitentiæ proxima; ergo eadem peccata, etiam declarata et remissa, possunt iterum fieri remota illius Sacramenti materia.

Et licet tunc per accidens hoc Sacramentum peccata non deleat, tamen confert gratiam per se peccati deletivam, atque ideo primario et principali effectu non caret. Aliunde consentaneum est fini hujus Sacramenti, quod ita fuerit institutum ad majorem peccatoris securitatem, majoremque consolationem et animæ quietem, sed etiam ad gratiæ augmentum, plenioremque pœnæ remissionem.

Tandem, si peccatum idem sit pro iterato Sacramento, tamen ejusdem peccati contritio et accusatio multiplicantur, et numero saltem diversæ sunt: porro hoc sufficit, ut materia proxima Sacramenti vere constitutiva, non sit eadem, et ideo possit aliud constituere Sacramentum numero distinctum.

74. — Hinc 1° *numerus* venialium, nec jam in confessione declaratorum et remissorum mortalium, non necessario declarandus est. Certum est.

Namque, ex dictis, hujusmodi peccata constituunt materiam *liberam;* ergo ex his declarari potest tantum, quod cuique opportunum videtur. Unde sufficit quod declarentur secundum speciem suam genericam, v. g.: « Me accuso de meis mendaciis, de peccatis vitæ præteritæ contra castitatem. » Ex illa generali accusatione, Confessarius facile colligere potest speciem aliquam infimam et aliquod peccatum determinatum, seu saltem pœnitentem peccasse

interne semel aut pluries, pravis cogitationibus adhærendo.

75. — Hinc 2°, si pœnitens *nullam* confiteatur *culpam etiam venialem*, confici nequit Sacramentum. Certum est.

Tunc enim necessario deficit etiam materia proxima et consequenter forma. Et profecto ille solus in foro interno absolvi potest, qui reum se confitetur.

Nec sufficit quod pœnitens dicat se habere reatum pœnæ temporalis ex præcedentibus peccatis jam declaratis et remissis. Nam potestas absolvendi directe data est ad peccatum remittendum; ad pœnam autem ut ad quid accessorium, ex verbis : *Quorum remiseritis peccata,* etc.

76. — Hinc 3°, si pœnitens confiteatur tantum peccatum *dubie commissum*, periculo nullitatis exponitur Sacramentum.

Patet ex supradictis. Unde, in hoc casu et deficiente necessitate, graviter peccaret Confessarius, absolutionem proferendo. Similiter non conficeretur Sacramentum, sed indigne pœnitens absolutionem reciperet, si nec confiteretur tantum aliquod veniale, de quo non esset sufficienter contritus; tunc enim omnino deficeret contritio, quæ est pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ, n. 81.

Itaque 1. si quis nullius peccati recordetur, nullumque peccatum confiteatur in particulari, interrogetur in primis de obligationibus proprii status, de superbia et vana gloria, de cogitationibus contra sextum præceptum, de relationibus cum parentibus, cum proximo, de detractione, de invidia, de mendacio, de ira, etc.

2. Suadendum est pœnitentibus ut, præter peccata dubia, aut etiam levia quotidiana, semper ex jam declaratis subnectant aliquod *certum* peccatum, de quo vehementius doleant et firmius propositum concipere possint. Tunc enim certius est sacramentum et hujus fructus.

Attamen, si pœnitens ex quadam consuetudine tantum vitæ præteritæ peccatum iterum atque iterum adderet, tunc remaneret periculum defectus contritionis sufficientis, et

ideo invaliditatis Sacramenti, præsertim si peccatum illud leve foret.

77. — *Quæritur* 1° an adultus baptizandus sub conditione, in dubio Baptismi præcedentis, peccata jam accusata iterum confiteri debeat?

Resp. negative. Namque vel prior Baptismus fuit validus, nec ne: si prius, tunc validum fuit etiam Sacramentum Pœnitentiæ jam collatum, et ideo per hoc jam remissa sunt illa peccata; si posterius, tunc validus erit posterior Baptismus, quo proinde tollentur peccata, de quibus agitur.

78. — *Quæritur* 2° an præfatus adultus accusare debeat peccata nondum accusata, seu ab ultima confessione commissa?

Resp. affirmative, contra quosdam, qui contrarium sentiunt, et quorum sententia jam non est probabilis, ex decis. S. Congr. S. Officii, 17 jun. 1715, confirmata ex decisione ejusdem S. Congr., 17 dec. 1868, juxta quam confessio a neoconversis in Anglia exigi debet post Baptismum eis sub conditione collatum, et illa confessio debet esse integra seu præteritæ vitæ peccata comprehendere, atque ab iis peccatis absolutio sub conditione conferri. Vide *Analecta*, 1869, col. 929.

79. — *Quæritur* 3° an adultus baptizandus et absolvendus sub conditione, primum baptizari vel absolvi debeat?

Resp. Ordo naturalis est primum conditionate baptizare, et deinde sub conditione absolvere; et revera hujusmodi ordo indicatur in præfata decis. S. Officii. Attamen valde utile est confessionem præmitti Baptismo, ad sufficientem baptizandi dispositionem dignoscendam et ad meliorem excitandam, atque absolutionem immediate post Baptismum conferri.

ARTICULUS II

De materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ.

80. — Juxta Scotum, signum sensibile hujus Sacramenti constitutivum reponendum est in absolutione, quæ prout

est externa cæremonia, proximam materiam constituit, formam vero quatenus vim habet significandi. Unde, in hac sententia, tres actus pœnitentis, scilicet, contritio, confessio et satisfactio, requiruntur tantum ut dispositiones necessariæ ad effectum Sacramenti recipiendum.

Juxta quosdam, manus impositio est proxima illius Sacramenti materia. Contra sit

PROPOSITIO

81. — *Tres actus pœnitentis, scilicet, contritio, confessio et satisfactio, sunt proxima materia Sacramenti Pœnitentiæ.* Ita communiter.

Prob. 1° Ex Conc. Trid., quod, post Conc. Flor., sic loquitur, n. 3, 13 : « Sunt *quasi materia* hujus Sacramenti, *ipsius pœnitentis actus,* nempe *contritio, confessio* et *satisfactio.* Qui, quatenus in pœnitente ad *integritatem hujus Sacramenti,* ad plenamque et perfectam peccatorum remissonem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione *partes pœnitentiæ* dicuntur. »

Qua declaratione Concilium directe intendit percellere Protestantium errorem, negantium tres illos actus jure divino necessarios esse ad *integritatem Sacramenti Pœnitentiæ*, et ad *perfectam* peccatorum *remissionem;* et ideo contrarium de fide constat. Non voluit autem damnare Scoti sententiam, causamque circa materiam proximam inter Scholasticos agitatam definire.

Attamen sententiam in thesi enuntiatam ad Concilii mentem et loquendi rationem longe magis accedere, sic inferri potest. Ex Conc, Flor., « omnia Sacramenta novæ legis tribus perficiuntur, videlicet, *rebus* tanquam *materia, verbis* tanquam *forma,* et persona ministri; quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum : » porro idem Conc. et Conc. Trid. declarant tres actus pœnitentis esse *quasi materiam* Sacramenti Pœnitentiæ, ejusdem vero formam esse absolutionis verba; nec aliquid aliud assignant, quod materiæ vices et locum tenere possit; ergo, ex mente illorum Conciliorum, nec verba absolutionis, nec manus impositio, sed tres actus pœnitentis sunt proxima illius Sacramenti materia.

Insuper illi actus dicuntur esse *quasi* materiam, « non quia *veræ materiæ sacramentalis* rationem non habeant : sed quia ejus generis materia non sit, quæ extrinsecus adhibeatur, ut aqua in Baptismo, chrisma in Confirmatione. » Ita Catech. Rom.

Tandem Conc. Trid. suum decretum deprompsit e S. Th., qui particulam *quasi* usurpat, *Opusc.* 5, et simul expresse docet actus pœnitentis esse proximam Sacramenti Pœnitentiæ materiam : 3 p., q. 84, a. 1. ad. 1, 2; a. 3; q. 90, a. 1.

2° Thesis probatur etiam consensu fere omnium Theologorum, qui floruere post Conc. Trid.

3° Ratione idem innuitur. Etenim 1., ex dictis, n. 53, Sacramentum Pœnitentiæ institutum est per modum judicii reconciliativi, ad quod proinde requiritur, ex parte pœnitentis, *manifestatio* delicti *voluntaria, dolorosa* et *satisfactoria;* ex parte vero judicis, sententia absolutionis : porro illi actus pœnitentis supponuntur sententiæ judicis, et sunt, quoad judicium reconciliativum, veluti quid informe, indeterminatum et inchoatum. donec consummetur causa per absolutionem ; ergo actus pœnitentis rationem materiæ habent respectu absolutionis seu formæ.

2. Actus hujusmodi significant et producunt gratiam huic Sacramento propriam ; ergo sunt partes signi, quod illud Sacramentum constituit. Et quidem *significant.* Nam expressio contritionis seu repudiationis peccati est per se signum interioris expulsionis seu remissionis ejusdem peccati ; exterior autem delicti prolatio per confessionem significat peccatum extra animam ejici ; denique satisfactio seu pœna voluntarie assumpta pro expiatione, pœnæ peccato debitæ remissionem aperte indicat ; ergo, etc.

Producunt etiam. Etenim Conc. Trid. docet *præcipuam* vim hujus Sacramenti positam esse in forma seu absolutione, n. 3 ; ac proinde eo ipso innuit aliquam vim sacramentalem esse in pœnitentis actibus ; ergo tales actus, utpote signa gratiæ huic Sacramento proprie effectiva, ejus proximam materiam constituunt.

3. Inter morbos corporis, alii curari nequeunt absque

remediis externis, v, g., oleo, unguentis, etc.; alii vero curantur ipsis sanandorum actibus, ut motionibus, exercitationibus corporis: porro, similiter, inter morbos animi, alii, ob excellentiam gratiæ, quam requirunt, curari non possunt per gratiam actui humano correspondentem, et ideo ad illam gratiam conferendam aliqua adhibetur externa materia, ut aqua in Baptismo: alii autem sanari possunt per gratiam correspondentem actibus humanis; ergo tunc hujusmodi actus adhibentur tanquam materia ad illam sanitatem conferendam, ut in Sacramento Pœnitentiæ et Matrimonii. S. Th. 3. p., q. 84. a. 1, ad 1, 2; a. 3.

82. — Hinc 1° contritio, confessio *in re,* et satisfactio *in voto* sunt partes hujus Sacramenti *essentiales*.

Etenim, sine confessione, impossibilis est informatio causæ; sine autem contritione et voto satisfaciendi, perfici nequit reconciliatio; ergo sine his tribus proferri non potest sententia reconciliativa seu absolutio, nec ideo constitui Sacramentum Pœnitentiæ.

83. — Hinc 2° satisfactio *in re* non est illius Sacramenti pars essentialis, sed *integralis* tantum.

Peccatum enim remitti potest et reconciliatio perfici, antequam adimpleatur opus satisfactorium a judice impositum ad obtinendam remissionem pœnæ, quæ luenda ordinarie remanet post culpæ condonationem; ergo satisfactio in re non est Sacramenti pars essentialis.

Sed *integralis* tantum. Nam, ex dictis, n. 81, satisfactio non est integra, nec totam suam sortitur significationem et efficientiam, nisi sit in re. Aliunde, ex infra dicendis, satisfactio a judice imposita in vindictam peccati, producit ex opere operato pœnæ temporalis remissionem saltem partialem; ergo adimpletio illius satisfactionis pertinet ad integritatem tum signi, tum effectus sacramentalis.

84. — Hinc 3° contritio, confessio in re et satisfactio in voto *præcedere* debent absolutionem, et *cum ea conjungi*.

-tum est.

Materiam enim judicii hoc præcedere necesse est. Sed insuper, tres illi actus cum absolutione efformant judicium reconciliativum; ergo inter illos et judicis sententiam requiritur unio moralis ad unum actum judicialem constituendum necessaria.

85. — Hinc 4° contritio debet esse *sensibilis*, et *in ordine ad absolutionem* elicita. Certum est.

Et quidem *sensibilis* seu exterius aliquo modo manifestata: alioquin non esset pars signi sensibilis, quod Pœnitentiæ Sacramentum constituit. Manifestatur autem internus dolor et detestatio peccati tum per dolorosam confessionem, tum alio multiplici signo.

Sed insuper *in ordine ad absolutionem elicita*, alioquin ut pars judicii reconciliativi non conciperetur, nec confessio esset dolorosa et sacramentalis, n. 214; Tract. de *Sacram. in genere*, n. 146.

86. — *Quæritur* an ad applicandam formam seu absolutionem, sufficiat *certitudo moralis late sumpta* de præsentia materiæ hujus Sacramenti?

Resp. affirmative, et ita communiter. Namque, in aliis Sacramentis, materia, cum sit physica, absoluta certitudine constare debet; in Pœnitentiæ autem Sacramento, materia moralis est, prout actibus pœnitentis coaslescit; ergo, ut applicetur forma, sufficit de illorum actuum realitate certitudo moralis late sumpta, quæ, scilicet, innititur motivo *gravi* et *comparative probabiliori*, sine aliqua *prudente suspicione* in contrarium.

Et vero, cum præcipuus ex illis actibus seu contritio parum sensibilis plerumque sit, pœnitentes communiter non nisi doloris probabilitatem præ se ferunt; ergo, si non sufficeret moralis certitudo late sumpta, vix unquam posset unus peccator absolvi. Consonat Catech. Rom., n. 82, ubi legitur : « Si, audita confessione (Sacerdos) judicaverit, neque in enumerandis peccatis *diligentiam*, neque in detestandis *dolorem* pœnitenti *omnino defuisse*, absolvere poterit. »

In casu autem *necessitatis*, nequidem requiritur illa certitudo, sed sufficit, ut de indispositione non constet, ex dicendis n. 212; minus est enim malum periculo nullitatis exponi Sacramentum, quam hominem periculo damnationis.

87. — *Obj.* 1° Absolutio, prout est cæremonia externa, proximam constituit Sacramenti Pœnitentiæ materiam, formam vero, prout vim habet significandi; ergo tres actus pœnitentis non sunt proxima materia illius Sacramenti, n. 80.

Resp. Nego ant. Etenim in Sacramentis tam forma, quam materia, debet esse sensibilis, cum utraque concurrant ad signum sensibile efformandum : porro significatio seu vis significativa absolutionis non est quid sensibus pervium; ergo illa significatio non habet rationem formæ.

88. — *Obj.* 2° Manus impositio est materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ; ergo, etc., n. 80.

Resp. Nego ant. Namque nec Conc. Flor., nec Conc. Trid. ullam hujus manus impositionis mentionem faciunt, licet tam accurate ea recenseant, quæ ad illud Sacramentum pertinent. Revera, manuum impositio in sacramentis Ecclesiæ adhibetur ad aliquem copiosam gratiæ effectum, uti in Confirmatione, in Ordine : at Pœnitentia ordinatur tantum ad peccati remissionem; et ideo manuum impositio non est de ejus essentia, sed mera cæremonia, quæ tamen omitti non debet, tum quia est antiquissima et probabiliter ducit originem ab apostolica traditione; tum quia tutius est eam retinere, quam negligendo eam omittere; tum quia significat auctoritatem Sacerdotis per modum judicii absolventis.

Ex hac accidentali cæremonia interdum a SS. patribus illud sacramentum appellatur *manus impositio*, vel per manuum impositionem designatur, sicut ipsa Eucharistia a SS. Patribus aliquando vocatur *benedictio*, *Eulogia*, quia in eo conficiendo benedictio adhibetur. S. Th. 3. p. q. 84, a 4.

89. — *Obj.* 3° Actus pœnitentis, si sint materia proxima Sacramenti, concurrunt ex opere operato ad effectum sacramentalem, ac proinde ipse pœnitens sibimet confert gratiam ex opere operato : atqui tamen hoc proprium est ministri; ergo actus pœnitentis non sunt materia proxima.

Resp. Neg. maj. Ille solus proprie dat gratiam, qui remittit peccatum : atqui solus Sacerdos absolvit seu remittit pec-

catum; ergo solus Sacerdos vere et proprie confert gratiam peccati remissivam. Et vero, actus pœnitentis non concurrunt ad gratiam, nisi quatenus conjunguntur cum forma, et per eam quasi elevantur ad talem effectum : atqui solus Sacerdos ponit formam, et ideo solus active perficit illam unionem et dat efficaciam actibus pœnitentis; ergo collatio gratiæ soli Sacerdoti ut active operanti seu ministro tribuenda est.

90. — *Obj.* 4° Juxta Conc. Trid., n. 4, 5, 8, actus pœnitentis sunt dispositiones ad rite suscipiendum Pœnitentiæ Sacramentum : atqui dispositio ad Sacramentum non est ejus materia; ergo, etc.

Resp. Dist. maj. Actus pœnitentis sunt dispositiones ad recipiendum fructum illius Sacramenti, et simul materia ad ipsum Sacramentum constituendum, *conc.;* sunt dispositiones tantum ad fructum Sacramenti, *nego.* Concilium enim Trid. indicat, ut vidimus, illos actus esse materiam Pœnitentiæ, et infra probabitur eosdem actus esse ad ejusdem Sacramenti fructum necessarias dispositiones, n. 131.

CAPUT III

DE FORMA SACRAMENTI POENITENTIÆ

In duplici articulo dicemus, 1° de forma tum rubricali, tum essentiali hujus Sacramenti; 2° de eadem forma sub conditione applicata.

ARTICULUS PRIMUS

De forma sive rubricali, sive essentiali Sacramenti Pœnitentiæ.

Duplex est forma hujusce Sacramenti, præceptiva seu rubricalis, et essentialis ad valorem sacramenti. Unde

91. — *Quæritur* quænam sit *forma rubricalis* Sacramenti Pœnitentiæ?

Resp. Rubricalis forma sic in Rituali Romano exponitur. Sacerdos, cum pœnitentem absolvere voluerit, injuncta ei prius et ab eo accepta pœnitentia salutari, primo dicit :

Misereatur tui omnipotens Deus, et, dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. Amen.

Deinde, dextera versus pœnitentem elevata, dicit :

Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Dominus noster Jesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, (suspensionis), et interdicti, inquantum possum, et tu indiges; deinde, *ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris †, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

« Passio Domini nostri Jesu Christi. merita Beatæ Mariæ Virginis, et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, et præmium vitæ æternæ. Amen. »

Porro 1. omittenda est vox *suspensionis,* si pœnitens sit laicus ; 2. in confessionibus frequentioribus et brevioribus, omitti possunt *Misereatur,* etc., et *Indulgentiam,* etc., atque sufficit dicere : *Dominus noster,* etc. ; 3. urgente gravi necessitate ex periculo mortis, breviter dici potest : *Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, amen;* 4. verba : *Passio Domini,* etc., juxta probabilem sententiam, elevant bona opera pœnitentis ad meritum satisfactionis sacramentalis, n. 275 ; et ideo convenit, ut quam rarissime omittantur.

Quænam autem ex verbis illius formæ rubricalis constituant formam essentialem ad valorem sacramenti, sic statuitur :

PROPOSITIO

92. — *Essentialis forma sunt verba* te absolvo, *quæ omnino requiruntur et sufficiunt.*

1° *Requiruntur* quidem, ut de fide constat. Etenim Conc. Flor. et Trid., n. 3, declarant « formam Sacramenti Pœnitentiæ esse verba absolutionis, quæ Sacerdos profert, cum dicit : *Ego te absolvo, etc.;* » ergo hæc verba omnino requiruntur.

Et vero, sine verbo *absolvo*, non significatur actus judicialis, nec principalis effectus Sacramenti seu absolutio a peccatis. Sine autem pronomine *te*, non exprimitur persona circa quam exercetur judicium, nec ideo absolutio practica et in particulari, sicut requiritur ad omnem actum judicialem ; ergo, etc.

2° *Sufficiunt* autem probabilius, ita ut non necessaria sint verba, *a peccatis tuis*. Namque forma *Te absolvo*, càdere debet veluti sententia super confessionem, cum qua moraliter conjungitur, n. 84, ad eumdem et completum judicialem actum efformandum ; ergo, ex hac unione cum peccatorum accusatione, illa verba determinate et ideo sufficienter significant absolutionem a peccatis, et quidem in tali causa et materia.

Aliunde, si particulæ, *a peccatis*, voces essentiales fuissent, dubio procul eas expressissent Conc. Flor. et Trid. in decreto, necnon et Catech. Rom,, qui dicit : « Est autem forma : *Ego te absolvo.* » Ipsum verbum, *absolvo*, absolute prolatum, juxta sensum communem designat absolutionem a culpa. S. Th. 3 p. q. 84, a. 3.

Attamen sententia quæ tenet verba, *a peccatis*, esse formæ essentialia, non est omnino improbabilis ; et ideo peccaret graviter, qui ea omitteret, et repetenda esset absolutio sub conditione. Unde Conc. Flor, et Trid., definiendo hujus Sacramenti formam consistere in verbis *Ego te absolvo*, addiderunt particulam *etc.*, vel, scilicet, ut abstraherent a controversia Theologorum circa voces *a peccatis ;* vel ut significarent eas, licet non essentiales, tamen non esse omittendas.

Pronomen autem *ego* non est de essentia formæ ; nihil enim addit verbo *absolvo*, in quo intrinsece includitur, sufficienterque intelligitur.

Similiter verba *in nomine Patris*, etc., quibus significatur Sacerdotem operari ut causam instrumentalem tantum, juxta omnes non sunt essentialia, tum quia eorum necessitas neque in verbis Christi, sicut pro Baptismo, neque in Ecclesiæ traditione fundamentum habet ; tum quia potestas ministerialis tantum sufficienter determinatur per

Sacerdotis intentionem; tum quia hic non adest specialis ratio, ob quam explicite requiritur invocatio SS. Trinitatis in Baptismo; vide Tract. *de Bapt.*, n. 50; S. Th., *ibid.*

93. — Hinc 1° verba, *te absolvo, formaliter* tantum sumpta seu quoad sensum, sunt essentialia; nam æquipollentia possunt sufficere.

Materialiter autem sumpta, sunt de necessitate præcepti, propter universalem usum Ecclesiæ, Conciliorum doctrinam, et reverentiam Sacramentis debitam. Unde, juxta Suarez, *de Pœnit.*, disput. 17, sect. 1, mutatio talium verborum per æquivalentia, nunquam potest moraliter fieri absque peccato ex genere suo mortali, cum nulla hujusmodi mutationis possit esse rationabilis causa.

Revera, verbum *absolvo* maxime convenit formæ hujus Sacramenti. Namque 1. Christus non solum usus est verbo *remittendi*, sed etiam *absolvendi*, quando claves promisit. dicendo : « Tibi dabo claves... et quodcunque *solveris*, etc. : » porro Ecclesia ex hoc loco illam formam sumpsit, ut apertius constaret hanc absolutionem potissimum esse actum clavium. S. Th. 3 p., q. 84, a. 3.

2. Verbum *remitto* in rigore aut saltem exclusive non significat actum judicialem. Creditor enim aut persona offensa dicitur remittere debitum aut injuriam, quin actum judicis exerceat. Verbum autem *absolvo*, juxta communem sensum, significat actum judicialem, quo reo conceditur plena libertas. Ad validitatem tamen sufficeret verbum *remitto*, ut patet ex verbis Christi, *Quorum remiseritis*, etc.

3. In Scriptura, non solum pœna, sed etiam et in primis peccatum dicitur vinculum : *Dissolvite colligationes impietatis;* Isa. 58, ℣ 6. *Funes peccatorum circumplexi sunt me;* Ps. 118, ℣ 61. Peccata enim ita hominem constringunt ad supplicium, ut, illis manentibus, evadere nullo modo possit, atque, sicut vincula, retinent hominem sub servitute dæmonis, eumque impediunt a bene merendo coram Deo. Ergo convenientissime hujus Sacramenti forma verbo *absolvo* instituta est.

94. — Hinc 2° *invalida* est forma *deprecatoria*, v. g., *absolvat te Deus*. Ita saltem probabilius.

Etenim 1. per verba, *Quorum remiseritis*, etc., Christus non dedit potestatem impetrandi, sed adsolvendi; ergo illius potestatis actus exprimi debet per modum, quo ipsa actio faciendi indicetur.

2. Conc. Trid. definivit absolutionem sacramentalem esse actum *judicialem*, n. 18 : atqui judex non profert sententiam deprecando, sed solvendo vel ligando; ergo, etc. Et revera Sacramenta novæ legis significare debent id, quod minister facit : porro minister in hoc Sacramento peccata remittit; ergo, etc. Propterea, ex Conc. Flor. et Trid., sola forma indicativa ut vera hujus Sacramenti forma præscribitur. In Sacramento autem Extremæ Unctionis deprecatoria requiritur forma, ob rationes huic Sacramento proprias. Vide Tract. *de Extr. Unct.*

95. — Hinc 3° invalida est absolutio *nutu* aut *scripto* data, et non *voce* prolata. Certum est.

Constat ex perpetua Ecclesiæ praxi, ex decreto Conc. Flor., ubi dicit « formam illius Sacramenti esse *verba*, quæ Sacerdos *profert*, cum dicit : *Ego te absolvo, etc.;* » additque in omnibus Sacramentis requiri verba pro forma, excepto Matrimonio, in quo nutus sufficiunt. Idem colligitur ex Conc. Trid., n. 3. In Matrimonio autem forma consistere potest in nutu aut scripto, ob rationes huic Sacramento proprias.

96. — *Quæritur* 1° an invalida sit absolutio *absenti* data, et an requiratur saltem præsentia *moralis?*

Resp. affirmative, et certum est. Etenim 1., ex dictis n. 92, pronomen *te* est de essentia formæ : atqui hoc pronomen ad præsentem tantum dirigitur; ergo, etc.

Idem evincitur ex damnatione propositionis sequentis : « Licet per litteras, seu per internuntium, Confessario *absenti* peccata sua sacramentaliter confiteri, et ab eodem *absente* absolutionem petere. » Quam propositionem damnavit Clemens VIII, an 1602, ad minus ut falsam, temera-

riam, scandalosam; imo sub pœna excommunicationis prohibuit, ne quisquam sententiam hanc ut probabilem publice aut privatim doceat, aut defendat, aut ea ullo *unquam casu* ad praxim deducatur; et Paulus V, an. 1605, declaravit illam prohibitionem intelligendam esse non solum de confessione et absolutione simul sumptis, sed etiam de iisdem acceptis separatim ac divisim : porro, si talis absolutio non esset semper invalida, S. Pontifex nec debuisset, nec potuisset illius usum pro omni casu etiam extremæ necessitatis prohibere.

2. Ad validam autem absolutionem non requiritur præsentia physica in eodem loco, sed *moralis* tantum, ita ut, juxta moralem hominum æstimationem, verba *te absolvo*, censeantur cadere in pœnitentem : atqui sufficiens reputatur illa moralis præsentia, intra quam homines communi voce, licet altiori, loqui possunt et solent. Multi eam extendunt usque ad viginti aut etiam triginta circiter passus, præsertim si pœnitens non sit extra aspectum Confessarii; non enim opus est, ut pœnitentes audiant absolutionis verba. In necessitate, absolvi potest et debet pœnitens, quoties aliquo sensu percipitur. Ita S. Ligor., n. 429, et communiter.

Itaque 1. absolvendus est ille, qui videtur e tecto ruere, in flumen cadere, in mare submergi, saltem si non procul a Confessario distet. 2. Si Confessarius, ob periculum infectionis, aut ob aliam causam, non possit infirmi cubiculum ingredi, illum ex janua absolvere debet. 3. Si pœnitens recederet a Confessario non adhuc absolutus, se absolutum existimans, absolvendus esset, si parum distans aspiceretur, aut certo sciretur adesse intra vicinam turbam; revocandus tamen foret, si commode posset fieri. S. Ligor., *ibid*.

97. — *Quæritur* 2° an valida sit *collectiva* absolutio, v. g., *ego vos absolvo a peccatis vestris?*

Resp. affirmative, et certum est. Omnia enim ad validitatem requisita reperiuntur in illa forma; atque ideo licitum est eam usurpare in casu necessitatis, ut in naufragio,

ante prælium, in ipso prælio, etc. Et vero, talis absolutio multiplex est, non quidem formaliter, sed virtualiter et æquivalenter, atque tot essent Sacramenta quot homines, qui aliquam confessionem et contritionem ponerent.

98. — *Quæritur* 3° an valide absolvatur pœnitens tam a censuris quam a peccatis, per verba : *Te absolvo a peccatis tuis?*

Resp. affirmative, et ita communiter. Etenim hæc verba involvunt absolutionem a quocunque vinculo ex peccatis orto; et nihil obstat, quin Confessarius dirigat intentionem ad absolutionem tum peccatorum, tum censurarum.

99. — *Quæritur* 4° an valida sit absolutio, si Confessarius *prius* absolvat a *peccatis*, quam a *censuris?*

Resp. affirmative, et ita communiter. Namque censura non obstat validitati Sacramenti, sed tantum licitæ susceptioni, vel administrationi. Si agatur tantum de excommunicatione, peccaret graviter, qui vellet prius absolvere a peccatis, quam a censuris, quia contra gravem Ecclesiæ prohibitionem ageret. Suspensio et interdictum non privant per se receptione Sacramenti Pœnitentiæ.

ARTICULUS II

De forma conditionata Sacramenti Pœnitentiæ.

Quæstio moveri potest de validitate, et de licitate absolutionis conditionatæ. Unde

§ I

De validitate Absolutionis conditionatæ.

100. — *Quæritur* an valida sit absolutio sub conditione *de futuro*, vel de *præsenti*, vel de *præterito?*

Resp. 1. Semper invalida est absolutio concessa sub conditione de *futuro incerto*. Nam talis conditio est suspensiva effectus sacramentalis; ergo Sacramentum eo tempore, quo conficitur, non sortitur suum effectum : adveniente autem conditione, jam non existit Sacramentum; ac proinde hoc instanti nihil etiam producitur.

Res aliter se habet in Sacramento Matrimonii et in contractibus, eo quod consensus, in quo reponuntur materia et forma Matrimonii et essentia contractus perseverat, durante conditione, et, conditione adveniente, fit absolutus.

2. Si conditio sit de *præsenti* aut *præterito*, quidam distinguunt. Scilicet, vel conditio est *facti*, seu de rebus quæ judicio Confessarii non subjiciuntur, v. g., si vivis, si capax es; et tunc valida est absolutio : vel conditio est *juris*, seu de rebus quæ judicio Confessarii subjiciuntur, v. g., si sis dispositus; et tunc invalida est absolutio.

Etenim judicium quodlibet de natura sua est absolutum; et præsertim quando conditio non apponitur, nisi de rebus quæ examini et sententiæ judicis subjiciuntur; sic, v. g., nulla foret sententia judicis civilis qui diceret : Si es innocens, te absolvo; hoc tibi adjudico, si tuum est.

Juxta autem communiorem et veram sententiam, valida est *in omni casu* absolutio sub conditione de *præsenti* aut *præterito*.

Etenim illa conditio nullatenus afficit formam sacramentalem, nec ideo ejus sensum mutat, sed afficit tantum voluntatem Confessarii, qui non intendit absolvere, nisi hic et nunc adimpleatur apposita conditio : porro, vel hic et nunc revera adimpletur apposita conditio, et tunc absolutio ore conditionata, in re est absoluta; vel non hic et nunc adimpletur conditio, et tunc in re nulla profertur sententia; ergo nihil in tali conditione reperitur, quod absolutionis validitati officere possit. Vide Tract. *de Sacram. in genere*, n. 117.

Nec datur rigorosa comparatio inter judicium civile et judicium sacramentale; sed in nonnullis differunt, et præsertim sub respectu, de quo agitur. Judicis enim civilis sententia suum effectum sortitur apud homines, atque ab hominibus exsecutioni mandatur; ideoque necesse est quod pro hominibus sit absoluta seu plane determinata. Sententia autem in foro pœnitentiæ suum effectum sortitur apud Deum, et ab ipso Deo exsecutioni mandatur; unde non essentialiter requiritur, ut pro hominibus sit absoluta seu plane determinata.

§ II

De licitate Absolutionis conditionatæ.

101. — Ex thesi præcedenti, hic agitur tantum de absolutione sub conditione de præsenti aut de præterito, seu quæ, etsi sub conditione, nihilominus valida est. De usu autem conditionatæ absolutionis quæstio moveri nequit nisi ratione alicujus dubii de validitate aut de effectu Sacramenti. Unde inquirendum est an in omni dubio seu ordinarie absolutio conditionata sit licita, an aliquando saltem, imo an aliquoties sit obligatoria.

PROPOSITIO

102. — *Absolutio conditionata ordinarie est illicita ; aliquando tamen est licita, imo et obligatoria.* Certum est.

Et quidem 1° *ordinarie est illicita*, seu non sufficit quodlibet dubium de validitate aut effectu Sacramenti, ut sit licita. Constat. 1. *ex natura ipsius Sacramenti Pœnitentiæ*. Etenim Christus ita instituit Pœnitentiæ Sacramentum, ut per modum judicii sit conferendum : atqui omne judicium per se et regulariter est absolutum : ergo, saltem ordinarie, judicium etiam in foro interno debet esse absolutum,

2. *Ex omnium consensu et praxi.* Nam, vel Confessarius de validitate et opportunitate absolutionis concedendæ moraliter certus est, vel dubitat : si prius, juxta omnes, absolvere debet sine conditione ; si posterius, regulariter ab absolutione abstinendum est, juxta omnes, et revera talis est omnium Confessariorum praxis.

3. *Ex consectariis.* Confessarius, ut sapiens et fidelis dispensator, omni studio curare tenetur, ut cum fructu Sacramentum conferatur ; nec minus ipse pœnitens tenetur ad hoc Sacramentum bene dispositus accedere : atqui, posito quod fere in omni dubio de validitate Sacramenti aut de sufficienti dispositione pœnitentis, liceat sub conditione absolvere, eo ipso via lata patet facilitati absolvendi, segnioresque fiunt et Confessarii et pœnitentes ad sufficientem dispositionem promovendam et acquirendam ; atque

ideo sæpe sæpius non solum absolutio, sed præsertim sacra Communio indigne reciperentur; ergo rejicienda est ut laxismi plena et animarum perniciés nonnullorum sententia, quæ tenet absolutionem sub conditione dari posse levi de causa, et fere in omni dubio de sufficienti pœnitentis dispositione.

2° *Aliquando tamen est licita.* Etenim quod est ordinarie illicitum, fit licitum urgente necessitate aut ex aliqua gravi causa, modo non sit intrinsece malum : atqui absolutio sub conditione de præsenti aut de præterito est nihilominus valida, ideoque non intrinsece illicita; ergo licita fieri potest ex aliqua gravi causa. In hoc consentiunt omnes Theologi,

3° *Aliquando etiam est obligatoria.* Nam fieri potest quod pœnitens summopere indigeat absolutione; et tamen absoluta absolutio ei concedi nequeat, quin Sacramentum periculo nullitatis exponatur : porro in tali casu denegari nequit absolutio, nec absolutio absoluta concedi; ergo tunc urget obligatio et absolvendi pœnitentem, et eum absolvendi sub conditione.

103. — *Quæritur* autem 1° *quandonam* absolutio sub conditione sit *licita, quandonam obligatoria ?*

Resp. 1. Licita est absolutio conditionata, quoties absolute concessa exponeret Sacramentum periculo nullitatis; et absolute negata, privaret pœnitentem aliquo bono spirituali *notabili* quidem, sed non *necessario.*

Etenim, ex una parte, ob notabile bonum pœnitentis, adest ratio sufficiens, non tamen obligatio eum absolvendi; ex altera vero, ob periculum nullitatis, cui exponeretur Sacramentum, conferri nequit sub forma absoluta; ergo tunc Confessarius non tenetur quidem, sed potest pœnitentem absolvere; et posito quod eum absolvat, debet uti absolutione conditionata. In hoc sensu dicimus absolutionem sub conditione esse licitam, seu ea uti *posse* Confessarium.

2. Obligatoria est absolutio conditionata, quoties absolute concessa, exponeret Sacramentum periculo nullitatis,

et absolute negata exponeret pœnitentem periculo *gravis* damni spiritualis.

Etenim, ex una parte, ad hoc grave damnum a pœnitente avertendum, Confessarius debet absolvere pœnitentem; ex altera vero, ob periculum nullitatis, cui exponeretur Sacramentum, absoluta pronuntiari nequit absolutio: ergo Confessarius *tenetur* et absolvere pœnitentem, et eum absolvere sub conditione: in hoc sensu dicimus obligatoriam esse absolutionem sub conditione, seu ea uti *debere* Confessarium.

104. — Hinc *debet* conferri absolutio conditionata 1. in dubio an pœnitens sit vivus, an mortuus; an moriens sensibus destitutus, sit capax Sacramenti; an pœnitens usu rationis fruatur, ut puer, semifatuus; an pœnitens in periculo mortis constitutus, sit moraliter præsens; 2. in dubio de sufficienti dispositione in pœnitente, si hic versetur in extrema et etiam simpliciter gravi necessitate; v. g., mulier in partu difficili, nauta aut alius quis in longam navigationem profecturus, miles ante prælium, infirmus ante operationem chirurgicam valde periculosam, a fortiori reus capite plectendus, *semifatui* aut *pueri*, si versentur in periculo mortis.

Potest autem conferri absolutio conditionata 1. in dubio an pœnitens versans in mortali fuerit rite absolutus; 2. in dubio jurisdictionis ex parte confessarii, quando pœnitens diu carebit absolutione, nisi hic et nunc absolvatur. Sunt etiam alii speciales casus, in quibus licet sub conditione absolvere, et de quibus in suo loco dicetur, n. 192, 211, 212, 213, 244, 358.

105. — *Quæritur* 2° an pœnitens sub conditione absolutus, præsertim in dubio de sufficienti dispositione, possit ad *sacram Communionem* accedere?

Resp. Confessarius nec consulere, nec positive permittere potest sacram Communionem post hujusmodi absolutionem; imo prudenter inducere debet pœnitentem ad remittendam Communionem, donec per novam confessionem melius sit dispositus. Ita communiter.

Etenim ad sacram Communionem requiritur status gratiæ prudenter existimatus, ex dictis in Tract. *de Euchar.*, n. 120 : atqui Confessarius dubitans de sufficiente dispositione pœnitentis, non potest simul prudenter existimare seu moraliter certus esse, quod ille pœnitens sit in statu gratiæ ; ergo in hoc casu nec consulere, nec positive permittere potest sacram Communionem.

Aliunde, sacra Communio non est tam necessaria quam Pœnitentiæ Sacramentum, ideoque adesse possunt rationes ad conditionatam absolutionem recipiendam, quæ non sufficiant ad sacram Communionem post absolutionem dubie validam.

Si vero pœnitens sub conditione seu dubie absolutus, Eucharistiam recipere appetit, sive ad scandalum reparandum, sive ad præbendum filiis suis exemplum, sive ob periculum in quo versatur, licet Confessario illum a sacra synaxi non removere, præsertim quando prudenter timetur quod, si removeatur, in aliqualem veniat desperationem, aut animi dejectionem.

In hoc enim casu, sacra Communio, ob bonam fidem, non erit sacrilega, sed nulla, seu nullos fructus producet. Imo, juxta probabiliorem sententiam, si communicans sit ex bona fide attritus tantum, per Communionem justificatur, ex dictis in Tract. *de Euchar.*, n. 86 : porro, accedendo ad Eucharistiam, facilior est attritio, ob pios motus doloris et amoris, quos ad sacram mensam accessus excitare solet ; in hoc casu sufficiens adest ratio, ut permissive se habeat Confessarius.

106. — *Quæritur* 3° an pœnitens sub conditione absolutus teneatur iterum confiteri sua peccata sic dubie remissa ?

Resp. negative, nisi de invaliditate absolutionis conditionatæ constet, ex dicendis n. 238. Et vero, si hæc absolutio fuerit invalida, etiamsi non iteretur Confessio, nihilominus peccata jam declarata et dubie remissa, indirecte dimittentur per subsequentem absolutionem.

CAPUT IV

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

In quatuor articulis dicemus, 1° de gratia per illud Sacramentum collata; 2° de peccatis per hanc gratiam remissis; 3° de pœnarum remissione, et de pronitatis ad malum sanatione, quæ illorum peccatorum remissionem consequuntur; 4° de meritorum mortificatorum reviviscentia, per ejusdem gratiæ collationem et peccatorum remissionem.

ARTICULUS PRIMUS

De gratia per Sacramentum Pœnitentiæ collata.

PROPOSITIO

107. — *Sacramentum Pœnitentiæ confert gratiam primam ex se peccati mortalis post Baptismum commissi remissivam.* De fide est.

Etenim 1°, ex dictis n. 53, 63, Pœnitentia est verum Sacramentum novæ legis, et quidem institutum ad tollenda peccata mortalia post Baptismum commissa : atqui omnia Sacramenta novæ legis gratiam sanctificantem producunt ex opere operato, ut dictum est in Tract. *de Sacram. in genere*, n. 51 ; nec ullum remittitur mortale peccatum, nisi per infusionem gratiæ primæ seu justificantis, ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 304; ergo Sacramentum Pœnitentiæ confert gratiam primam ex se peccati mortalis post Baptismum commissi remissivam.

2° Idem constat ex Conc. Trid., quod declarat « *res* et *effectus* hujus Sacramenti, quantum ad ejus *vim* et *efficaciam* pertinet, *reconciliationem esse cum Deo,* quam interdum in viris piis et cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, *conscientiæ pax* ac *serenitas* cum *vehementi* spiritus *consolatione* consequi solet, » n. 3 ; ideo definitum est « Sacramentum Pœnitentiæ fuisse a Christo institutum pro *fidelibus*, quoties post Baptismum in peccata labuntur, *ipsis Deo reconciliandis ;* » n. 10,

3° Revera peccatum, cum sit aliquid negativum, atque, in statu præsenti, ex culpabili gratiæ sanctificantis amissione constitutum, tolli non potest nisi per infusionem ejusdem gratiæ; ergo primarius effectus potestatis clavium est infusio gratiæ primæ, quæ peccatum post Baptisma commissum expellit. Sic tenebræ per luminis introductionem evanescunt, et quilibet defectus per contrariæ perfectionis recuperationem tollitur.

108. — Hinc 1° gratia huic Sacramento propria est non regenerationis, sed *resurrectionis, sanationis* et *reconciliationis*. Certum est.

Constat ex declaratione et definitione jam allata Conc. Trid., et omnium consensu.

Et revera, qui *generatur*, vitam prima vice accipit, et nullo modo ad illam vitam constituendam cooperatur : nulla res enim seipsam generat. Qui autem *resurgit*, vitam jam antea præhabitam recuperat. Qui *sanatur*, ad vitæ recuperationem ipse aliquo modo cooperatur; sic, in corporalibus, sanatio producitur vel sola virtute naturæ, vel naturæ virtute simul et exteriori beneficio medicinæ. Denique *reconciliatur* ille, qui personæ ab ipso offensæ, inquantum potest, satisfacit, atque ideo redintegratur in amicitia præexistente, sed per injuriam dissoluta.

Porro, in Baptismo, prima vice vita divina in homine infunditur, atque ad hujus vitæ constitutionem nullo modo concurrit ille, qui baptizatur, ut patet ex parvulorum Baptismo; si autem in adultis baptizandis quædam requirantur dispositiones, hoc interest tantum ad removendum obicem ; ergo gratia Baptismo propria est divinæ *regenerationis*, ut dictum est in Tract. *de Bapt.*, n. 61.

Per Sacramentum autem Pœnitentiæ, vita divina non infunditur prima vice, sed jam infusa per Baptismum, et amissa per subsequens peccatum, recuperatur; ergo gratia Pœnitentiæ propria non est regenerationis, sed divinæ *resurrectionis*.

Ad hujus vitæ recuperationem pœnitens concurrit per actus contritionis, confessionis et satisfactionis, qui sunt

non solum dispositiones ad removendum obicem, sed etiam instrumentalis causa vitæ, seu pars signi illius vitæ restaurativi; ergo Sacramentum Pœnitentiæ confert gratiam primam per modum divinæ *sanationis.*

Denique, per illos actus, homo peccator, quantum in se est, Deo satisfacit, atque ratione illius satisfactionis junctæ cum absolutione, redintegratur in amicitia divina; ergo Sacramentum illa sensibili satisfactione et hac absolutione constitutum, confert gratiam primam per modum divinæ *reconciliationis.*

109. — Hinc 2° gratiæ sanctificanti per modum resurrectionis, sanationis et reconciliationis virtute illius Sacramenti collatæ, correspondet *jus* ad recipiendas tempore opportuno *gratias actuales* ejusdem modi. Certum est.

Nam, qui illam gratiam sanctificantem recuperavit, tenetur deinceps non mori, et perficere sanationem, et amicitiam fideliter servare, sive per constantem et etiam pleniorem præteritorum peccatorum detestationem et pro eis satisfactionem, sive per eorumdem fugam in posterum, ac studiosam recuperatæ vitæ conservationem : porro ad hujusmodi opera supernaturalis resurrectionis, sanationis et amicitiæ, necessaria est gratia actualis ejusdem modi; ergo gratiæ sanctificanti per Sacramentum Pœnitentiæ collatæ, correspondet jus ad gratias actuales operibus supernaturalis resurrectionis, sanationis et amicitiæ proportionatas.

110. — Hinc 3° sensus formæ : *Te absolvo a peccatis tuis,* iste est : *Ego tibi confero gratiam sanctificantem ex se peccatorum tuorum remissivam.*

Equidem verbum *absolvo,* significare videtur tantum vinculi solutionem seu remissionem peccati, n. 93 : at peccatum non remittitur, nec ideo solvitur anima, nisi per infusionem gratiæ sanctificantis; ergo vi illius verbi primario significatur gratia sanctificans ad peccati post Baptismum commissi remissionem ordinata.

Præterea absolutio directe cadit super accusationem, quæ illam quodam modo determinat, n. 81 ; ergo forma abso-

lutionis per se primario significat gratiam remissivam peccatorum, quæ pœnitens confessus est. Hæc autem gratia, cum sit ipsius personæ sanctificatio, in anima coexistere nequit cum aliqua mortali culpa; ergo illa forma secundario et per accidens significat gratiam remissivam illorum etiam peccatorum mortalium, quæ, in Confessione ex bona fide non declarata, tamen indirecte et consequenter per absolutionem remittuntur.

111. — Hinc 4° forma absolutionis vera est, etiamsi ponatur obex, vel nullum adsit remittendum peccatum.

Semper enim illa forma significat, et, quantum in se est, producit gratiam peccati remissivam. In hoc sensu verba, *te absolvo*, sunt istis æquivalentia : *Sacramentum absolutionis tibi impendo;* S. Th., 3 p., q. 84, a. 3, ad 5.

ARTICULUS II

De peccatis per Sacramentum Pœnitentiæ remissis.

112. — Circa peccati mortalis post Baptismum commissi remissionem, triplex fuit error. Alii senserunt nullum peccatum mortale posse remitti post Baptismum; alii vero propugnarunt Sacramentum Pœnitentiæ remittere quidem regulariter peccata mortalia, non tamen quædam gravissima; alii tandem putant hoc Sacramentum semel tantum sufficere ad gratiam reconciliationis conferendam, ita ut non sit iterabile.

Primus error jam directe confutatus manet ex dictis n. 53, 107. Exinde etiam colligitur secundæ et tertiæ assertionis falsitas, quæ directe constabit ex duplici propositione sequenti.

PROPOSITIO PRIMA

113. — *Sacramentum Pœnitentiæ vim habet per se remittendi omnia peccata, quamtumvis gravia et multa.* De fide est.

Prob. 1° *Script. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis;* Joan., 20, ℣ 23 : porro in his verbis Christus, Ecclesiæ tribuendo potestatem clavium in foro interno et externo,

non solum nullam restrictionem fecit, sed etiam omnem explosit : ergo peccata quantumvis gravia et multa per illam potestatem remittuntur.

2° *Traditione*. « Quæcunque solveritis, *omnino nihil* excipit ; *quæcunque*, inquit, vel *magna*, vel *modica*, » S. Pacianus, *Epist. 3*, — « Deus *distinctionem non facit*, qui relaxandi licentiam Sacerdotibus *sine ulla exceptione* commisit ; » S. Ambros., *de Pœnit.*, c. 1. — « Nec eos audiamus, qui negant Ecclesiam Dei *omnia peccata posse dimittere ;* » S. August., *de Agone Christ.*. c. 31.

Idem constat ex damnatione Novatianorum, et ex Conc. Trid., quod definivit « Pœnitentiam esse verum Sacramentum pro fidelibus, *quoties* post Baptismum *in peccata* labuntur, ipsi Deo reconciliandis ; » n. 1, 10.

Et vero, peccata quæ hæreticis irremissibilia videntur, inveniuntur remissa sive in novo Testamento, sive in Traditione; v. g., gravissimum crimen incestus apud Corinthios, II Cor. 2, ℣ 7 ; crimen hæresis, II Tim. 2, ℣ 25, etc.

3° *Ration. theol.* Aliquod peccatum esset irremissibile vel ob impossibilitatem concipiendi contritionem ad effectum illius Sacramenti necessariam, vel ob defectum gratiæ ex parte Sacramenti : atqui neutrum dici potest.

Non *prius* quidem. Namque ad illam attritionem sufficiunt liberum arbitrium, quod semper inest homini viatori, et virtus gratiæ, qua cor hominis *vertitur quocunque Deus voluerit ;* Prov. 21, ℣ 1. Unde reprobatur verbum Cain dicentis : « *Major* est iniquitas mea, quam ut *veniam* merear ; » Gen. 4. ℣ 13.

Nec *posterius*. Hoc enim Sacramentum, sicut et cætera, per virtutem passionis Christi operatur : porro « Christus est *propitiatio pro peccatis nostris*, non pro nostris autem tantum, sed etiam *pro totius mundi*, » I Joan. 2, ℣ 2 ; vide Tract. *de Incarn.*, n. 200 ; ergo Pœnitentiæ Sacramento inest gratia cujuslibet peccati ex se remissiva.

Et vero, divinæ misericordiæ repugnat, quod vincatur Deus quodammodo ab homine ; « Deus quia *benignus* et *misericors* est, et *patiens* et *multæ misericordiæ*, et *præstabilis super malitia* ; » Joel, 2, ℣ 13 : atqui ita vinceretur *Deus*,

si homo peccatum deleri vellet, quod delere non vellet Deus, gratiam peccati remissivam denegando; ergo, ex parte Sacramenti, non deficit gratia cujuscunque peccati ex se remissiva.

114. — *Obj.* In Scriptura sic habetur : « Qui dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, *non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro*, » Matth. 12, ℣ 32; ergo sunt peccata irremissibilia.

Resp. Nego conseq. Etenim, in illo textu, agitur vel de impœnitentia finali, ut putat S. Augustinus; vel de peccato ex malitia et obstinatione cordis, quod speciali modo opponitur hominis sanctificationi et peccati remissioni, quæ Spiritui Sancto appropriatur, ut volunt Scholastici; vel de malitia et duritie cordis, ex qua spiritui malo tribuuntur divina et supernaturalia opera, quæ Spiritus Sanctus ad confirmandam fidem aut ad peccatores convertendos ex speciali providentia operatur, ut sentiunt SS. Athan., Basilius, Chrysost., Th., 3 p. q. 86, a. 1, ad 3; et hæc expositio contextui multo magis cohæret, ut perlegenti facile apparet.

Porro 1. impœnitentiæ finalis peccatum omnino irremissibile est, in hac vita quidem, ut patet; in altera etiam, cum post vitæ præsentis finem, non sit applicatio Sacramenti, nec peccati remissio.

2. Peccatum autem ex malitia et duritie cordis, juxta alias interpretationes in allato textu significatum, dicitur irremissibile, eo sensu tantum quod difficile tollatur : homini enim sic disposito longe difficilius est veram pœnitentiam concipere. Ita SS. Cypr., Chrysost., Th., Suarez, etc.

Idem peccatum ideo dicitur non remitti in hoc seculo, neque in futuro, quia in hac et in altera vita punitur. Scilicet, Deus quædam peccata dissimulat in hac vita, ut puniat in futura : quædam vero punit in hac vita, ne puniat in futura : atqui peccatum ex malitia et duritie cordis ordinarie punitur in hoc seculo et in futuro, quia nullam excusationem habet, unde minuatur ejus pœna. Et revera hujusmodi peccatum Judæis non remissum fuit in hoc seculo, neque in futuro, quum passi sint pœnam et in præsenti vita per Romanos, et in futura vita per pœnam inferi; S. Th. 2. 2, q. 14, a. 3; 3 p., q. 6, a. 1, ad 3.

PROPOSITIO II

115. — *Sacramentum Pœnitentiæ est iterabile, seu, quoties homo peccaverit, sufficiens est ad tollenda peccata.* De fide est.

Prob. 1° *Script.* *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, etc. : porro, illis verbis, potestas remittendi peccata a Christo conceditur sine ulla restrictione et limitatione ; ergo per illam remitti possunt peccata, quoties in ea labitur homo baptizatus.

Insuper, homo inducitur ad misericordiam exemplo divinæ misericordiæ : « Estote *misericordes, sicut et Pater* vester *misericors* est, » Luc. 6, ℣ 36. — *Dimitte nobis* debita nostra, *sicut* et *nos dimittimus*, etc. Porro Christus jubet, ut usque *septuagies septies* seu absque ullo termino fratribus contra nos peccantibus dimittamus, Matth. 18, ℣ 21 ; ergo misericordia Dei peccatoribus veniam per pœnitentiam præbet absque ullo termino.

2° *Traditione.* Testimonia Patrum in præcedenti propositione allata, hic etiam vim suam retinent, necnon et definitio Conc. Trid., ex qua « Pœnitentia est verum Sacramentum pro fidelibus, *quoties* post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis ; » n. 2, 10.

3° *Ratione theol.* 1. Baptismus producit gratiam per modum regenerationis spiritualis : atqui homo semel nascitur ; ergo semel tantum debet homo baptizari. Pœnitentia autem operatur sicut spiritualis medicina : porro de natura medicinæ est, ut frequenter iterari possit. Et vero, Christus medicum se vocat, non sanis sed male habentibus opportunum : atqui « medicorum est centies infirmum centies curare ; » S. August., *de Pœnit.*, lib. 3, c. 10.

2. Si secunda contritio simul cum absolutione minus valeret quam præcedens, hoc proveniret vel ex circumstantia ingratitudinis, quæ est in posteriori peccato post remissionem prioris, vel eo quod interata condonatio esset peccati incentiva : atqui neutrum dici potest.

Non *prius* quidem. Nam, ex thesi præcedenti, omnia peccata quantumvis gravia per Sacramentum Pœnitentiæ

remittuntur; aliunde illa ingratitudinis circumstantia per se non constituit peccatum inter cætera gravissimum.

Nec *posterius*. Etenim multo major daretur peccandi licentia, si homines remissionem desperarent; et ideo « Deus semper præsto est peccata destruere, ne solvatur quod creavit, nec corrumpatur per desperationem quod amavit; » S. August., *ibid.* Cæterum, eo quod aliqui illa Dei misericordia male utantur, non propterea debuerunt boni pœnitentiæ fructu privari; et in hoc magis ostendit Deus odium peccati, quia semper illud destruit, quoties homo, inquantum potest et debet, cooperatur.

116. — *Obj.* Multi SS. Patres dicunt gravioribus criminibus semel tantum concedi pœnitentiam; ergo, etc.

Resp. Dist. ant. Dicunt non iterari pœnitentiam cæremonialem seu solemnem et publicam, *conc.*; pœnitentiam internam aut sacramentalem ad internam peccati remissionem ordinatam; *nego.*

Etenim, ad publicam satisfactionem et ædificationem, Ecclesia olim imponebat pro criminibus gravioribus et publicis solemnem et publicam pœnitentiam. Hoc autem pœnitentiæ genus nunquam licebat iterare, etiamsi forte in crimina similia vel graviora aliquis postea prolapsus fuisset, idque ob tres causas : 1. ne ex iteratione vilesceret hoc solemne remedii genus; 2. propter significationem; nam ejectio pœnitentis extra forum Ecclesiæ, quæ in illa pœnitentia fiebat, ipso Quadragesimæ initio, significabat Adæ expulsionem ex Paradiso, quæ semel tantum facta fuit; 3. quia solemnitas illa pœnitentiæ erat veluti quædam publica professio conservandi eam perpetuo, et nunquam committendi quidquam propter quod iterari deberet.

ARTICULUS III

De remissione pœnæ peccato debitæ, et de pronitatis ad malum sanatione.

PROPOSITIO PRIMA

117. — *Remissa culpa mortali per Pœnitentiam, semper remittitur reatus pœnæ æternæ.* De fide est.

Etenim, in præsenti statu, non remittitur peccatum mortale nisi per infusionem gratiæ sanctificantis, qua homo fit

Dei *amicus*, *filius adoptivus*, *hæres*, et acceptus ad *vitam æternam*, ut probatum est in Tract. *de Gratia*, n. 304 et seq.: atqui repugnat eumdem esse hæredem regni cœlestis, et simul addictum pœnæ æternæ; cum esset simul dignus vita et morte æterna; ergo, remissa culpa mortali per Pœnitentiam, simul tollitur reatus pœnæ æternæ. Propterea in Scripturis sæpe dicitur Deum *non amplius recordari* illorum peccatorum, quæ per Pœnitentiam deleta sunt, vel illa *non imputare*, vel ab illis *avertere faciem suam*.

118. — *Quæritur* autem an dimissa culpa mortali et reatu pœnæ æternæ per Pœnitentiam, aliquando saltem remaneat reatus alicujus pœnæ temporalis exsolvendæ, præsertim ut sanetur ad malum pronitas, quæ actum peccati mortalis consequitur.

Negant Protestantes; et inde inferunt non esse Purgatorium, nec opera satisfactoria, nec indulgentias. Contra vero sit

PROPOSITIO II

119. — *Dimissa culpa mortali et æternæ pœnæ reatu per Pœnitentiam, sæpe remanet reatus pœnæ temporalis exsolvendæ*. De fide est.

Prob. 1° *Script.* Etenim Adam, quamvis *e delicto suo eductus fuerit*, Sap. 10, ℣ 2, mortem nihilominus omnesque vitæ præsentis miserias in pœnam inobedientiæ subiit ipse, atque subeunt omnes ejus posteri, ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 243. Imo easdem *pœnalitates* patiuntur ii etiam, quibus peccatum originale dimissum est, ex dictis in Tract. *de Bapt.*, n. 57.

Soror Moysis ad hujus orationem a peccato murmuris absolvitur, et tamen in pœnam separari jubetur septem diebus extra castra; Num. 12, ℣ 14. — Moyses ipse terram promissionis ingredi prohibetur propter aliquam diffidentiam, licet ei remissa esset; Num. 20, ℣ 12. — Davidi peccatum adulterii et homicidii ita remissum fuit, ut tamen morte filii ex adulterio nati, aliisque pœnis gravissimis punitus fuerit propter peccatum, et *quia blasphemare fecisset*

inimicos Domini; II Reg. 12, ỳ 14. Ergo, dimissa culpa mortali et reatu æternæ pœnæ, sæpe remanet reatus pœnæ temporalis exsolvendæ.

2° *Traditione.* « *Ecce enim veritatem dilexisti...,* id est, *impunita* peccata eorum etiam *quibus ignoscis, non reliquisti...* Ignoscis confitenti, sed *seipsum punienti :* ita servatur misericordia et veritas; misericordia, quia homo liberatur; veritas, quia peccatum *punitur.* » S. August. *in Ps.* 50.

Idem constat tum ex pœnitentiis, quas Ecclesia a primis seculis imponebat peccatoribus etiam post absolutionem faciendas; tum ex constanti fide Ecclesiæ de existentia Purgatorii, et more orandi pro mortuis: tum ex Conc. Trid., decreto, n. 21. Et etiam : « Si quis post acceptam justificationis gratiam, *cuilibet* peccatori pœnitenti ita culpam remitti, et reatum pœnæ æternæ deleri dixerit, ut *nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ* vel in hoc seculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna cœlorum aditus patere possit : anathema sit. » Sess. 6. can. 30.

3° *Ex congruentiis.* Quamvis Deus possit absolute remittere totam pœnam cum culpa, tamen hoc semper non convenit ex parte Dei, Christi, pœnitentis, et Sacramenti.

1. Non ex parte *Dei.* Namque Deus per peccatum offenditur non solum ut privatus amicus, sed etiam ut publicus legislator et princeps : atqui, si oportuit quod ut amicus privatus, gratis cum offensa remitteret pœnam æternam, quæ cum amicitia stare nequit; non minus decuit quod, ut legislator et princeps, exigeret aliquam pœnam temporalem in ultionem commissi sceleris, tum ut, inquantum potest, salventur jura justitiæ, tum ut bono communi provideatur.

2. Nec ex parte *Christi.* Etenim ad majorem gloriam et excellentiorem virtutem satisfaciendi pertinet, quod Christus non solum pro nobis satisfecerit, sed etiam et per suas satisfactiones nobis obtinuerit virtutem ad satisfaciendum : atqui pro æterna quidem pœna homines satisfacere non poterant, et ideo per solam Christi satisfactionem nobis

remittitur; pro temporali vero poterant; ergo decuit, ut pro ea ex virtute satisfactionum Christi et ipsi satisfacerent.

3. Nec ex parte *pœnitentis* id convenit; tum ut ex pœna gravitas peccati appareat; tum ut refrænetur licentia peccandi, cautioresque et vigilantiores in futurum fiant pœnitentes; tum ut per actus pœnales et satisfactorios luatur delectatio quæ fuit prima causa peccandi, et per contrarias virtutum actiones tollantur reliquiæ peccatorum, vitiosique habitus male vivendo comparati; tum denique ut cum Christo compatiamur, et exinde conglorificemur.

4. Nec ex parte *Sacramenti*. Baptismus enim est regeneratio quædam, ac per se remittit pœnam ab alio contractam, et actualia commissa in statu imperfecto, in quo anima carebat lumine fidei et virtute gratiæ; et ideo per illud Sacramentum tollitur tota pœna originali et actualibus peccatis debita,

Pœnitentia autem remittit peccata etiam post Baptismum commissa, et post illuminationem fidei, et in Christo regenerationem; ergo operatur tanquam medicina, quæ semper non tollit omnem cicatricem, atque, ob tantam ingratitudinem, quam supponit, ordinarie non sine magnis nostris fletibus et laboribus omnem reatum pœnæ remittit. Qua ratione, inter cæteras, Pœnitentia *laboriosus* quidam baptismus a SS. Patribus dicta est, n. 2, 28. S. Th., 3 p. q. 86, a. 4, 5.

120. — Hinc, remissa culpa mortali, pœna æterna, *juxta ordinationem a Deo factam*, in temporalem *commutatur*.

Scilicet, Deus ab æterno instituit et taxavit singulas pœnas peccatis reddendas secundum diversos eorum status; ac proinde statuit ut tali peccato mortali, si perpetuo in homine maneret, talis pœna æterna responderet; si vero in hac vita condonaretur, alia pœna alterius modi et temporalis retribueretur, ratione totius malitiæ quam habuit.

Qua ordinatione semel posita, facile intelligitur pœnam

æternam in temporalem non commutari propter aliquam moralem malitiam, quæ in anima remaneat post culpæ remissionem ; sed solum quia culpa commissa fuit, et nondum pro illa, ex lege a Deo statuta, plene satisfactum est. Hoc enim sufficit, ut peccatum commissum juste puniatur.

Nec minus exinde patet quomodo, cum remittitur culpa, commutetur æterna pœna in temporalem, quatenus, scilicet, non sit una et eadem, sed una succedat alteri, juxta divinam determinationem. Et revera, pœna Purgatorii ab inferni pœna differt quoad durationem, intensitatem et naturam ; ideoque non solum æternitas in temporalitatem, sed simpliciter una pœna in aliam commutatur.

PROPOSITIO III

121. — *Pœna etiam temporalis semper minuitur, et aliquando totaliter remittitur per Pœnitentiam.* Certum est.

Etenim culpa et pœna æterna remittuntur vel per contritionem perfectam cum voto Sacramenti, vel per realem susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ.

Si *prius*, contritio perfecta, quatenus consideratur ut ultima dispositio ad justificationem, et ideo ante infusionem gratiæ sanctificantis, est solum causa remissionis culpæ et pœnæ æternæ ; quatenus vero sumitur eo instanti, quo terminatur per infusionem gratiæ sanctificantis, est satisfactoria de condigno sicut et meritoria, ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 285, 304 ; ergo, ratione illius, ex justitia tollitur aliquid pœnæ temporalis, et magis vel minus, prout illa contritio major vel minor fuerit.

Si *posterius*, ex opere operato minuitur pœna temporalis, tum ratione absolutionis, tum ratione satisfactionis a Confessario impositæ.

1. Ratione *absolutionis*. Etenim per hanc formam applicantur pœnitenti meritum et satisfactio ipsius Christi : porro incredibile est, quod hujusmodi meritum et satisfactio etiam in infimo gradu applicata, saltem eamdem vim non habeant ac contritio perfecta in infimo gradu rigorose sufficienti ad peccatorum remissionem ; ergo, sicut hæc

contritio semper tollit non solum culpam et pœnam æternam, sed insuper aliquid pœnæ temporalis, ita et absolutio sacramentalis.

Et vero, ex dictis n. 66, justificatio per contritionem est *ex se* minus perfecta, et ordinata ad gratiam sacramentalem tanquam ad suum complementum; ergo satisfactorius absolutionis effectus est ex se perfectior, ac vis contritionis satisfactoria. Itaque, vi ipsius absolutionis, pœna æterna commutatur in minorem temporalem, quam alias commutaretur, ita ut, ratione suscepti Sacramenti, remissius puniatur homo in Purgatorio, etiamsi moriatur antequam impositam pœnitentiam adimpleverit. Ita Suarez, *de Pœnit.*, disput. 19, sect. 2; disput. 38, sect. 2.

2. Ratione *pœnitentiæ* a Sacerdote impositæ et a pœnitente *adimpletæ*. Namque, ex dictis n. 83, satisfactio a Sacerdote ut judice et medico imposita et a pœnitente adimpleta, est pars integralis hujus Sacramenti; ergo, juxta communem Theologorum sententiam, illa satisfactio, cum adimpletur, ex opere operato producit remissionem saltem alicujus pœnæ temporalis.

122. — Hinc 1° talis ac tanta esse potest contritio aut satisfactio sacramentalis, ut *tota* pœna temporalis remittatur.

Reatus enim illius pœnæ finitus est; ergo per finitam satisfactionem adæquari potest : atqui contritio seu animi dolor est pœna ex se præ cæteris excellens et satisfactoria; ergo potest illam pœnam temporalem peccato debitam adæquare, imo et excedere, ac proinde omnino tollere. Idem dicendum est de satisfactione sacramentali, quæ perficitur a persona in statu gratiæ existente.

Unde pœna, quæ post remissam culpam per primum actum pœnitentiæ, vel per unum Pœnitentiæ Sacramentum exsolvenda relinquitur, tolli potest per subsequentes actus pœnitentiæ, vel per subsequentia Pœnitentiæ Sacramenta. Et vero Conc. Trid. declarat illam pœnam posse *totaliter* exsolvi *in hoc seculo*, n. 8.

123. — Hinc 2° triplex est perfectæ contritionis effectus; scilicet, 1. quatenus ultima dispositio ad justificationem, et ideo satisfactio quædam, qualis a peccatore exhiberi potest, ex congruo, sed infallibiliter, est causa remissionis culpæ et pœnæ æternæ; 2. quatenus terminatur per infusionem gratiæ sanctificantis et ideo in persona grata, est causa ex condigno meritoria gloriæ; 3. quatenus eodem modo terminatur in persona grata, atque consideratur ut pœnalitas quædam interna seu animi dolor, est de condigno satisfactoria pro pœna temporali.

ARTICULUS IV

De meritorum mortificatorum reviviscentia per reconciliationis gratiam.

Dicemus de existentia reviviscentiæ meritorum mortificatorum, et de modo ejusce reviviscentiæ.

§ I

De existentia reviviscentiæ meritorum mortificatorum.

124. — *Quæritur* quid sit *opus* seu *meritum mortificatum?*

Resp. Quadruplicis generis opera communiter distinguunt Theologi, quæ homo ad supernaturalem ordinem destinatus elicere potest, scilicet, opera viva, mortua, mortifera, mortificata.

Viva sunt, quæ ab homine in statu gratiæ sanctificantis existente, et cum gratia excitante et adjuvante perficiuntur, atque ideo merentur ex condigno vitam æternam, ex dictis in Tract. *de Gratia,* n. 345.

Mortua ea sunt, quæ in se bona vel etiam supernaturalia, tamen ab homine in statu peccati mortalis eliciuntur, ac proinde gratia sanctificante non vivificantur.

Mortifera sunt peccata, quibus mors causatur in anima per amissionem gratiæ sanctificantis, quæ in ordine supernaturali est animæ vita, sicut in ordine naturali, anima est vita corporis, ut dictum est in Tract. *de Gratia,* n. 189.

Mortificata sunt opera viva, quæ per subsequens peccatum non destruuntur quidem, sed impediuntur quin habeant

vim et efficaciam perducendi hominem ad vitam æternam; et ideo metaphorice dicuntur mortificata, sicut membrum corporis mortificatum dicitur, quando a suis functionibus impeditur.

Porro, quæritur an hujusmodi opera mortificata reviviscant per pœnitentiam, id est, an vim et efficaciam perducendi hominem ad vitam æternam recuperent, cum homo reconciliationis gratiam recepit.

PROPOSITIO

125. — *Opera per peccatum mortificata iterum reviviscunt per Pœnitentiam.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* « Convertimini ad me in toto corde vestro... et *reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus,* et *rubigo,* et *eruca;* » Joel, 2, ỷ 12, 25 : porro anni, quos comedit locusta et bruchus peccatorum, reddi non possunt nisi per meritorum reviviscentiam; ergo per pœnitentiam reviviscunt mortificata opera.

Dicitur etiam : *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit;* Ezech. 33, ỷ 12 : atqui noceret plurimum, si priorum moritorum fructum perderet peccator justificatus.

Similiter S. Paulus, postquam lapsos Hebræos terruisset per hæc verba; « Impossibile est eos, qui semel illuminati *prolapsi sunt,* rursus renovari ad pœnitentiam, » n. 58, ut eos excitet ad resipiscentiam, addit : « Non enim *injustus Deus,* ut *obliviscatur operis vestri,* et *dilectionis,* quam *ostendistis* in nomine ipsius; » Hebr. 6, ỷ 4, 10 ; id est : « Non est injustus Deus, quia si a peccato per pœnitentiam resurgatis, Deus bona opera præcedentia compensabit præmio vitæ æternæ. » Ita hunc locum intelligunt SS. Chrysost., Athan., Epiph., August., Th., 3 p., q. 89, a. 5.

Unde eadem verba iis, qui peccaverunt, proponit Conc. Trid., sess. 6, c. 16, dicens : « Justificatis hominibus sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive *amissam recuperaverint,* proponenda sunt inter alia hæc verba Apostoli : *Non enim injustus Deus,* » etc.; ergo, in allato textu, agitur de operum mortificatorum reviviscentia.

2° *Traditione.* « Quicumque *ob fidem* Christi *laboraverit*, et postea lapsus fuerint in peccatum, sicut *priora* dicitur *passus fuisse sine causa,* dum *peccat* (Galat. 3, ✝ 4), sic *rursus non perdet ea,* si ad pristinam fidem et antiquum studium revertatur ; » S. Hieron., *in c. 3, ad Galat.*

« Vide quam bonus Deus et facilis indulgere peccatis ; non solum *ablatum restituit*, sed etiam insperata concedit ; » S. Ambros., lib. *in Luc.*

« Per misecordiam Dei, si modo condemnare facta nostra et jam sistere ignaviam voluerimus, *poterimus statim ad pristinam abundantiam redire;* S. Chrysost. Homil. 6 *in Gen.*

Ex Conc. Trid., sess. 6, c. 16, tres tantum conditiones requiruntur, ut opera nostra sint meritoria, et reipsa præmium suum obtineant, nimirum, ut sint 1. opera hominis justificati ; 2. facta in Deo seu auxilio Dei et propter finem supernaturalem ; 3. ut, qui ea fecit, in gratia decedat : atqui opera mortificata duas priores conditiones habent, cum fuerint viva ; tertiam autem recuperant per gratiam virtute Pœnitentiæ infusam, cum qua pœnitens decedere potest ; ergo per Pœnitentiam reviviscunt opera mortificata.

3° *Ratione.* 1. Peccatum subsequens non destruit ipsa opera viva, sed tantum impedit, quin vim et efficaciam habeant ad vitam æternam ; atqui Pœnitentia, remittendo peccatum, illud impedimentum removet ; ergo eo ipso suam vim et efficaciam sortiuntur illa præcedentia opera. S. Th., *ibid.*

2. Quamvis Deus potuisset merita non acceptare absolute, sed tantum sub conditione perseverantiæ in justitia, ea tamen absolute acceptasse colligitur tum ex Scriptura et Traditione, ut supra ; tum quia Deus est proclivior ad præmiandum, quam ad puniendum ; tum eo quod opera viva, non obstante peccato subsequente, in se nihilominus Deo placent, atque ideo manent in Dei acceptatione ; ergo peccatum subsequens non destruit præcedentia merita, sed tantum, ob inimicitiam, quam trahit, impedit quin Deus illa præmio vitæ æternæ remuneret ; ac proinde, su-

blata illa inimicitia per Pœnitentiam, eo ipso quasi proprio pondere suam vim sortiuntur illa merita.

3. Per hujusmodi reviviscentiam, homo efficacius excitatur ad opera meritoria multiplicanda, necnon et ad pœnitentiam concipiendam, ne fructibus præcedentium laborum penitus frustretur; sed etiam in spem veniæ validius erigitur ex illa ampliori Dei misericordia et liberalitate, qua impietas impii non nocet ei, dum se pœniteat; ergo ad perfectiorem et efficaciorem divinæ legis sanctionem multum interest illa meritorum reviviscentia.

126. — *Quæritur* quænam importet operum mortificatorum reviviscentia?

Resp. Duo importat, scilicet, *recuperationem juris* ad gloriam juxta proportionem præcedentium meritorum, et *iteratam infusionem gratiæ sanctificantis* per peccatum amissæ.

Etenim, ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 333, meritum gloriæ est *jus* ad vitam æternam, correspondens valori alicujus operis tali vitæ proportionati; ita ut, hujusmodi opere semel posito, jus ad gloriam secundum valorem illius operis acquisitum maneat apud Deum; ergo reviviscentia meritorum nihil aliud est quam illius juris apud Deum recuperatio, seu potius recuperatio facultatis utendi illo jure in perpetuum jam acquisito, sed quoad vim et efficaciam impedito.

At gloria in altera vita semper proportionatur gratiæ sanctificanti, quæ vivificat animam in primo instanti glorificationis; ergo reviviscentia juris ad omnes gradus gloriæ per anteacta opera acquisitos, implicat recuperationem totius gratiæ sanctificantis per peccatum amissæ.

127. — *Obj*. Cum homo a peccato justificatus iterum mortaliter peccat, priora non reviviscunt demerita; ergo nec merita mortificata reviviscunt, quando iterum justificatur homo.

Resp. *Nego conseq*. Etenim demerita non reviviscunt, sive quia Christus dedit potestatem illa absolute remittendi, ut patet ex verbis: *Quorum remiseritis*, etc.; sive quia peccatum per gratiam remissum, non manet in se, ut patet, nec in ac-

ceptatione Dei, cui nunquam placuit, nec in acceptatione divinæ justitiæ ad puniendum, quia peccatum per Pœnitentiam deletum, jam punitum fuit et pro eo satisfactum ex satisfactione Christi. S. Th. 3 p. q. 88, a. 1.

Bona autem opera Deo placuerunt, nec in se unquam ei displicent, et consequenter eorum acceptatio de se est perpetua; ergo, sublato obice seu peccato, suum effectum sortiuntur.

§ II

De modo. quo reviviscunt Opera mortificata.

128. — *Quæritur quandonam*, et *in quonam gradu* reviviscat mortificatum *jus* ad gloriam, et restituatur *gratia habitualis* per peccatum amissa, n. 126?

Circa illam quæstionem alicujus momenti etiam in praxi non consentiunt auctores, et inter tot opiniones, quæ in hoc punctum moventur, vix aliquid certi statui potest.

1° Alii sentiunt totum *jus* ad gloriam, totamque *gratiam sanctificantem* per peccatum amissam restitui *in ipso instanti justificationis* seu reconciliationis.

Etenim testimonia ex Scriptura et Traditione sumpta, quibus probatur meritorum reviviscentia, n. 125, nullam aliam conditionem requirunt quam justificationem peccatoris; ergo, hac justificatione posita, statim recuperantur jura et gratia habitualis amissa.

Et vero, ex dictis, n. 125, mortificata merita manent apud Deum in perpetuum acquisita; sed, ob inimicitiam ex peccato consecutam, suam efficaciam sortiri non possunt; ergo, inimicitia semel remota per justificationem, statim suam vim recuperant illa merita.

Itaque, in hac sententia, præter gratiam et jus ad gloriam correspondentia ipsi contritioni, vel Sacramento per quod homo justificatur, dantur insuper eodem instanti tot gradus gratiæ et jus ad tot gradus gloriæ, quot habuisset pœnitens per merita præcedentia, si non fuissent mortificata; sicque homo semper resurgit in majori gratia et ad ampliorem gloriam, quam illa, a qua per peccatum exciderat. Ita Suarez, quem sequuntur communiter recentiores, præter Thomistas.

2° Alii vero contrarium affirmant, sed diverso modo. Namque 1., juxta quosdam, reviviscunt merita eo sensu tantum, quod gratia et gloria correspondens pœnitentiæ, per quam justificatur homo, duplici conferatur titulo, nempe titulo præsentis dispositionis, et titulo præcedentium meritorum; ac proinde nihil proprie recuperat pœnitens de gratia amissa et de jure ad gloriam mortificato. Ita Bannes, Sylvius, Contensonus, etc. Quæ sententia quoad nomen tantum retinet meritorum reviviscentiam, et ideo rejicienda est.

2. Juxta alios, sive gratia amissa, sive jus ad gloriam recuperantur secundum proportionem pœnitentiæ, per quam resurgit homo : v. g., si quis resurgat per contritionem ut octo, recipit gratiam ut sexdecim, et similiter jus ad sexdecim gradus gloriæ, octo nempe gradus juxta præsentem dispositionem, et octo de gratia amissa et de jure mortificato.

Etenim merita seu jus ad gloriam, correspondent gratiæ sanctificanti in anima infusæ : porro hæc gratia non infunditur, nisi *secundum cujusque dispositionem*, ex Conc. Trid., sess. 6, c. 7 ; ergo sive gratia amissa, sive jus ad gloriam non recuperantur nisi juxta proportionem pœnitentiæ, per quam homo resurgit.

Et vero, si opera mortificata semper in ipso instanti justificationis integre reviviscerent, daretur pœnitentibus occasio teporis et facilitas ad peccandum; dum e contra, si reviviscant tantum juxta pœnitentiæ proportionem, exinde inducuntur homines ad eliciendos actus pœnitentiæ ferventioris sive in ipsa conversione, sive postea, quibus opera mortificata magis ac magis reviviscant, quoadusque in integrum restituantur.

Unde, si moriatur homo in statu gratiæ, sed antequam omnem gratiam per peccatum amissam recuperaverit, anima in primo instanti separationis a corpore, vel glorificationis, elicit actum charitatis aut contritionis ferventissimum, quo se disponit ad augmentum gratiæ et gloriæ, operibus nondum revivificatis debitum. Ita Gonet et plerique inter Thomistas. S. Th. hanc quæstionem tan-

gere videtur, 3 p., q. 89, a. 2, 5; sed ejus veram mentem et resolutionem explanare valde difficile est, ait Suarez, *ibid.*

3° Tandem, juxta alios, *merita* seu *jura* ad gloriam integre reviviscunt in ipso instanti justificationis. Namque opera meritoria semper manent in acceptatione Dei; ergo, sublato impedimento seu peccato, statim reviviscit jus ad gloriam illis operibus correspondens.

Gratia autem per peccatum *amissa* nunquam restituitur in hac vita, sed tantum in primo instanti separationis animæ a corpore, vel glorificationis. Etenim, ex Conc. Trid., gratia infunditur secundum cujusque dispositionem, ac proinde dispositio proportionata requiritur ad gratiæ amissæ recuperationem : porro omnis actus charitatis aut perfectæ contritionis in hac vita est meritorius de congruo vel de condigno gratiæ ipsi correspondentis ; ergo, ut adsit insuper dispositio ad gratiæ amissæ recuperationem, requiritur actus qui non sit meritorius : hoc autem inveniri nequit nisi in altera vita. Ita Scotus, Durandus, etc.

129. — Circa opinionem Thomistarum et Scotistarum unum notare sufficiat. Equidem gratiam ipsius justificationis vel gratiæ augmentum, quod meremur ex condigno, confertur vi præsentis pœnitentiæ aut amoris tanquam causæ per se disponentis, et ideo tali dispositioni commensuratur, ut docet Conc. Trid. Gratia autem meritorum præcedentium restituitur vi præsentis pœnitentiæ aut amoris tanquam causæ tantum *removentis obicem* seu peccatum; ergo, ad recuperationem totius gratiæ amissæ, sufficit dispositio rigorose sufficiens ad ipsam justificationem consequendam. Ita auctores primæ opinionis.

Quidquid sit, res incerta remanet, et ideo curare debent Confessarii, ut pœnitentes ad dolorem intensum et acrem excitentur, ut sic tutius in hac vita amissam gratiam recuperent.

CAPUT V

DE SUBJECTO, ET SUBJECTI DISPOSITIONIBUS

130. — Ex dictis de materia et effectibus Sacramenti Pœnitentiæ, solus homo baptizatus, qui post Baptismum aliquod saltem veniale peccatum commisit, est illius Sacramenti subjectum; unde nemo ante Baptismum, nec pueri baptizati ante usum rationis, nec justi, si qua forent, qui, uti creditur de B. Virgine, Tract. *de Incarn.*, n. 313, semper ab omni peccato etiam veniali immunes permansissent, sunt talis Sacramenti capaces.

131. — Tota igitur quæstio movetur de subjecti dispositionibus. Hoc autem speciale est huic Sacramento, quod ejus subjectum aliquid conferre debeat non solum ad licite et cum fructu suscipiendum illud Sacramentum, sed etiam ad hoc conficiendum, ponendo, scilicet, materiam proximam, quæ ipsius pœnitentis actibus constituitur, scilicet contritione, confessione et satisfactione.

Porro de hujusmodi actibus quatenus sunt proxima Sacramenti Pœnitentiæ materia, jam dictum est, n. 81 et seq. Hic proinde de illis actibus quatenus sunt dispositiones ad remissionem peccatorum per Sacramenta mortuorum consequendam, agendum superest. Cæterum, quæ in prædictis actibus requiruntur, ut sint dispositiones ad Pœnitentiæ Sacramentum, necessaria sunt etiam, ut illi actus fiant proxima ejusdem Sacramenti materia.

ARTICULUS PRIMUS

De Contritione.

Dicemus : 1° de contritionis natura et speciebus; 2° de necessitate; 3° de dotibus contritionis requisitæ; 4° de ejusdem specie; 5° de amore initiali cum attritione requisito; 6° de modo et tempore quo elici debeat contritio; 7° de præcipuis casibus in quibus deest aut dubia est contritio ad Sacramentum Pœnitentiæ necessaria.

§ I

De natura et speciebus Contritionis.

NUMERUS PRIMUS

De natura Contritionis in genere.

132. — *Quæritur* 1° quid sit contritio quoad *nomen?*

Resp. Contritio, a verbo *conterere*, in sensu litterali est divisio alicujus rei materialis in minimas partes; in sensu autem metaphorico, qualis hic sumitur, est *divisio cordis* seu *voluntatis* et *aversio a peccato*.

Scilicet, durum in materialibus illud est, quod tactui non cedit; quando autem corpus durum ita in pulverem redigitur, ut duritiem ac tumorem deponat, atque se flecti sinat ad artificis arbitrium, dicitur *conteri*.

Porro voluntas hominis, peccando, ita sensui proprio inhæret, ut non cedat influxui seu quasi tactui divinorum mandatorum et gratiæ, ac propterea illa voluntas seu cor peccatoris metaphorice dicitur *durum*, *tumidum*, *lapideum*; ergo, similiter, ubi cor influxui legis et gratiæ divinæ ita cedit, ut a sensu proprio discedat, atque flecti sinat secundum motum gratiæ et legis divinæ, tunc metaphorice dicitur *conteri*, et effici cor *carneum*, atque motus, quo sic conteritur, *contritio* nuncupatur, juxta illud : « Auferam *cor lapideum*, et dabo eis *cor carneum*; » Ezech. 11, ỳ 19. *Cor contritum* et *humilitatum*; Ps. 50.

Contritio vocatur etiam in Scripturis et a SS. Patribus *compunctio* et *humilitas cordis*. *Compunctio* quidem; nam, quemadmodum ferro tumida ulcera secantur, ut inclusum virus possit erumpere; ita corda, quasi scalpello contritionis adhibito, inciduntur, ut peccati mortiferum virus queant ejicere; quare et *scissio cordis* a Propheta appellata est contritio : *Scindite corda vestra;* Joel, 2, ỳ 13.

Sed etiam *humilitas* cordis. Per superbiam enim homo in suo sensu redditur rigidus, et a mandatis divinis recedit, juxta illud : *Initium omnis peccati superbia,* Eccli. 10, ỳ 15; ideoque per humilitatem a suo sensu recedit et conteritur. S. Th. Suppl. q. 1, a. 1.

135. — *Quæritur* 2° quid sit contritio quoad *rem?*

Resp. Contritio, qualis in præsenti Tractatu spectatur, definiri solet : *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso, quatenus est offensa Dei, cum proposito non peccandi de cætero*, Ita Conc. Trid., n. 1, 4.

Dicitur 1 : *animi dolor*, id est, injucunda emotio voluntarie concepta ex conscientia peccati commissi ; in hoc reponitur initium actus contritionis.

Scilicet, dolor in genere, est injucunda emotio aut sensatio ex conscientia alicujus mali, seu privationis alicujus boni in ordine physico, aut intellectuali, aut morali : peccatum autem est malum seu privatio voluntaria summi boni in ordine morali ; et ideo injucunda emotio voluntarie concepta ex conscientia hujusmodi privationis, est dolor *animi* seu voluntatis aut *cordis*. Cor enim, in sensu metaphorico, idem est ac voluntas[1], quæ peccatum committit, ac proinde de peccato dolet.

Exinde contritio differt tum a dolore in ordine physico et intellectuali, tum ab injucunda ex peccati conscientia emotione, quam involuntarie patiuntur damnati in inferno.

Idem dolor sæpe et quidem verius nomine *tristitiæ* designatur. Namque dolor exprimit genus seu injucundam sensationem aut emotionem ex conscientia mali sive physici, sive intellectualis, sive moralis : tristitia autem significat injucundam emotionem ex conscientia mali in ordine intellectuali et præsertim morali : proinde contritio de peccato commisso est proprie tristitia.

Quæ tristitia, propter strictissimam animæ conjunctionem cum corpore, redundare solet in sensum, cum quo falso confunditur. Sæpe tamen, ob corporis indispositionem, hujusmodi effectus vel omnino vel ex magna parte impeditur. Unde ejus carentia in sensu non est signum certum, quod voluntas careat dolore de peccato ; sicut e

1. Cor, in sensu naturali et proprio, est organum motus sanguinis in corpore, et ideo vitæ animalis : voluntas autem est principium motus in anima, et ideo vitæ spiritualis seu moralis ; quare, per similitudinem, cor pro voluntate frequenter usurpatur. Vide Tract. *de Incarn.*, n. 299, 300.

contrario lacrymæ et aliæ sensibiles emotiones non semper sunt certa signa veri doloris de peccato. S. Th. 3. p. q. 84, a. 8, 9.

Dicitur 2 : *et detestatio*, seu repulsio, retractatio, qua ita a peccato se avertit voluntas, ut desideret illud malum non permanere in anima, nec unquam fuisse patratum, sicque, quantum in se est, illud repudiare, removere atque tollere nititur. In hac detestatione proprie consistit contritio.

Quæ destestatio, quatenus oritur ex tristitia de peccato voluntarie concepta, sæpe dolor aut tristitia nuncupatur; et, vice versa, dolor ille, utpote trahens voluntariam detestationem, detestatio denominatur.

Similiter dolor et detestatio de peccato haud raro nomine *odii* significantur, licet sensu proprio odium sit detestatio peccati secundum se spectati, abstrahendo ab ejus præsentia in anima ; dum tristitia et detestatio peccati, respiciunt peccatum quatenus commissum.

Dicitur 3 : *de peccato commisso;* in hoc designatur proprium contritionis objectum. Tristitia enim non est nisi de malo præsenti ; nec retractatio fit nisi peccati vere commissi et quidem proprii.

Dicitur 4 : *quatenus est offensa Dei;* unde contritio distinguitur a detestatione peccati ex aliquo motivo mere humano elicita, atque fit proprius ac perfectus virtutis pœnitentiæ actus, n. 34, 37, ut his verbis declarat Conc. Trid., n. 1, 4 : « *Contritio*, quæ *primum locum* inter dictos *pœnitentiæ* actus habet, etc. »

Dicitur 5 : *cum proposito non peccandi de cætero;* quibus indicatur veram contritionem consequenter versari circa peccata nondum commissa, n. 38, 166.

134. — Hinc 1° nec solus animi dolor de peccato commisso sine ejusdem vera detestatione, nec detestatio peccati commissi sine animi dolore, est contritio proprie dicta.

Etenim animi dolor per se tria importat, nempe, voluntariam recognitionem seu internam confessionem coram

Deo peccati sui, tristitiam ex tali conscientia mali conceptam, et motum reactivum primo-primum, qui illam tristitiam consequitur : atqui talis motus primo-primus et ideo *instinctivus* contra peccatum, excitat quidem voluntatem ad *liberam* peccati detestationem, sed hanc ipsam retractationem et ideo voluntatis divisionem seu contritionem vere non constituit; ergo animi dolor sine libera peccati proprii detestatione non est contritio proprie dicta.

Similiter libera detestatio peccati sui absque animi dolore, est quidem aliqualis contritio, sed non constituit actum veræ pœnitentiæ, nec ideo contritionem statui hominis viatoris propriam.

Namque, Beati in cœlo summe detestantur peccata, quæ in decursu viæ commiserunt; de iisdem autem peccatis non dolent, nec vere hactenus pœnitentiam agunt; post hanc enim vitam, Sancti non sunt susceptivi doloris, S. Th. 3 p., q. 84, a. 8; ergo illa peccati detestatio in Beatis non est contritio simpliciter dicta, seu actus proprius pœnitentiæ.

Propterea, in sacris Litteris, Sancti, ut suam pœnitentiam significent, dolorem animi profuse exprimunt : *Laboravi in gemitu meo, lacrymis meis stratum meum rigabo;* Ps. 6, ℣ 7. — « Recogitabo tibi annos meos *in amaritudine animæ meæ;* » Isa. 38, ℣ 15. Eadem ratione contritio *doloris* nomine sæpius designatur, n. 133.

135. — Hinc 2°, ad contritionem, non sufficit voluntas dolendi et detestandi peccatum, sed requiritur ipsa voluntatis contritio seu realis dolor ac detestatio de peccato commisso; voluntas enim seu desiderium dolendi et detestandi peccatum non est ipse dolor, nec detestatio ipsa seu contritio, ut patet.

136. — Hinc 3° *formalis* amor Dei non est formalis contritio.

Etenim actus amoris per se non implicat actualem animi dolorem, nec expressam peccati detestationem, ut patet ex amore ab Angelis elicito, qui nullum proprium peccatum

detestantur, et ex amore a Beatis concepto, qui nullum experiuntur animi dolorem. Contritio autem per se est peccati detestatio cum dolore.

Unde actus divini amoris per se non est actus pœnitentiæ; dum contritio per se est primarius et proprius virtutis pœnitentiæ actus. Attamen in statu viæ et in homine pœnitente amor Dei super omnia est virtualis contritio et pœnitentia; sicut et contritio super omnia est virtualis amor Dei, ut infra evolvetur, n. 139, 165.

NUMERUS II

De speciebus Contritionis.

Duplex distinguitur contritionis species, perfecta scilicet, et imperfecta seu attritio. Utriusque naturam et inter utramque discrimen accurate perpendere necesse est.

I. — *De natura Contritionis perfectæ.*

137. — *Quæritur* 1° quid sit contritio *perfecta?*

Resp. Perfecta contritio definitur : *Animi dolor ac detestatio de peccato ex charitatis motivo concepta, ac per se sufficiens ad remissionem peccatorum cum voto Baptismi aut Pœnitentiæ.*

Dicitur 1 : *animi dolor ac detestatio de peccato cum voto Baptismi aut Pœnitentiæ;* quæ verba pertinent ad veræ contritionis genus, et jam evoluta fuere, n. 133.

Dicitur 2 : *ex charitatis motivo concepta;* et in hoc proprie consistit specifica contritionis perfectæ essentia, ex Conc. Trid., juxta quod perfecta contritio ea est, quæ *charitate perficitur,* n. 4. Ita etiam communiter Theologi. Revera nullum est excellentius motivum, ex quo elici possit contritio, ut sit ex se perfecta, cæteraque inferiora motiva ad contritionem imperfectam pertinent, ex dicendis, n. 144.

Dicitur 3 : *per se sufficiens ad remissionem peccatorum.* Talis est, ut infra statuetur, n. 175, effectus perfectæ contritioni proprius, qui ex motivi perfectione defluit. Tota proinde quæstio de natura perfectæ contritionis reducitur ad naturam motivi, ex quo elicitur. Unde

138. — *Quæritur* 2° in quonam consistat *motivum* charitatis, et ideo perfectæ contritionis?

Resp. Motivum charitatis est *ipsamet Dei perfectio supernaturaliter nobis revelata,* quatenus voluntatem allicit, movet ac *determinat* ad *actum amoris in ordine etiam supernaturali* erga Deum eliciendum; et ideo motivum contritionis perfectæ in ordine supernaturali est *peccati Deo sic perfecto oppositio,* ratione cujus *voluntas retractat peccatum* commissum. S. Th. 3 p., q. 84, a. 5, ad 2.

Videlicet, ex triplici amore voluntas ad Deum sese movere potest, concupiscentiæ, benevolentiæ et charitatis.

Per amorem *concupiscentiæ* in ordine supernaturali, Deus diligitur ex motivo *spei,* seu quatenus nobis promisit sui ipsius possessionem in vita gloriæ tanquam *remunerationem* finalis perseverantiæ in cooperatione gratiæ per hujusce vitæ decursum; v. g., diligo Deum, ut ipse sit in æternum *merces mea* magna nimis, n. 148.

Per amorem *benevolentiæ,* Deus diligitur, quia est *in se* perfectus, bonus, infinite amabilis, qualis nobis exhibetur per *rationis* lumen; et in hoc adest amor *purus* ordinis mere *naturalis;* v. g., diligo Deum, quia, ut ratione mihi constat, Deus est in se infinite perfectus, bonus et amabilis.

Per amorem *charitatis* Deus diligitur propter suam perfectionem, bonitatem, amabilitatem, *qualis* nobis *supernaturaliter* revelata est, id est, uti *adeo perfectus, bonus et amabilis,* ut velit suam propriam perfectionem, bonitatem ac vitam nobis communicare, ad seipsum nos elevare, nos sibi pares facere per vitam gratiæ et gloriæ, seu divinæ amicitiæ.

Unde ipsum divinæ vitæ consortium non est illius dilectionis motivum; sed ex talis consortii consideratione dignoscitur in Deo specialis perfectio, bonitas et amabilitas, *cujus intuitus* proprie ac præponderanter determinat motum voluntatis in Deum uti in se hoc modo superexcellenti perfectum, bonum et amabilem; v. g., diligo Deum, quia adeo est in se perfectus et amabilis, ut velit me propriæ suæ vitæ consortem facere. Vide Tract. *de Gratia,* n. 284, 285, *de Decalog.,* n. 60.

Exinde amor charitatis discrepat tum ab amore concupiscentiæ in ordine supernaturali, qui determinatur intuitu illius consortii divini tanquam mercedis nostrorum operum; tum ab amore puro seu benevolentiæ in ordine naturali, qui non determinatur intuitu illius divinæ perfectionis et amabilitatis nobis cognitæ duntaxat per revelationem ordinis gratiæ et gloriæ.

Omnis igitur divina perfectio seu quodlibet Dei attributum per lumen fidei apprehensum, potest esse charitatis motivum. Siquidem, Dei perfectio, haud secus ac ejus essentia, est omnino simplex; et ideo omnis partialis conspectus illius infinitæ perfectionis, seu quodlibet Dei attributum in se apprehensum per lumen fidei, et quo tale movens voluntatem ad Deum, est motivum amoris puri in ordine supernaturali gratiæ et gloriæ, seu charitatis.

Ergo, quicunque retractat peccatum commissum propter ejus oppositionem alicui perfectioni seu attributo divino *per lumen fidei apprehenso*, eo ipso detestatur peccatum ex motivo charitatis, et ideo elicit actum perfectæ contritionis. Sic talem actum perficit, qui ex intimo corde et ex fidei lumine dicit : Peccasse me pœnitet, quia peccatum me contrarium facit Deo infinite perfecto, sapienti, justo, bono, amabili; quia peccatum ei displicet; quia opponitur voluntati divinæ; quia repugnat amicitiæ cum Deo, etc.

Hinc formalis actus contritionis perfectæ est virtualis actus charitatis.

Namque charitas immediate ac directe in Deum tendit per actum amoris, et mediate ac consequenter in detestationem peccati; contritio vero immediate ac directe in peccati detestationem, et mediate ac consequenter in dilectionem Dei : prior tendit in Deum per modum consecutionis, posterior per modum fugæ, quatenus homo, fugiendo peccatum et ab eo sese avertendo, in Deum relabitur et ad Deum se convertit.

II. — *De natura Contritionis imperfectæ seu Attritionis.*

143. — *Quæritur* 1° quid sit contritio imperfecta seu *attritio?*

Resp. Attritio definitur : *Animi dolor ac detestatio peccati proprii non ex motivo charitatis, sed ex alio inferiori concepta, atque per se insufficiens ad peccatorum remissionem, sine reali susceptione Baptismi aut Sacramenti Pœnitentiæ.* Ita Conc. Trid., n. 4, et communiter Theologi.

Itaque 1. imperfecta contritio a perfecta deficit sub duplici respectu, *motivi* scilicet et *effectus* : imperfectio autem effectus ab imperfectione causæ seu motivi oritur ; et ideo specifica essentia contritionis imperfectæ et hujus a perfecta discrimen, in natura et imperfectione motivi consistit.

Et vero, contritio imperfecta, ut sit vere salutaris, debet, sicut et perfecta, esse interna, supernaturalis, appretiative summa, universalis, ex dicendis, n. 156 et seq. ; ergo a perfecta discrepare nequit nisi ratione perfectionis motivi et effectus.

2. Una detestatur peccatum ut Deo *in se* sumpto oppositum, illudque revera excludit ; ac proinde perfecta est voluntatis peccaminosæ comminutio, et ad Deum perfecta conversio : propterea dicitur contritio *perfecta*, vel *contritio* et *conversio* simpliciter.

Altera autem non retractat peccatum ut Deo in se sumpto oppositum, nec illud per se excludit ; et ideo non est perfecta voluntatis peccaminosæ comminutio, nec ad Deum sufficiens conversio : quare *imperfecta* contritio aut *attritio* et *versio* tantum nuncupatur. Sic, in corporalibus, contritum dicitur, quod intus et foris fractione in minima resolutum est ; attritum vero, quod aliquomodo nempe forinsecus tantum læsum est aut comminutum [1].

1. *Attritionis* nomen Scripturæ et Patribus incognitum, a Scholæ doctoribus fuit excogitatum, ad significandum dolorem de peccato seu pœnitentiam quamdam imperfectam. Cum enim apud antiquos Scholasticos ratum esset contritionem esse justificationis et gratiæ gratum facientis pedisequam, nomen illis excogitandum fuit, quo præparationes ad gratiam gratum facientem notare et indigitare possent. Hactenus enim contritione cordis et compunctione significatæ fuerant. Nomen illud fuit *attritio*, quo hæc omnia complexi sunt, atque in Scholis vulgari cœpit post annum 1220, centum et paucis annis post natam Scholasticam. Morinus, *de Pœnit.*, lib. 8, 5.

144. — *Quæritur* 2° *quænam sint motiva*, ex quibus elicitur *attritio?*

Resp. Duplex est in genere motivum, ex quo attritio concipi potest, scilicet, *turpitudo peccati*, atque *metus gehennæ* et *pœnarum*. Etenim Conc. Trid. docet « attritionem vel ex *turpitudinis peccati* consideratione, vel ex *gehennæ* et *pœnarum metu* communiter concipi; » n. 4 : porro Concilium, cum generalem doctrinam in hac materia tradat, aliam divisionem non omisisset, si daretur; ergo integra est illa motivorum attritionis partitio generalis.

Revera, triplicem oppositionem et malitiam includit quodlibet mortale peccatum, nimirum, opponitur Deo in se sumpto, rectitudini supernaturali seu juribus, quæ Deo ut primo principio et fini ultimo ordinis supernaturalis competunt, et hominis felicitati : atqui motivum charitatis seu contritionis perfectæ excludit peccatum quatenus oppositum Deo in se sumpto; motivum autem ex turpitudine peccati removet peccatum uti oppositum rectitudini supernaturali; denique motivum ex gehennæ metu peccatum excludit uti oppositum hominis felicitati ; ergo attritio concipi potest tantum ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennæ et pœnarum metu.

145. — *Quæritur* 3° *quid* et *quotuplex* sit *peccati turpitudo*, ex cujus consideratione concipitur attritio?

Resp. 1. Peccati turpitudo est *voluntarius defectus conformitatis ordini* seu *rectitudini supernaturali*. Scilicet, hic agitur de turpitudine ordinis supernaturalis, et communi cuilibet mortali peccato, alioquin attritio ex ea elicita non esset supernaturalis, nec universalis ratione motivi, n. 158, 168 : atqui rectitudo et pulchritudo in ordine morali et supernaturali est voluntatis conformitas ordini a positiva Dei voluntate statuto ; ergo turpitudo est illius conformitatis voluntarius defectus, seu præfato ordini oppositio voluntatis.

Peccatum autem mortale, in statu præsenti, nihil aliud est quam voluntarius defectus conformitatis ordini supernaturali ; ergo illa turpitudo communis est omni peccato mortali.

2. *Triplex* est autem voluntatis *oppositio* ordini supernaturali, et ideo triplex fœditas ejusdem ordinis in omni peccato mortali contenta, nempe, oppositio et turpitudo *irreligionis*, *ingratitudinis* et *impœnitentiæ*.

Etenim ordo seu rectitudo supernaturalis triplicem importat relationem, *religionis* scilicet, *gratitudinis* et *pœnitentiæ*. Consistit enim in eo quod homo 1. Deo ut *primo principio* et *fini ultimo* ordinis supernaturalis, et consequenter naturalis, subdatur per virtutem *religionis* supernaturalis; 2. Deum uti *benefactorem* in ordine supernaturali et ideo naturali recognoscat per virtutem *gratitudinis* supernaturalis ; 3° Deo quatenus per peccatum seu per illius religionis et hujus gratitudinis denegationem *offenso* satisfaciat, per virtutem *pœnitentiæ* supernaturalis ; ergo in illis tribus consistit supernaturalis rectitudo et pulchritudo.

Revera ordo seu rectitudo moralis idem est ac justitia : atqui religio, gratitudo et pœnitentia sunt quædam justitia commutativa erga Deum, qua Deo redditur, quod a Deo acceptum, vel quod ei injuste denegatum est, S. Th. 2. 2, q. 80, a. 1 ; n. 42; ergo in illis tribus virtutibus consistit ordo seu rectitudo, et ideo pulchritudo moralis et supernaturalis.

Porro quodlibet peccatum mortale est voluntaria denegatio illius religionis, gratitudinis et pœnitentiæ ; ergo in omni peccato mortali adest turpitudo irreligionis, ingratitudinis et impœnitentiæ seu injuriæ Deo illatæ et nondum reparatæ ; ac proinde attritio supernaturalis et universalis ex triplici turpitudine peccati concipi potest.

146. — Hinc verum attritionis actum elicit, qui ex intimo cordis, atque ex lumine fidei, dicit : Peccasse me pœnitet super omnia, quia Deus est meus creator, conservator, sanctificator ; quia Deus est Dominus meus ; quia volo in Deo tanquam in fine ultimo quiescere ; quia Deus est benefactor meus ; quia Christus pro peccatis meis mortuus est ; quia per sacram Eucharistiam mihi seipsum dedit ; quia, peccando, summam injuriam Deo intuli ; quia dene-

gavi obedientiam Deo debitam, etc. Hujusmodi enim formulæ, si stricte sumantur, actum attritionis ex motivo religionis, gratitudinis aut pœnitentiæ elicitum exprimunt.

147. — Notandum est, motivum gratitudinis et pœnitentiæ supernaturalis, juxta plures, ad actum perfectæ contritionis eliciendum sufficere. Contrarium tamen a plerisque Theologis propugnatur, atque hoc veritati omnino consentaneum videtur, ut ex dictis circa illorum motivorum naturam colligitur. Revera, juxta Conc. Trid. et omnes Theologos, contritio perfecta ea est, quæ ex motivo charitatis concipitur, n. 137 : atqui motivum gratitudinis aut pœnitentiæ tam deficit a charitatis motivo, quam virtus gratitudinis aut pœnitentiæ a charitatis virtute; ergo motivum gratitudinis aut pœnitentiæ deficit etiam a contritionis perfectæ motivo. Vide Suarez, *de Pœnit.*, disp. 4, sect. 2; disp. 5, sect. 2.

148. — *Quæritur 4°* *quotuplici* modo concipi possit attritio ex *gehennæ* et *pœnarum metu?*

Resp. Quatuor modis, scilicet, vel quia peccatum nos privat *vita æterna*, aut *bonis temporalibus* ex supernaturali providentia a Deo concedendis; vel quia peccatum punitur supplicio *gehennæ*, aut *pœnis temporalibus* ex supernaturali providentia a Deo infligendis.

Etenim ejusdem virtutis est amare aliquod bonum, et odio habere contrarium malum : porro gehenna directe opponitur vitæ æternæ; ergo ad eamdem virtutem, nimirum *spei*, pertinet detestatio peccati sive ex timore gehennæ, sive ex amore vitæ æternæ; ac proinde attritio ex hoc amore elicita comprehenditur sub attritione ex metu gehennæ.

Similiter, ad idem spei motivum reducitur detestatio peccati ex amore bonorum temporalium quatenus ad vitam æternam ordinantur; et ex timore malorum temporalium quatenus nobis iram Dei indicant, et quodammodo inchoant æternum supplicium; et propterea Conc. Trid. dicit : *ex gehennæ* et *pœnarum metu;* ergo attritio ex hujusmodi amore

bonorum aut timore malorum temporalium elicita, comprehenditur sub attritione ex metu gehennæ.

Aliqui Theologi, inter quos Melchior Canus, Concina, Vasquez, Toletus, Billuart, Amort, sentiunt metum pœnarum temporalium, prout infliguntur a Deo, non sufficere ad attritionem, sed insuper requiri aliquid æternum, quia, ut aiunt, Conc. Trid., dicendo « attritionem ex metu gehennæ *et* pœnarum concipi, » copulative loquitur, non disjunctive; et idem verum est de spe bonorum temporalium a Deo concessorum. Sed hæc controversia præcavetur, concipiendo attritionem vel ex amore bonorum temporalium *quatenus ad vitam æternam ordinantur*, vel ex metu malorum temporalium *quatenus quodammodo inchoant supplicium æternum*, ut in supradictis traditum est.

149. — Hinc 1. formalis actus attritionis illis quatuor modis ex metu gehennæ conceptus, est *virtualis* actus *amoris spei* seu *concupiscentiæ* erga Deum.

Namque, ex jam dictis, attritio sive ex amore vitæ æternæ, aut ex amore bonorum temporalium quatenus ad vitam æternam ordinantur, sive ex timore gehennæ, aut ex timore pœnarum temporalium quatenus Dei iram in ordine supernaturali nobis indicant, ad virtutem spei pertinent : atqui spes est supernaturalis amor concupiscentiæ; ergo attritio illis quatuor modis ex metu gehennæ concepta, est virtualis amor concupiscentiæ seu spei.

Et vero, attritio ex appetitu vitæ æternæ immediate tendit in odium peccati ut vitæ æternæ oppositi, et consequenter in Deum ut summum bonum pro nobis. Similiter attritio ex metu gehennæ immediate tendit in odium peccati ut ad summum malum nostrum seu infernum trahentis, et consequenter in Deum ut summum bonum nostrum.

Propterea dicitur : *Timor Dei initium dilectionis ejus;* Eccli., 25, ℣ 16. — « Ex hoc quod per aliquem speramus nobis provenire bonum, *movemur* in ipsum, sicut in bonum nostrum, et *sic incipimus ipsum amare;* » S. Th., 1, 2, q. 40, a. 7.

150. — Hinc 2. *perfectior* est, ratione *motivi*, *attritio* ex consideratione *turpitudinis* peccati concepta, quam ex *gehennæ metu*.

Etenim motivum spei includit explicitum respectum ad proprium pœnitentis commodum, et propterea dicitur motivum *concupiscentiæ*; motivum autem turpitudinis peccati, id est, religionis, gratitudinis et pœnitentiæ, longe minus proprium pœnitentis commodum respicit, et etiam ex aliqua parte ad amoris puri motivum accedit; ergo, etc.

151. — *Obj.* 1° Qui retractat peccatum quatenus Deo uti summo bono nostro oppositum, ita affectus est, ut si a Deo non speraret possessionem illius summi boni, non detestaretur peccatum : porro talis dispositio mala est; ergo mala est et attritio ex spe vitæ æternæ elicita.

Resp. Nego maj. Etenim qui detestatur peccatum intuitu vitæ æternæ, non ordinat Deum ad seipsum tanquam ad finem ultimum, sed seipsum ad Deum ut ad finalem beatitudinem : porro talis motus laudabilis est; ergo et attritio ex motivo spei concepta.

Et vero, qui ita affectus esset, ut, si non esset vita æterna, non detestaretur peccatum, eo ipso peccaret, quia positive charitatem excluderet : porro, qui elicit attritionem intuitu vitæ æternæ vere et interne retractat omne peccatum; ergo non ita affectus est, ut non eliceret illam attritionem, si Deus non esset summum bonum pro nobis.

152. — *Inst.* 1. Qui detestatur peccatum ex gehennæ metu, ita dispositus est, ut non retractaret peccatum, si non esset gehenna : porro talis dispositio mala est; ergo mala est et attritio ex illo metu concepta.

Resp. Dist. maj. Ita dispositus est, si habeat timorem *serviliter* servilem, *conc.*; si habeat timorem *simpliciter* servilem, *nego*. Etenim, qui timore serviliter servili movetur, de peccato dolet conditionate tantum, ita ut vellet peccare, si non esset gehenna, ac proinde per hanc dispositionem eo ipso peccat, nec consequenter vere infernum timet, nec de peccato commisso interne dolet; qui vero ex timore simpliciter servili elicit attritionis actum, timet gehennam absque conditione sed efficaciter, ac proinde interne dolet de peccato; ergo, qui ex timore simpliciter servili detestatur peccatum,

non est ita dispositus, ut non retractaret peccatum, si non esset gehenna.

Et vero, timor alicujus mali rationem suam et bonestatem sumit ex bono, cui tale malum opponitur; malum enim ratione boni odio habetur : porro bonum, cui opponitur gehennæ malum, est per se honestissimum et amabile, cum sit vita æterna; ergo bonus est gehennæ timor simpliciter servilis. Quare attritionem ex hoc metu elicitam esse *donum Dei* et disponere ad justificationem, definivit Conc. Trid., n. 4, 14, et probatum est in Tract. *de Gratia*, n. 275.

153. — *Inst.* 2. Ut attritio sit vera, requiritur quod pœnitens detestetur peccatum super omne detestabile : porro, qui fugit peccatum ob gehennam, hanc detestatur super peccatum; ergo detestatio peccati ex inferni metu non est super omne detestabile.

Resp. Nego minor. Etenim. 1. qui ex gehennæ metu odit peccatum, hoc detestatur tanquam gehennæ causam : atqui pœnæ causa ut sic sumpta, per se detestabilior est et magis revera repellitur, quam ipsa pœna seu effectus; ergo, qui fugit peccatum quia causat infernum, detestatur peccatum super gehennam. Et vero detestabilius est peccatum quatenus dignum facit gehennæ, quam ipsa gehenna quatenus pœna tantum, ex dicendis, n. 163.

2. Qui aliquod malum quatenus consummatum vere detestatur super omne aliud malum, virtualiter et implicite eodem odio prosequitur illud malum quatenus inchoatum et per se ad consummationem ducens : atqui infernus nihil aliud est quam status peccati consummati, seu voluntariæ a Deo separationis consummatio; ergo detestatio gehennæ super omne aliud malum est etiam ipsius peccati detestatio appretiative summa.

§ II

De necessitate Contritionis ad rite suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ.

PROPOSITIO

154. — *Contritio, abstrahendo ab hujus specie, est dispositio omnino necessaria ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ percipiendum.* De fide est.

Prob. 1° *Script. Si pœnitentiam non egeritis, omnes simili-*

ter peribitis; Luc., 13, ℣ 5. — *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum;* Act., 2, ℣ 38; ergo pœnitentia seu contritio absolute requiritur ut conditio sine qua non, ad remissionem peccatorum, etiam per Baptismum consequendam; ac proinde eadem dispositio omnino necessaria est ad peccati remissionem per Sacramentum Pœnitentiæ, in quo gratia peccati remissiva non facilius ac in Baptismo obtinetur, ex Conc. Trid., n. 2.

2° *Traditione,* quam dilucide contrahit Conc. Trid., declarando, « *odium peccati* et pium animi dolorem *quovis tempore* ad gratiam et *justitiam* consequendam *necessariam fuisse,* illis etiam qui *per Baptismi Sacramentum* ablui petivissent; et in homine post Baptismum lapso, illum *contritionis* motum *præparare* ad remissionem peccatorum... et ad *rite suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ;* » n. 1, 4. Tandem definivit « *contritionem præparare ad gratiam,* » n. 14; « *pœnitentiam* esse *necessariam dispositionem* ad consequendam justificationem. » Vide Tract. *de Gratia,* n. 12, 25, 275.

3° *Ration. theol.* 1. Voluntas non potest esse simul in statu aversionis a Deo et ad Deum conversionis : atqui peccatum est status aversionis a Deo, gratia autem sanctificans est status conversionis ad Deum; ergo, ad gratiæ infusionem, prærequiritur ut voluntas per contritionem cesset velle aversionem a Deo, et velit ad Deum conversionem. S. Th., 3 p., q. 86, a. 1.

2. Homo, ad Dei amicitiam recuperandam, facere tenetur quod potest, ut satisfaciat pro injuria per peccatum Deo illata : porro contritionis actus est excellentior satisfactio de congruo apud Deum, atque possibilis est ante justificationem; ergo per hujusmodi actum se disponere tenetur homo ad gratiam reconciliationis. Revera, sicut perseverantia in statu peccati removet offensum a veniæ concessione, ita et reparationis initium per humilem culpæ recognitionem et retractationem disponit offensum ad injuriæ condonationem.

3. Ut Sacerdos absolutionis sententiam pronuntiet, prærequiritur cognitio causæ per ipsius rei confessionem :

atqui hæc confessio coram Sacerdote non potest esse nisi effectus internæ confessionis coram Deo seu contritionis; hac enim semota, pauci peccata sua sponte confiterentur coram homine; ergo contritio est dispositio necessaria ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ recipiendum.

§ III

De dotibus Contritionis ad Pœnitentiæ Sacramentum necessariæ.

155. — *Quæritur* quænam dotes contritioni veræ et proprie dictæ competere possint et debeant?

Resp. Contritio potest esse *interna* ex parte subjecti, *supernaturalis* ex parte principii et motivi, *summa* appretiative ex parte modi, *universalis* ex parte objecti.

Interna quidem ea est contritio, quæ, non ab ore tantum, sed ex intimo cordis affectu profluit, atque ideo vere existit in ipsa voluntate.

Supernaturalis est contritio, quæ talis se habet tum ratione principii a qua procedit, seu gratiæ illuminantis et moventis animum ad concipiendum animi dolorem et peccati commissi detestationem; tum ratione finis seu motivi ex quo elicitur, quatenus per lumen fidei proponitur et apprehenditur illud motivum.

Summa appretiative, ea est quæ, implicite aut explicite comparando omnia mala cum peccato commisso, de hoc dolet, illudque detestatur super omne aliud malum seu detestabile, ita ut implicite vel explicite hic et nunc mallet omnia pati potiusquam peccasse, atque ideo sibi proponat omnia perdere ac pati, potiusquam iterum peccare. Duo igitur spectat appretiatio, nimirum, detestationis et doloris *objectum* seu offensam Dei, quæ pluris fit rebus omnibus, et *motivum* propter quod pluris æstimatur.

Universalis est contritio, quæ saltem implicite se extendit ad omnia singula peccata mortalia, eaque simul excludit. His positis, sit

PROPOSITIO PRIMA

156. — ***Contritio, ut sit vera, debet esse interna.*** Certum est.

Etenim, ex dictis, n. 133, contritio seu animi dolor et detestatio peccati commissi est actus ab ipsa voluntate elicitus; ergo quod ex intimo cordis affectu profluat contritio, ipsa rei natura requiritur.

Et vero 1. contritio est actus peccato oppositus : atqui peccatum est in ipsa voluntate ; ergo et ejus retractatio ; quæ proinde est per se et necessario quam maxime interior.

2. Contritio elicitur in satisfactionem seu compensationem injuriæ Deo per peccatum illatæ, n. 37 : porro illa satisfactio primario ac principaliter consistit in actu interno, qui per se et directe offensæ Dei opponitur, seu in actu doloris et detestationis ab ipso corde elicito : *Deus* enim *intuetur cor*, I Reg. 16, ℣ 7 ; ergo vera contritio essentialiter consistit in intimo cordis affectu.

157. — Hinc vera et sincera non est contritio, quæ sistit tantum in mentis aut imaginationis superficie, in verborum inani strepitu, vel fictis lacrymis. Attamen lacrymæ in pœnitentia summopere optandæ et commendandæ sunt, ut satis comprobant clarissima Ninivitarum, Davidis, Magdalenæ, Apostolorum principis exempla, qui omnes plurimis lacrymis Dei misericordiam implorantes, peccatorum veniam impetrarunt.

Quæ sinceritas dignoscitur ex indole pœnitentis, ex motivis quibus ad confitendum impellitur, ex cura ad conscientiæ examen et ex sinceritate in peccata confitendo, ex virtutum praxi, ex mutatione vitæ, ex occasionum fuga, juxta illud : *A fructibus eorum cognoscetis eos;* Matth. 7, ℣ 16. Ad hæc attendant Confessarii præsertim pro peccatoribus inveteratis et consuetudinariis, et iis qui versantur in occasione proxima, n. 195.

PROPOSITIO II

158. — *Contritio, ut sit dispositio ad peccati remissionem, debet esse supernaturalis.*

Et quidem 1° ratione *principii* seu gratiæ excitantis et adjuvantis; de fide est. Constat ex dictis in Tract. *de Gra-*

tia, n. 271, 275, ubi demonstratum est hominem lapsum, sine gratia excitante et adjuvante ordinis supernaturalis, nullo modo posse se disponere ad justificationem; atque contritionem esse unam ex dispositionibus requisitis ad justificationem consequendam sive cum voto tantum, sive cum reali susceptione Baptismi aut Sacramenti Pœnitentiæ.

2° Ratione *motivi*. Nam contritio, de qua agitur, tendit ad justificationem consequendam ; ac proinde peccatum retractat quatenus est Dei offensa in ordine supernaturali, atque ut excludens bonum supernaturale seu justificationem et gloriam : porro hoc nihil aliud est, quam detestare peccatum ex motivo supernaturali ; ergo, etc,

Et vero, ex Conc. Trid., n. 4, contritio, qua disponitur homo ad justificationem, elicitur ex motivo charitatis, aut turpitudinis peccati, aut ex metu gehennæ : porro hæc tria motiva, sunt ex se supernaturalia, n. 138, 145, 148, 150 ; ergo, etc.

Insuper ab Innocentio XI damnata est sequens propositio : *Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam ;* ergo non est probabile sufficere attritionem naturalem ratione principii aut motivi.

Proinde vera contritio est *donum Dei*, nec ab ullo potest nisi suppliciter mereri ; et ideo peccator illam a Deo postulare debet importuna, constanti ferventique oratione.

Hinc etiam, qui dolet de peccato, quia repugnat rationi aut convictui humano, vel quia ex illo sequitur dispendium famæ aut bonorum temporalium, aut ex similibus motivis naturalibus, de peccato non dolet quatenus est offensa Dei in ordine supernaturali, nec proinde vere conteritur coram Deo.

161. — Sedulo autem distinguendum est *motivum* contritionis ab hujus *occasione*, quæ per se non excitat voluntatem ; sed, qua posita, motivum et gratia movent voluntatem, ad dolorem et detestationem peccati. Sic, occasione prædicationis Jonæ, Ninivitæ ex metu iræ divinæ pœnitentiam conceperunt, vi cujus novam impetrarunt gra-

tiam ad eliciendum charitatis actum, per quam condonationem adepti sunt; n. 4.

PROPOSITIO III

102. — *Contritio, ut sit dispositio ad justificationem, debet esse appretiative summa*. Certum est.

Prob. 1° *Script.* « Cum quæsieris Dominum, invenies eum, *si tamen toto corde* quæsieris, *tota tribulatione* animæ tuæ; » Deuter. 4, ℣ 29. — *Convertimini ad me in toto corde vestro;* Joel, 2, ℣ 12. — « Qui amat patrem aut matrem *plus quam me*, non est me dignus; » Matth. 18, ℣ 37.

Unde sic : in illis textibus, ut peccator inveniat Deum, requiritur tribulatio ex tota anima, conversio ex toto corde : porro talis tribulatio et conversio est contritio appretiative summa, ut indicatur per verba : « Qui amat patrem *plus quam me*, etc., et ut interpretantur communiter Theologi : « Cum mandatur quod Deum *ex toto corde* diligamus, datur intelligi, quod Deum *super omnia* debemus diligere; » S. Th., 2. 2, q. 44, a. 8, ad 2; ergo vera contritio debet esse appretiative summa.

2° Ex Conc. Trid., « contritio debet excludere *omnem affectum ad peccatum* et *omnem voluntatem peccandi.* » n. 4 : porro, qui non detestatur peccatum commissum super omne aliud malum, eo ipso hic et nunc est in voluntate peccandi, posito quod immineat malum, quod super peccatum timetur; ergo contritio, ut excludat omnem voluntatem peccandi et affectum ad peccatum, debet esse appretiative summa.

3° *Ration. theol.* 1. Peccatum quatenus est offensa Dei, habet malitiam infinitam, vel saltem longe excedit cætera mala etiam collective sumpta, ex dictis in Tract. *de Incarn.*, n. 184 : atqui contritio detestatur peccatum quatenus est offensa Dei, et ideo super omne detestabile; ergo contritio, ut sit vera, debet esse, ex parte objecti, appretiative summa.

2. Peccatum, quatenus opponitur fini ultimo in ordine supernaturali, est etiam omnium malorum maximum : porro vera contritio detestatur peccatum ex aliquo motivo

supernaturali, id est, quia fini hujus ordinis opponitur, et ideo quia sub hoc respectu est omnium malorum maximum ; ergo contritio, ut sit vera, debet esse, ex parte motivi, appretiative summa.

163. — Hinc 1° etsi, per impossibile, daretur eligendum culpam inter et pœnam æternam, quatenus præcise *pœna* est, non pœna peccati, potius eligenda esset hæc pœna, quam culpa.

Peccatum enim facit dignum pœnæ æternæ : atqui pejus est esse dignum pœnæ, quam pœnam sustinere, n. 153 : « Si hic peccati pudorem, et illic cernerem inferni horrorem, et uni eorum necessario haberem immergi, potius me in gehennam immergerem, quam peccatum in me immitterem : mallem enim a peccato purus in infernum intrare, quam peccati sorde pollutus cœlorum regna tenere, » S. Anselm. *de Similitudi.* c. 190.

Et vero, peccatum est malum Dei seu malum simpliciter; pœna autem ut sic, est malum hominis seu malum secundum quid, quod etiam fit bonum et utile, dum ad vitandam culpam eligitur; ergo, in detestatione peccati appretiative summa, includitur affectus eligendi quamcunque pœnam etiam æternam, si sejungi posset a culpa, ad vitandum peccatum. In hoc sensu multi intelligunt verba Moysis : « Aut dimitte eis hanc noxam, aut, si non facis, *dele me de libro tuo* ; » Exod. 32, ✝ 32. Et hæc S. Pauli : « Optabam ego *anathema esse* a Christo pro fratribus meis ; » Rom. 9, ✝ 3.

164. — Attamen, ad contritionem appretiative summam, nec necessaria, nec plerumque utilis est formalis comparatio peccati cum aliis malis.

Non *necessaria* quidem. Nam illa comparatio implicite includitur in detestatione peccati quatenus est offensa Dei, et ex motivo supernaturali elicita. Sic etiam religio colit Deum super omne adorabile, fides credit divina super omne credibile, charitas Deum diligit super omne amabile, absque ulla formali comparatione.

Nec plerumque *utilis*. Sicut enim delectabilia, generaliter loquendo, plus movent in specie considerata, quam in genere; ita mala sensibilia, v. g., mors, contumelia, jactura bonorum temporalium, plus movent, si in particulari considerentur; ergo verendum est ne, dum hæ comparationes formaliter statuuntur aut pœnitentibus proponuntur, hi inducantur in tentationem, eisque præbeatur occasio peccandi, dicendo, v. g., mallesne vivus comburi, vel omnia martyrum tormenta subire, vel omnia bona temporalia amittere, quam iterum peccare?

Aliunde, cum hujusmodi pœnæ non sint actuales, sed hypotheticæ tantum, pœnitens hic et nunc destituitur gratia ad illas superandas necessaria, et quæ non deesset, si actualiter urgerent; ergo nec requiritur, nec haberi potest voluntas adeo roborata et determinata, ac si revera in momento superanda essent illa mala; sed sufficit detestatio hic et nunc excludens omnem *affectum* ad peccatum commissum, omnemque *voluntatem* peccandi in posterum.

165. — Hinc 2° vera contritio est *virtualis amor* Dei *super omnia*.

Etenim, ex jam dictis, contritio est motus aversionis a peccato et conversionis ad Deum per cujuscunque rei oppositæ abnegationem : porro motus conversionis ad Deum, quo Deus omnibus rebus anteponitur, nihil aliud est quam amor Dei super omnia; ergo vera contritio est saltem virtualis et implicitus amor Dei super omnia. Talis autem amor non est necessario charitas, sed etiam elici potest, sicut et contritio, ex motivo turpitudinis peccati vel metus gehennæ, n. 139, 145, 148, 149.

166. — Hinc 3° vera contritio includit *propositum non peccandi de cætero*. Certum est.

Nam, ex jam dictis, ut contritio sit appretiative summa, debet excludere omnem affectum ad peccatum et *omnem voluntatem peccandi;* hoc autem nihil aliud est quam propositum non peccandi in futurum; ergo, etc.

Revera, contritio detestatur peccatum quatenus est of-

fensa Dei atque fini supernaturali oppositum; ergo hac duplici ratione peccatum excluditur quocunque modo voluntati se præbeat. Aliunde repugnat voluntatem retractare peccatum commissum, et simul velle peccatum in futurum committere. Quare Conc. Trid. declarat « contritionem esse animi dolorem ac detestationem de peccato commisso, *cum proposito non peccandi de cætero;* » n. 4. S. Th. 3 p., q. 84, a. 10, ad 4.

Unde propositum illud, si ex contritione appretiative summa vere defluat, erit firmum et efficax.

1. *Firmum* quidem, ita ut pœnitens nullius mali timore, nullius boni cupidine peccatum in posterum admittere velit.

Quæ firmitas propositi non relabendi coexistere potest cum relapsus *timore,* quem incutit et mutatio voluntatis et præterita fragilitas. Aliud est enim proponere in futurum non peccare, et aliud sibi persuadere et judicare se perseveraturum; prius est voluntatis, et ex præsenti proposito pendet, atque ideo necessarium est; posterius vero est intellectus, et ex futuro eventu pendet, ac proinde non requiritur; imo fragilioribus hominibus consulendum est, ut nihil de illo curent aut cogitent; dummodo, interroganti Confessario de voluntate non peccandi, respondeant: « Ego, fragilis, formido lapsum, *non* tamen *volo nunc casum;* de futuro, misericordiæ Dei me commendo, deprecans, ut me custodiat a peccato. » Ita Suarez, S. Ligor., etc.

Firmo autem proposito caret qui credit *certo* se relapsurum. Ita S. Ligor., Concina, etc., contra quosdam. Etenim, qui vere proponit non peccare, a peccato abstinere potest, fidens in Deum, qui facienti quod id se est, non denegat gratiam; ergo, qui credit certo se relapsurum, non sufficienter proponit vitare peccatum, etiam auxiliante Deo. In praxi non raro reperiuntur peccatores asseverantes se relapsuros esse, qui tamen nihil aliud ostendunt quam relabendi timorem, suique diffidentiam. Diligenter proinde indolem geniumque pœnitentis inspicere debent Confessarii.

2. *Efficax* etiam debet esse propositum, ita ut pœnitens sincere *proponat adhibere* operam et media ad peccatum

vitandum idonea; alioquin nugatoria esset resipiscendi voluntas. Quare nullum certius est contritionis appretiative summæ criterium, quam hujusmodi propositum efficax.

Sufficit autem ut propositum sit efficax *affective*, id est, ut pœnitens sit *animo paratus* ad adhibenda necessaria media. Relapsus enim non est signum insufficientis propositi, sed duntaxat mutatæ voluntatis. Et vero, contingere potest, ut quis contritionem appretiative summam concipiat, et ideo hic et nunc efficax propositum non peccandi de cætero habeat, et nihilominus paulo post peccet. Sic Petrus vere proposuerat mori, potiusquam Christum negare; et tamen ad primam ancillæ vocem eum negavit.

Sed regulariter defecit propositum efficax et contritio appretiative summa, quando pœnitens relabitur, quin *aliquo modo tentationi obsistat*...

An autem illud propositum debeat esse *explicitum*, infra dicetur, n. 183.

167. — Hinc 4° vera contritio includit *votum Baptismi* aut *Sacramenti Pœnitentiæ*.

Etenim, ex jam dictis, contritio continet firmum et efficax propositum non peccandi de cætero, seu adimplendi omnia præcepta, quæ sub gravi obligant : atqui grave adest præceptum pro omnibus recipiendi Baptismum, et etiam Sacramentum Pœnitentiæ pro iis, qui post Baptismum graviter deliquerunt, n. 64; ergo omnis vera contritio, utpote dispositio ad peccatorum remissionem, in statu præsenti saltem virtualiter includit votum Baptismi aut Sacramenti Pœnitentiæ. Revera Conc. Trid. declarat « contritionem non obtinere remissionem peccatorum *sine Sacramenti voto*, quod *in illa includitur;* » n. 4. Aliunde idem votum requiritur, ut contritio tanquam materia Sacramenti Pœnitentiæ eliciatur, n. 85. An autem illud implicitum sufficiat, dictum est, n. 67.

PROPOSITIO IV

168. — *Contritio, ut sit vera, debet esse universalis, seu extensive summa*. Certum est.

Etenim 1° contritio detestatur peccatum quatenus est offensa Dei : atqui eadem ratio peccati est communis omni peccato mortali ; ergo, ex parte objecti, contritio se extendit saltem implicite ad omnia et singula mortalia.

2° Contritio elicitur ex aliquo motivo supernaturali, seu detestatur peccatum, quia subordinationi debitæ ex parte creaturæ erga Deum aliquo modo opponitur : porro quodlibet peccatum mortale talem oppositionem per se implicat ; ergo contritio, ratione motivi, saltem implicite se extendit ad omnia et singula mortalia. Sic, v. g., qui dolet de peccato, quia contrarium est vel charitati divinæ, vel cultui divino, vel gratitudini aut justitiæ Deo debitæ, vel æternæ Dei possessioni, vel quia secum trahit pœnam æternam, eo ipso virtualiter detestatur omnia peccata mortalia, cum mortale quodcunque eamdem contrarietatem et consequentiam per se inducat.

3° Contritio, in statu præsenti, elicitur ad remissionem peccatorum consequendam per gratiam justificationis : atqui hæc gratia per se excludit omne peccatum mortale in anima, ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 304, 308 ; ergo vera contritio per se et saltem implicite est universalis. S. Th. 3 p. q. 86, a. 3.

169. — Hinc 1° *explicita* detestatio de *omnibus* mortalibus peccatis non requiritur, sed sufficit vera contritio de iis quæ sunt in conscientia, ut adsit virtualis et implicita contritio de cæteris.

170. — Hinc 2° contritio mortalium non virtute continet *venialium* detestationem. Certum est.

Veniale enim peccatum non est offensa Dei simpliciter, nec fini supernaturali opponitur, nec excludit gratiam sanctificantem ; ergo retractari et remitti potest mortale peccatum, quin retractetur et remittatur veniale.

171. — Hinc 3° contritio *unius venialis* per se non implicat aliorum venialium detestationem.

Etenim dolor de uno veniali universalis non est 1. ra-

tione *objecti* seu malitiæ peccati; veniale siquidem non constituit offensam Dei simpliciter, sed secundum quid, et ideo malitiam habet particularem tantum. 2. Nec ratione *motivi;* namque solus ultimus finis est universalis, et ideo solum motivum ex illo fine desumptum est universale : atqui veniale tali fini non opponitur; ergo ex motivo universali per se non retractatur. 3. Nec ratione *infusionis gratiæ* sanctificantis; veniale enim gratiam non excludit, nec ejus remissio infusionem gratiæ per se requirit. Ergo unumquodque veniale peccatum retractari et remitti potest, quin per se etiam implicite cætera retractentur et remittantur.

172. — Hinc 4° contritio *peccati venialis* virtualiter continet mortalium detestationem.

Nam 1. qui fugit peccatum, quia leviter Deum offendit, a fortiori fugit peccatum, quod graviter offendit Deum.

2. Peccatum veniale retardat tantum a fine consequendo, dum mortale ab illo fine avertit : porro, qui efficaciter vult non retardari a fine, a fortiori implicite vult a tali fine non averti; sicut qui fugit ægritudinem, a fortiori fugit mortem, quantum est ex vi illius actus.

3. Qui efficaciter odio habet pœnam temporalem et remissionem charitatis, multo magis odit pœnam æternam et charitatis amissionem : atqui veniale inducit pœnam temporalem, et charitatis fervorem minuit : mortale autem trahit æternam pœnam, et charitatem tollit; ergo contritio venialium virtualiter continet mortalium detestationem, n. 295, 296.

173. — *Quæritur* 1° utrum ad veram contritionem per se requiratur specialis gradus *intensitatis?*

Resp. negative. Namque intensitas non ad essentiam actus pertinet, sed est ipsi mere accidentalis; et ideo absque tali vel tali intensitatis gradu, actus veræ contritionis existere potest.

Et vero, ut peccatum sit mortale, non requiritur actus

intensitas ; ergo nec ad ejus veram retractationem. Aliunde specialis gradus ad essentiam contritionis necessarius determinari nequit.

Unde contritio vera est, quamvis non sit *intensive summa* seu maxima et vehementissima. Tutius est tamen actum contritionis intensiorem elicere, ne forte, ex levitate, nullus quoad substantiam concipiatur, sed sit tantum velleitas quædam, et non vera peccati detestatio super omnia.

174. — *Quæritur* 2° utrum ad veram contritionem requiratur, ut *certo tempore* duret?

Resp. negative. Diuturnitas enim ad actus essentiam non pertinet, sed est ipsi mere accidentalis; ideoque sufficit, ut actus sit substantialiter impletus : quod uno instanti perfici potest; propterea dicitur : « Cum *conversus ingemueris, tunc* salvus eris... ad vocem clamoris tui *statim* ut audierit, respondebit tibi ; » Isa. 30, juxta LXX Interpretes; quibus verbis promittitur remissio peccati ratione conversionis absque ulla mora vel dilatione. « Il ne faut que *très peu de temps* pour bien faire un acte de contrition, puisqu'on n'a qu'à se prosterner devant Dieu en esprit d'humilité, et se repentir de l'avoir offensé. » S. Franc. Salesius.

Attamen tutius est productiorem actum contritionis elicere, ne forte, ex nimia festinatione, insufficiens quoad substantiam concipiatur. « Non enim facile est ut affectus, quem homo toto vitæ tempore inclinavit in aliquid, subito in contrarium retrahatur, » ait S. Th. 4, Dist. 20, q. 1, tum propter naturam voluntatis humanæ, tum propter infirmitatem ex peccato et peccati consuetudine consequentem; tum quia « gratia semel amissa paulatim recipitur, » inquit S. August. *Serm.* 54.

Unde ab iis, qui in habitu peccati versantur, aliquandiu protrahendi sunt et iterandi contritionis actus, ut ad peccati detestationem super omna tutius pertingant.

Exinde etiam satis dubium est illum unquam de peccato vere doluisse, qui tam cito et peccati cogitationem et dolo-

ris sensum amittit, sicut et de re levi, quæ fugitive per mentem transit.

§ IV

De specie Contritionis ad Pœnitentiæ Sacramentum requisitæ.

175. — Duplex est, ut vidimus n. 137, 145, contritionis species, perfecta et imperfecta seu attritio ; quæritur autem utrum, ad percipiendum Sacramenti Pœnitentiæ effectum, necessaria sit contritio perfecta, an sufficiat attritio. Unde

PROPOSITIO PRIMA

176. — *Perfecta contritio requiritur et sufficit ad remissionem peccatorum consequendam, sine reali susceptione Sacramenti Pœnitentiæ.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* « Si impius egerit *pœnitentiam*... *omnium iniquitatum* ejus *non recordabor;* » Ezech. 18, ℣ 21, 22. « Remittuntur ei peccata multa, *quoniam dilexit* multum. » Luc. 7, ℣ 47. — *Charitas operit multitudinem peccatorum ;* I Petr. 4, ℣ 8. — *Ego diligentes me diligo;* Prov. 8, ℣ 17. — « Qui *diligit* me, *diligetur* a Patre meo; » Joan. 14, ℣ 21. Unde sic : in illis textibus, actus pœnitentiæ simpliciter aut actus charitatis requiritur tanquam sola conditio ad remissionem peccatorum quorumlibet, et ad recuperandam Dei amicitiam quacunque die et hora; porro contritio perfecta est ipsemet formalis actus pœnitentiæ simpliciter, et virtualis actus charitatis, n. 139 ; ergo contritio perfecta sive charitatis actus requiritur et sufficit ad remissionem peccatorum.

2° *Traditione.* « *Charitas* efficit *filium Dei*... Timor medicamentum, *charitas sanitas* est... *Deum* non vides ; *ama*, et *habes;* » S. August. *in Joan.* Tract. 9; *Serm* 35. — « *Charitas* non potest esse cum *peccato mortali;* » S. Th. 2. 2, q. 43, a. 4. — « *Sine miraculo* non potest post *actum dilectionis Dei* super omnia *manere peccatum;* » Bellarm. Ergo illa omnia vera sunt etiam de contritione perfecta, cum sit virtualis charitas.

Conc. Trid. declarat « *attritionem sine Sacramento Pœnitentiæ* non posse *per se* ad justificationem perducere peccatorem ; contritionem vero *charitate perfectam* hominem *Deo reconciliare, priusquam* hoc Sacramentum *actu* suscipiatur, sed cum hujus voto; » n. 4 ; ergo contritio perfecta requiritur et sufficit cum voto Sacramenti ad remissionem peccatorum.

Idem constat ex damnatione duplicis propositionis a Baio assertæ : « Per contritionem etiam *cum charitate perfecta,* et voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, *non remittitur crimen,* extra casum necessitatis aut martyrii, *sine actuali susceptione* Sacramenti. — Homo existens *in peccato mortali* potest habere *veram charitatem.* »

3° *Ration. theol.* 1. Contritio perfecta erat necessaria et sufficiens ad remissionem peccatorum ante institutionem Sacramenti Pœnitentiæ : atqui lex gratiæ viam salutis arctiorem non fecit; ergo etiam nunc sufficiens est, et necessaria, cum insufficiens sit attritio sine Sacramento.

2. Justificatio est status amicitiæ inter Deum et hominem : atqui contritio perfecta et quidem sola sive actus charitatis est actus amicitiæ erga Deum, et ideo dispositio connaturalis et proportionata ad divinæ amicitiæ restaurationem; ergo ad hanc recuperandam amicitiam requiritur et sufficit contritio perfecta aut actus charitatis, sine reali susceptione Sacramenti Pœnitentiæ.

PROPOSITIO II

177. — *Perfecta contritio non requiritur, sed sufficit attritio ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ consequendum.* Certum est.

Sequitur ex præcedenti propositione. Etenim, ex jam dictis, contritio perfecta per se sufficit ad remissionem peccatorum consequendam; ergo, si hujusmodi contritio prærequiratur ad Sacramentum Pœnitentiæ cum fructu recipiendum, eo ipso hoc Sacramentum semper et per se præsupponit peccatum remissum per illam contritionem, semperque et per se absolutio erit sententia tantum declaratoria : atqui tamen de fide est Pœnitentiæ Sacramentum

per se institutum esse ad gratiam reconciliationis conferendam, atque absolutionem esse sententiam per se peccati remissivam, n. 55, 107; ergo, ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ recipiendum, non requiritur contritio perfecta, ac proinde sufficit attritio.

Et vero, ante institutionem Sacramenti Pœnitentiæ, sufficiens erat contritio perfecta ad peccatorum remissionem; ergo, posito quod nunc requiratur perfecta contritio cum susceptione illius Sacramenti, longe gravior et difficilior evadit remissio peccatorum in nova lege ac in veteri, atque illud Sacramentum onus est et impedimentum: hoc autem statui legis gratiæ repugnat; ergo non requiritur perfecta contritio, sed attritio sufficit ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ consequendum.

178. — Hinc Sacramentum Pœnitentiæ facit pœnitentem *ex attrito contritum*.

Scilicet, non eo sensu quod, accedente Sacramento, attritionis actus ducat ad actum contritionis perfectæ; sed eo sensu quod pœnitens de attrito in *actu*, fiat contritus in *habitu*, quatenus actus attritionis junctus Sacramento impetrat gratiam habitualem, quæ est habitualis charitas, et ideo virtualiter *habitualis* contritio perfecta: sicque semper verum est sine charitate saltem habituali neminem salvum fieri.

Alii dicunt pœnitentem ex attrito fieri contritum, eo sensu quod attritio juncta Sacramento æquivalet contritioni ad justificationem consequendam: « Aliqui *non perfecte contriti*, virtute clavium *gratiam contritionis* consequuntur. » S. Th. *Quodli.* 4, a. 1.

179. — *Nota.* Circa valorem attritionis sic habet Conc. Trid.: « Quamvis *attritio sine Sacramento Pœnitentiæ per se* ad justificationem perducere peccatorem *nequeat*, tamen ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam *disponit*.; » n. 4.

Jam vero in prima delineatione illius declarationis dicebatur, « attritionem *sufficere* ad Sacramenti Pœnitentiæ

constitutionem, atque sine *aliquo dilectionis* in Deum *motu* esse vix posse. » Joannes autem Æmilianus, Tudetanus antistes, monuit falso dici hujusmodi dolorem sine amore vix unquam concipi posse; atque variare auctorum sententias de sufficientia attritionis ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ recipiendum. Quamobrem, expuncto verbo *sufficere*, loco ejus substitutum est *disponere;* et etiam expuncta sunt verba, *cum sine aliquo dilectionis motu esse vix queat*.

Unde, per illud decretum sicuti nunc exstat, « Concilium voluit tantum damnare errorem hæreticorum improbantium attritionem ex timore gehennæ et pœnarum ut *inhonestam;* non autem ferre sententiam de scholastica quæstione an hujusmodi timor, non solum absque contritione animi perfecta, (de quo vix controversia fuit), sed etiam absque eo quod *ullus* excitetur *amor imperfectus, sufficiat* ad peccatorum remissionem *in Sacramento.* » Ita Pallavicinus, *Hist. Conc. Trid.* lib. 12, c. 10.

§ V.

De amore initiali requisito simul cum attritione ad Sacramentum Pœnitentiæ recipiendum.

180. — *Quæritur*, scilicet, 1° an, ut rite suscipiatur Pœnitentiæ Sacramentum, præter attritionem ex turpitudine peccati, vel ex gehennæ metu conceptam, n. 144, insuper requiratur *aliqualis dilectio Dei?*

Resp. Controvertitur; et hæc inter Theologos dissensio oritur ex declaratione Conc. Trid., in qua adultorum dispositiones justificationi *per Baptismum* adipiscendæ prævias, sic recenset: « Disponuntur autem ad ipsam *justitiam*, dum, excitati divina gratia, libere moventur in Deum, *credentes*..., divinæ justitiæ *timore* utiliter concutiuntur... in *spem* eriguntur, Deumque *tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt;* ac *propterea* moventur adversus *peccata* per odium *aliquod* ac *detestationem*, hoc est, per eam *pœnitentiam*, quam *ante Baptismum agi* oportet; » sess. 6, c. 6.

In canone 3 ejusdem sessionis definivit: « Sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio,

hominem *credere*, *sperare*, *diligere* aut *pœnitere* non posse, sicut *oportet*, ut ei *justificationis* gratia conferatur. »

Itaque 1. præfatam actuum seriem requiri *ante Baptismum* expresse docet Conc. Trid. : atqui, juxta omnes, non minores sunt dispositiones ad Sacramentum Pœnitentiæ necessariæ; et revera, in prooemio sessionis 14, Concilium declarat « in decreto *de Justificatione multum* fuisse de Sacramento *Pœnitentiæ*, propter locorum cognationem necessaria quadam ratione, *sermonem interpositum;* » ergo illa actuum series requiritur etiam ad rite suscipiendum Pœnitentiæ Sacramentum.

2. Illi actus quatuor sunt distincte et ordine in prædictis declaratione et canone propositi, nempe, *fides*, *spes*, *dilectio initialis*, et *peccati detestatio* ex illa fide, spe et dilectione concepta, ut expresse asseritur : « ac *propterea*, moventur adversus *peccata*, etc. ; ergo, ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ, oportet de peccato odium ac detestationem elicere ex *quadam Dei dilectione*. Unde

181. — *Quæritur* 2° quænam sit hujusmodi dilectio ?

Resp. Non consentiunt Theologi, sed in tres abeunt sententias; scilicet, 1. alii sentiunt per verba : *Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*, significari dilectionem non quidem charitatis, sed *benevolentiæ super omnia.* Ita Billuart.

2. Alii vero putant in illis verbis indicari amorem *charitatis* non super omnia seu *prædominantis*, sed *initialis* seu *incipientis* tantum ; nempe, *aliqualem influxum* motivi charitatis ita remissum et debilem, ut per se non sufficiat ad excitandam detestationem peccati *super omnia;* et simul ita realem, ut sit saltem *partialis* causa attritionis, cujus ideo causa *totalis* et *adæquata* ex motivo charitatis simul et ex peccati turpitudine aut gehennæ metu constitui debet.

Tale charitatis initium adest, v. g., quando quis desiderat, petit, enititur ut charitatem vel contritionem ex charitatis motivo habeat; sicut nemo fidem petit, desiderat aut ad eam enititur, nisi ex quibusdam fidei initiis. Ita Bossuet, qui hanc sententiam perbelle evolvit in opusc., *de*

doctr. Conc. Trid. circa dilect. in Sacram. Pœnit. requisitam.

3. Alii tandem asserunt dilectionem præfatis verbis significatam, esse amorem *spei* seu *concupiscentiæ* erga Deum in ipsa attritione ex motivo spei aut gehennæ metu elicita, implicite contentum, ut dictum est, n. 149. Ita S. Ligor., S. Francisc. Salesius, Collet, Scavini, et etiam Suarez, Melchior Canus, etc.[1].

Prima sententia omnino rejicienda est. Ex dictis enim, n. 140, contritio super omnia ex benevolentiæ motivo concepta, vel est ordinis mere naturalis, vel concipitur ex motivo charitatis, cui æquivaleret illa benevolentia; atqui contritio ex motivo ordinis mere naturalis non sufficit, n. 158; nec requiritur cum Sacramento contritio ex motivo charitatis super omnia, n. 177; ergo prima sententia rejicienda est.

Secunda sententia haud spernendis fulcitur argumentis.

1. Juxta quosdam, amor initialis est amor *charitatis* non quidem prædominans, nec ideo per se justificans, sed *exæquans amorem peccati*, et quem prædominantem facit Pœnitentiæ aut Baptismi sacramentum ; et qui ideo est dispositio proxima ad recipiendum non solum sacramentum, sed directe et immediate ipsammet gratiam sanctificantem, sacramento Baptismi aut Pœnitentiæ alligatam. « Il vient un autre état, où l'amour du péché cesse de dominer, et où l'*amour de Dieu*, croissant, *fait équilibre*, en sorte qu'il est précisément *au dernier degré*, après lequel il emportera la balance, et sera *dominant*. *Ce qui est réservé à la grâce du sacrement*, c'est de donner à cet *amour* le *seul degré* qui lui manque, pour être *dominant*, et pour *emporter le cœur comme une balance*. Puis-je moins laisser à la grâce du sacrement que de lui laisser à opérer *ce dernier degré d'amour, qui fait la justice et la vie?* » Fénelon, *Opuscule théologique sur le commencement de l'amour de Dieu nécessaire au pécheur dans le sacrement de pénitence.*

Hujusmodi sententia ex multiplici parte deficit. Scilicet, 1°. Conc. Trid. requirit quidem *initialem* amorem Dei tanquam fontis omnis justitiæ; sed nullomodo determinat *gradum* talis amoris, nec proinde requirit ut exæquet amorem peccati. 2. Gratia sacramenti est in primis habitualis, et ideo non ducit ipsum attritionis *actum* ad *actum* contritionis perfectæ; sed facit pœnitentem de attrito in *actu* contritum in *habitu* : quod sufficit ad justificationem, n. 178. 3. Unde justificatio per sacramentum fit directe et immediate per ipsius gratiæ habitualis collationem, non vero per collationem *virium*, quibus contritio perfecta fiat prædominans in actu, vi cujus infundatur gratia habitualis sacramenti. 4. Denique, ad justificationem per sacramentum, nunquam sufficit detestatio peccati et ideo amor Dei *exæquans* amorem peccati, sed semper requiritur detestatio peccati et amor Dei ex aliquo attritionis motivo, *super omnia* seu prædominans, n. 162, 163. Vide Gosselin, *Histoire littéraire de Fénelon*, 1re p., sect. 2, § 8.

Scilicet, 1. Deus est fons omnis justitiæ quatenus *justus* et *nos justificans:* porro Deus nos justificat per infusionem gratiæ sanctificantis, quæ est charitas habitualis, in qua proprie consistit supernaturalis justitia; ergo diligere Deum ut omnis justitiæ fontem, nihil aliud est quam illum diligere ut communicantem justificationis gratiam seu charitem, ac proinde ex dilectione charitatis. « Deus diligitur ut *principium omnis boni,* super quo fundatur *charitas;* » S. Th. 2. 2, q. 26, a. 4. — « Diligere Deum *ut omnis justitiæ fontem,* non est diligere Deum ex amore concupiscentiæ, sed est diligere *auctorem gratiæ,* quomodo *charitas diligit* ipsum; » Suarez, apud Billuart, *de Pœnit.*, dissert. 4. a. 7, § 3.

Et vero, juxta Pallavicinum, *Histor. Conc. Trid.*, lib. 8, c. 13, 14, « in prima delineatione decreti, de quo agitur, nulla fiebat dilectionis mentio. Plures autem Theologi et Episcopi strenue propugnarunt, ut *aliquis charitatis actus* insereretur; et ideo visum est cum fide et spe jungere *aliquem dilectionis actum;* quia si pœnitentia *tota* esset ex *timore,* sine *amore justitiæ,* et dolor esset propter pœnam tantum, et non *propter Dei offensam, infructuosa* esset. Postea iterum ejusdem decreti formatores declararunt in illo sermonem esse de *quodam charitatis actu* in homine non quidem *obtinente,* sed *exoptante justitiam,* » Ergo dilectio in præfato decreto requisita, est aliquis charitatis actus ab amore spei distinctus, ita ut tota pœnitentia non sit ex motivo timoris, sed etiam charitatis.

2, Ex una parte, Deus nos justificat per infusionem charitatis habitualis, qua homo ex injusto et inimico fit *habitu* justus et amicus; ex altera vero, non infunditur, etiam per Sacramentum, ille charitatis habitus, nisi homo Spiritui Sancto ad illum statum recuperandum excitanti et moventi se libere subdat, illumque statum per voluntariam consensionem acceptet et amplectatur, ex Conc. Trid., sess. 6, c. 6, 7: porro hujusmodi motus et actualis voluntariaque consensio in ipsam inter nos et Deum habitualem charitatem, est aliquis charitatis actus; ergo in adultis justificatio semper prærequirit aliquem charitatis actum.

3. Non elicitur attritio super omnia, qualis ad Sacramentum Pœnitentiæ necessaria est, absque firmo proposito non peccandi de cætero, id est, servandi omnia mandata, ac proinde Deum diligendi ex charitate, juxta primum et maximum mandatum, n. 166: atqui firmum propositum diligendi Deum ex charitate, est profecto aliqualis motus in illam charitatem seu actus charitatis saltem inchoatæ; ergo attritio super omnia esse nequit, sine aliquo actualis charitatis initio.

Actus autem ille non est charitatis super omnia seu *prædominantis*. Namque 1. Concilium non dicit *diligunt* simpliciter, sed *incipiunt* diligere; nec odium peccati ex illa dilectione juncta cum timore et spe conceptum, vocatur *odium* simpliciter, quale est odium peccati ex charitate super omnia, sed *aliquod* odium; et tandem, juxta Concilium, odium peccati ex illa dilectione elicitum, non sufficit sine Sacramento ad justitiam impetrandam, sicut sufficit peccati odium ex charitate super omnia; ergo Concilium requirit detestationem peccati ex charitate incipiente tantum, non prædominante.

2. Ex Pallavicino, Conc. Trid. per verba *incipiunt diligere*, voluit significare *aliqualem, quemdam* charitatis actum, quo homo non obtinet, sed *exoptat* justitiam, ita ut *tota* pœnitentia non sit ex timore pœnæ, sed partim ex charitate: porro actus charitatis super omnia est actus simpliciter, atque statim justitiam obtinet, et per se solus determinat efficacem pœnitentiam; ergo Concilium non intendit actum charitatis prædominantis, sed incipientis tantum.

Cæterum, patet hujusmodi charitatem initialem omnino possibilem esse, et valde utilem ad actum charitatis prædominantis tandem eliciendum. « Si amor sit ita *debilis*, ut nondum diligat Deum super omnia, non est vera charitas, sed *charitatis initium;* » S. Ligor., n. 442.

Tertia sententia sic adstruitur. 1, Conc. Trid., in decreto de attritione, n. 4, docet attritionem ex turpitudine peccati, vel ex gehennæ metu conceptam, *disponere* ad gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam, nec ullius dilectionis mentionem facit; ergo per illud decretum indicat attritio-

nem absque ulla speciali dilectione sufficere. Ita Suarez, Scavini, Gury, *Casus Consc.*, n. 406. Hoc argumentum in falso supposito nititur, ex dictis, n. 179.

2. Non datur media dilectio inter amorem charitatis super omnia, et amorem spei seu concupiscentiæ: atqui prior non requiritur in sacramento; ergo posterior sufficit. Negatur major, cum, ex jam dictis, possibilis sit et valde utilis actus charitatis incipientis tantum.

3. Amor spei est verus Dei amor, et quidem imperfectus quatenus ad motivum charitatis non attingit; et ideo incipiens tantum, cum per illum homo ad motivum charitatis se præparet ac disponat; et quo tantum Deus diligitur ut remunerator et glorificator, seu ut fons justitiæ; ergo amor spei est dilectio incipiens in Sacramento necessaria.

Respondent adversarii amorem spei seu concupiscentiæ ab amore charitatis essentialiter discrepare, et ideo non esse charitatem incipientem; nec per illum Deum diligi ut fontem justitiæ simpliciter seu gratiæ justificantis et amicitiæ divinæ, sed tantum ut fontem præmii et nostræ beatitudinis.

Conclusio. Ex illis omnibus sic fideliter, pro modulo nostro, expositis, quid vero proximius et in praxi tutius videatur, dicendum superest.

1. Ad attritionem necessariam, ut justificetur homo per Sacramentum Pœnitentiæ, saltem probabilius requiritur aliqualis actus charitatis non prædominantis, ita ut peccati detestatio sit partim ex turpitudine peccati aut gehennæ metu et pœnarum, et partim ex motivo charitatis. Ita cum secunda sententia.

2. In omni attritione *super omnia*, etiam ex gehennæ metu, et a fortiori ex turpitudine peccati elicita, includitur ille influxus charitatis initialis, omnino distinctus ab amore spei aut timoris. Ita saltem probabilius, ob duas posteriores rationes in favorem secundæ sententiæ allatas.

3. Tamen, juxta omnes, omnino expediens est, ut pœnitentes pro viribus *conentur* elicere actum contritionis, non solum ex gehennæ metu, aut turpitudine peccati, sed etiam ex charitatis motivo; ac proinde Confessarii omni

quo par est studio, semper eos ad peccati odium ex charitate excitare debent, ut tutius divinam gratiam consequantur. S. Ligor., n. 442.

§ VI

De modo et tempore, quo elici debet contritio.

182. — *Quæritur*, scilicet, 1° utrum ad Sacramentum Pœnitentiæ requiratur actus contritionis *formalis* et *explicitus*, vel an sufficiat *virtualis* et *implicitus?*

Resp. *Formalis* contritio, qualis in præfatis descripta fuit, omnino essentialis est ad susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ. Ita communiter.

Etenim 1. Conc. Flor. et Trid., n. 3, 4, cum assignant *materiales* hujus Sacramenti partes, aperte loquuntur de formali dolore et detestatione peccati, per pœnitentiam : porro Sacramentum sine propria materia constitui nequit; ergo, absque formali dolore et detestatione peccati, non est materia Sacramenti Pœnitentiæ, nec proinde Sacramentum.

2. Formalis actus contritionis in Scriptura per se requiritur ad remissionem peccatorum; sed etiam per se est actus maxime proportionatus ad satisfaciendum personæ offensæ, atque ad determinandum pœnitentem, ut confiteatur sua peccata coram Sacerdote, n. 154 ; et ideo formalis actus contritionis requiritur in Pœnitentiæ Sacramento.

Hinc contritio perfecta in actu charitatis prædominantis *virtualiter* contenta, n. 139, sufficit quidem ad veniam peccatorum obtinendam ex opere operantis, n. 176, non autem ad materiam Sacramenti Pœnitentiæ, juxta communem Theologorum sententiam. Et vero nec panis virtualis, id est, triticum, nec vinum virtuale, id est uva, sufficit in Eucharistia; ergo nec in Sacramento Pœnitentiæ sufficit virtualis contritio sive attritio.

183. — *Quæritur* 2° an ad Sacramentum sufficiat *virtuale* propositum *non peccandi de cætero?*

Resp. Controvertitur. Scilicet, alii sentiunt requiri *formale* propositum. Namque 1. Scriptura ad veram pœniten-

tiam frequenter postulat novæ vitæ propositum. 2. Conc. Trid. declarat partem essentialem pœnitentiæ esse *dolorem cum proposito non peccandi de cætero*, n. 4, 14. 3. Tandem nihil est magis proportionatum ad compensandam divinam injuriam et ad veniam impetrandam, ad correctionem et emendationem vitæ, quam propositum omnino a similibus injuriis abstinendi.

Alii vero putant sufficere propositum in omni detestatione peccati super omnia *virtualiter* inclusum. Etenim 1. Conc. Trid., loquens de attritione, non expresse requirit formale propositum, sed solummodo dolorem illum qui excludat *voluntatem peccandi* : porro omnis attritio super omnia illam voluntatem virtualiter excludit, n. 166 ; ergo hæc virtualis exclusio sufficit. 2. Contritio sive attritio proprie consistit in animi dolore et detestatione peccati commissi, et consequenter tantum in proposito non peccandi de cætero, n. 133; ergo tale propositum non est tam contritioni intrinsecum, nec proinde adeo necesse est ut formaliter concipiatur.

Alii tandem distinguunt. Nempe, *formale* propositum vitandi peccatum, per se loquendo, necessarium est ad veram attritionem de peccato mortali, ob rationes in favorem primæ sententiæ allatas ; ergo, 1. si quis sciens et videns, confiteatur de peccato mortali sine tali proposito formali, signum est quod nec virtuale habeat, et ideo peccat graviter, et nullum est sacramentum. Quare nihil magis usitatum in hujus Sacramenti administratione, quam a fidelibus exigere propositum cavendi peccata præsertim mortalia. De facto rarissime evenit, ut pœnitens vere contritus propositum etiam explicitum omittat.

2. Si quis autem bona fide detestetur peccatum quod confitetur, et non advertat ad formale propositum, virtuale sufficit propositum in omni detestatione peccati super omnia inclusum, atque validum est Sacramentum, ob rationes in favorem secundæ sententiæ allatas. Ita Suarez, Bellarm., etc.

Probabilior videtur secunda sententia; prima autem tutior est, et in praxi omnino tenenda, juxta regulam : *in materia Sacramentorum*, semper *tutior* pars eligenda est.

184. — *Quæritur* 3° *quandonam* elici debeat actus contritionis ad Sacramenti Pœnitentiæ susceptionem?

Resp. Actus contritionis intentione et tempore ita elici debet, ut simul cum confessione et absolutione ad unum actum judicialem constituendum concurrat. Constat ex dictis, n. 84.

185. — Hinc 1. contritionis actus *certo præcedere debet absolutionem*, alioquin deficeret tum materia proxima ad formæ applicationem, tum necessaria dispositio ad digne suscipiendum Sacramentum. Attamen probabile est sufficere, ut eliciatur ante ultimum instans prolationis verborum formæ. Eo enim instanti et applicatur forma, et confertur sacramentalis effectus.

186. — Hinc 2., ad valorem et licitatem Sacramenti, contritio *non debet necessario præcedere confessionem*.

Etenim, oportet quidem ut dolor sit *sensibilis*, et confessio *dolorosa*, alioquin prior non esset materia sacramenti, n. 85, nec posterior esset accusatio sacramentalis, sed mera tantum narratio : at dolor sufficienter manifestatur, et consummatur confessio in ratione accusationis sacramentalis, dum hæc fit animo obtinendi absolutionem, et postea informatur per subsequentem contritionem, atque sic informata sabjicitur clavibus ab ipsomet pœnitente absolutionem postulante ; ergo contritio non debet necessario confessionem præcedere.

Quare juxta usum communem sive pœnitentium, sive Confessorum, absoluta peccatorum accusatione, solent illi excitari ad eorumdem peccatorum generalem contritionem et ad ejusdem contritionis exhibenda signa, ut rite et recte conferatur absolutio, sive dolor antea præcesserit, sive non ; et illam praxim sic commendat Rituale Rom. : « *Audita confessione*, ad *dolorem* efficacibus verbis adducere conabitur Confessarius, etc. »

187. — Hinc 3. actus contritionis, qui ipsam confessionem præcedit, sufficit, modo illius virtute fiat accusatio,

et instanti absolutionis virtualiter perseveret. Tunc enim adest unio moralis ad actum judicialem requisita.

Unde, si quis in actuali confessione ita ad peccatorum explicationem attendat, ut nullum internum dolorem tunc explicite exerceat; vel si, dum conceditur absolutio, nullus iteretur dolor, ob distractionem aut aliam causam : nihilominus valet Sacramentum, modo confessio fiat virtute contritionis antea elicitæ, et eodem modo perseverantis instanti absolutionis.

Porro contritio ad confessionem ex actuali aut virtuali intentione refertur, atque illius virtute fit accusatio, quoties quis peccata recogitat et de eis dolet, ut ea confiteatur ; vel præbet signum doloris in ordine ad confessionem faciendam et ideo obtinendam absolutionem; vel dolet de peccatis cum expresso proposito ea confitendi, et hujus propositi virtute postea confessionem facit.

Si autem contritio præcedens nullo modo referatur ad confessionem, v. g., si hodie dolens, non cogites de confessione crastina, nec, cras confitens, recorderis doloris hesterni, invalide confiteris, nisi novum doloris actum concipias. Tunc enim illa contritio non est pars Sacramenti, n. 85, nec confessio est dolorosa, nec proinde sacramentalis.

Jam vero, juxta communem sententiam, actus contritionis ad valide suscipiendum Sacramentum, perseverare potest per unum aut etiam plures dies, modo elicitus fuerit intentione confessionis faciendæ, et virtualiter perseveret aliquibus mediis, v. g., occasionum fuga, animi recollectione, oratione frequenti, macerationibus, etc. In praxi valde suadendum est omnibus pœnitentibus, ut immediate ante confessionem semper renovent actum contritionis prius elicitum, præsertim si postea pœnitens per notabilem moram ad alia diversa se distraxerit.

188. — *Quæritur* 4° an novus requiratur doloris actus ad novam absolutionem recipiendam, quando pœnitens, statim post absolutionem, peccatum mortale ex oblivione omissum confitetur ?

Resp. Disputant Theologi. Alii negant, quia prior contritio ad peccata etiam oblita se extendit, et certo perseverat, cum, ex hypothesi, pœnitens oblitum peccatum immediate confiteatur. Aliunde explicitus dolor adesse videtur in ipso actu illud peccatum accusandi.

Alii vero affirmant. Etenim per primam absolutionem jam completum est judicium; ergo, si impertienda sit nova absolutio, nova requiritur materia proxima : atqui dolor, etsi in se moraliter perseveret, non tamen perseverat in ordine ad novam absolutionem; ergo novus requiritur contritionis actus. Hæc sententia probabilior aut saltem tutior est, et in praxi tenenda. S. Ligor., n. 448.

Cæterum in illo casu, juxta omnes, Confessarius absolutionem omittere potest relate ad pœnitentes, qui ad eumdem Confessarium redire solent, cum in alia proxima confessione de peccatis oblitis directe absolventur ; et ita cum scrupulosis agendum est.

§ VII

De quibusdam specialibus casibus, in quibus deficit aut dubia est Contritio.

189. — Contritio ad Pœnitentiæ Sacramentum necessaria, deficere potest ex triplici capite, scilicet, ex parte intellectus seu cognitionis, ex parte voluntatis seu propositi, ex parte signi seu manifestationis. Quæ tria proxime ad praxim spectantia, breviter expendemus.

NUMERUS PRIMUS

De Contritionis defectu ex parte intellectus seu cognitionis.

PROPOSITIO

190. — *Ille adultus vera contritione caret, qui etiam inculpabiliter destituitur cognitione necessaria necessitate medii, aut qui culpabiliter privatur cognitione necessaria necessitate præcepti, nec efformat efficax propositum eam quamprimum acquirendi.* Certum est.

Etenim, sine cognitione omni adulto necessaria necessi-

tate *medii*, nullus adultus elicere potest actum vere supernaturalem, nec proinde actum veræ contritionis.

Sine autem cognitione omni adulto necessaria necessitate *præcepti*, vel efficaci proposito eam quamprimum acquirendi, jam deficit propositum servandi omnia præcepta quæ sub gravi obligant; ergo etiam deficit contritio appretiative summa, n. 165, 166.

191. — Hinc 1° *certum* est actum contritionis elicere non posse adultum, qui etiam inculpabiliter non *credit fide explicita Deum esse*, et esse *remuneratorem inquirentibus se*. Nam, ex dicendis in Decalogo, n. 12, talis fides in omni adulto necessaria est necessitate medii.

Dubium est autem an actum contritionis elicere possit adultus, qui etiam inculpabiliter non credit fide *explicita* mysteria *SS. Trinitatis* et *Incarnationis*. Ex dicendis enim in Decalogo, n. 15, disputant Theologi utrum hujusmodi fides necessaria sit necessitate medii in adultis; imo sententia affirmans probabilior est et communior.

Attamen possunt sub conditione absolvi, *in dubio de sufficienti cognitione*.

192. — Hinc 2° *certum* est vera contritione carere adultum, qui culpabiliter ignorat mysteria fidei in Symbolo Apostolorum contenta, Decalogi et Ecclesiæ præcepta, Sacramenta *Baptismatis, Eucharistiæ* et *Pœnitentiæ*, easque *veritates sine quibus vita christiana institui* non potest, nec habet efficax propositum illa omnia quamprimum ediscendi. Nam, ex dicendis in Decalogo, n. 22, illorum omnium, saltem quoad substantiam, explicita cognitio est in adultis necessaria necessitate *præcepti*.

Itaque 1. si ad ea dicenda se paratum exhibeat, et aliunde sufficienter sit dispositus, poterit absolvi, præmissa semper instructione de his rebus necessaria, ut sit impræsentiarum absolutionis capax. Si tamen jam alias a Confessario suo vel eodem, vel diverso, aut a suo Parocho *frustra admonitus* fuerit, et longiori tempore opus sit Confessario ad illum actualiter instruendum, ut sæpe fit, *differenda erit absolutio,*

donec privatim aut publicis catechismis satis fuerit eruditus. Tunc enim merito dubitatur de ejus proposito, et dilatione absolutionis excitatur diligentia.

2. Ex parte cognitionis non deficit contritio in iis, qui aliquo saltem modo percipiunt ea, quorum cognitio in adultis necessaria est necessitate medii aut solum præcepti, sed qui ob ingenii et memoriæ debilitatem, etiam post omnem adhibitam diligentiam, illa retinere memoria et recitare non valent. Curabit tamen Confessarius ut, qui eo memoriæ defectu laborat, frequenter audiat quæ semel *crasse* didicit, ne ab ejus mente penitus delabantur. Solliciti enim esse debent Pastores erga infelices hujusmodi homines, ne Sacramentis Ecclesiæ maneant privati, et nihil non moliri, ut eos per se aut per alios erudiant.

Nec minori sollicitudine surdos-mutos edocere tenentur, atque eorum peccata summatim intelligere, ut eos absolvere et ad Eucharistiam saltem in Paschate admittere possint.

Unde possunt sub conditione absolvi, *in dubio de sufficienti cognitione* semifatui, pueri, surdi-muti, si urgeat præceptum annuæ confessionis, et maxime si declaraverint aliquod dubium mortale. Imo, juxta S. Ligor., n. 432, contra plures, illi possunt absolvi sub conditione *pluries* in anno, etiamsi afferant tantum levia, ne tandiu gratia sacramentali priventur, et non remaneant in peccato mortali, si forte in illo versentur. Aliunde, pro illis non est via, nec spes quod, dilata absolutione, brevi redeant dispositi, atque securius absolvantur, sicut de aliis communiter sperari potest.

193. — Hinc 3° *certum* est vera contritione carere eos, qui ea ignorant, quæ *ad officium suum vel professionem necessaria sunt,* nisi *parati* sint vel officio suo cedere, vel requisitam scientiam quamprimum acquirere, et interim ab officio suo abstinere.

Nam ille non detestatur peccatum super omnia, nec omni voluntate peccandi caret, qui vult grave reipublicæ inferre detrimentum : atqui tales sunt, qui suæ professio-

tionis, sed solum pro *tali* vel *tali persona*, attenta hujus *particulari* fragilitate aut frequenti lapsu in eadem occasione.

Itaque occasio respectu aliorum communiter remota, aliquando fit proxima respectu quorumdam tantum; et, e converso, occasio per se et pro communi hominum fragilitate proxima, esse potest remota tantum respectu hominis valde pii et cauti, vel in ætate provecti, vel uberiori gratia muniti, qua efficacius continetur concupiscentia.

Continua seu *in esse, præsens*, est illa, quam homo *semper* aut *fere semper secum habet*, quin eam actu quærat, v. g., si quis bonum alienum detineat, vel habitet cum concubina.

Interrupta seu *non in esse, absens*, ea dicitur, quam homo *non semper secum habet*, quin eam *actu quærat;* v. g., si quis in aliqua domo, caupona, conversatione frequenter incidit in ludum, in fraudes, in blasphemias, in rixas, in ebrietates, in cogitationes, verba, gestus lascivos, in detractiones; vel si quis solet peccare cum muliere, quam aliquoties per annum visitat, imo si quis cum muliere peccat semper ac accedit in illius domum, etiamsi semel in anno accederet, et peccaret; S. Ligor., n. 452.

Voluntaria seu *libera* nuncupatur ea, quæ pendet a voluntate et facile atque sine gravi incommodo dimitti potest.

Involuntaria seu *necessaria* talis est vel *physice*, quæ, videlicet, nullo modo pendet a voluntate ut deseratur; v. g., si quis carcere aut triremi inclusus sit cum muliere flagitiosa, aut cujus præsentia sufficit ad alliciendam concupiscentiam; aut si quis sit in articulo mortis, in quo non habetur tempus sive modum expellendi concubinam.

Vel *moraliter*, quæ absolute loquendo pendet ab hominis voluntate, sed deseri non potest sine *valde gravi* aut *gravissima difficultate* aut *incommodo*, ut esset uxor respectu mariti, vel officium confessarii, chirurgi, mercatoris, etc. Quibus sic expositis, sit

PROPOSITIO PRIMA

197. — *Vera contritione caret, qui recusat deserere occasionem proximam et voluntariam, sive sit continua, sive interrupta.* Certum est.

Constat 1° *auctoritate*, scilicet, ex decreto Innoc. XI, damnantis propositionem sequentem : « Potest *aliquando* absolvi, qui in aliqua occasione peccandi versatur, quam *potest* et *non vult* dimittere ; quinimo et ex proposito quærit, aut ei se ingerit. » « Satisfactio pœnitentiæ est peccatorum *causas excidere*, neque eorum suggestionibus aditum indulgere. » S. August.

2° *Ratione*. Vera contritio includit propositum efficax non peccandi de cætero, seu adhibendi media ad vitandum peccatum idonea, n. 166 : porro, qui non vult deserere peccati occasionem proximam et quidem voluntariam, non vult adhibere media non peccandi de cætero ; ergo caret efficaci proposito veraque contritione.

Et vero, qui absque sufficienti ratione et temere se exponit probabili periculo peccandi, hoc periculum *amat* et ideo vult in periculo perire, seu actu graviter peccat ; ergo eodem instanti actum contritionis super omnia elicere nequit.

Vera igitur contritione caret, qui non *vult* dimittere concubinam, vel famulam cum qua peccat, cum facile possit ; qui, cum possit et debeat, non vult tamen actualiter restituere, sed differt restitutionem usque ad mortem, aut eam solum facere intendit per hæredem, aut per partes tantum, cum possit integre restituere ; qui famam injuste ablatam vel honorem non vult restituere, cum primum moraliter potest ; qui inimico *exterius* reconciliari recusat, cum exinde sequitur scandalum, vel majus inimici excitatur odium. Hi enim in materia gravi officio suo hic et nunc desunt ; ac proinde, cum actu mortaliter peccent, ab iisdem veram contritionem simul concipi repugnat.

198. — Hinc 1° qui versatur in occasione proxima *voluntaria* et *continua*, *ordinarie* vera contritione destituitur, nec

absolvendus est, *antequam occasionem removeat*, quascunque promissiones afferat. Ita S. Ligor., n. 452, et alii communiter.

Occasio enim externa, præsertim ubi agitur de materia turpi, quando *præsens* est, ita mentem excæcat, ut omnia proposita e memoria deleat, et ad peccata ita impellit, ut aliquis etiamsi certam suam damnationem ex illo crimine secuturam cognosceret, nihilominus a peccato non desisteret; ergo, nisi removeatur occasio, periculum infringendi propositum de removenda occasione semper imminens est et voluntarium; ac proinde tale propositum non est firmum et efficax.

Dixi : *ordinarie* vera contritione caret; sunt enim quidam casus in quibus, ratione specialis materiæ, aut uberioris gratiæ, aut necessitatis recipiendi absolutionem, occasio e proxima potest fieri remota. Videlicet,

1. Qui bonum alienum detinet, aut inimicitiam fovet, si *prima vice* confiteatur, et sincere promittat quamprimum restituere, aut reconciliationem, quantum in se est, perficere, ut scandalum interiorisque odii externum incitamentum auferatur, credi potest ex hac parte sufficienter contritus. Secus vero, si jam pluries absque effectu similiter promiserit, n. 207. Vide Tract. *de Justit.*, n. 272.

2. Contritus etiam censendus est pœnitens, qui, antequam occasionem voluntariam et continuam dimittat, affert specialia doloris signa, quibus illum uberiori gratia donatum indicetur. Tamen, si commode possit differri, non concedenda est absolutio, donec ablata sit occasio; quia funiculus occasionis difficile rumpitur. S. Ligor., n. 454.

3. Idem dicendum est, si pœnitens non posset ad Confessarium redire, vel nonnisi post longum tempus absolvi. Tunc enim, ratione magni oneris aut iterandi confessionem apud alterum Sacerdotem, aut diu manendi absque gratia sacramentali, pœnitens in morali necessitate constituitur absolutionem recipiendi, antequam occasionem dimittat, et ideo, ob hujusmodi necessitatem, periculum infringendi propositum de removenda occasione potest fieri remotum. Contrarium autem reputandum est, si pœnitens ab alio Confessario jam fuerit admonitus de tollenda occasione, et

non abstulerit; quia tunc habetur ut recidivus, n. 206, 207.

4. Quando periculum mortis adeo imminens est, ut non possit exspectari, donec pœnitens occasionem dimiserit, credi potest quod, instante tanto periculo, verum concipitur propositum occasionem removendi, si Deus suppeditet tempus.

199. — Hinc 2°, qui versatur in proxima occasione *voluntaria*, sed *interrupta*, et sincere promittit se eam relicturum, vera contritione munitus regulariter credi potest, et per unam, aut duas et quandoque tres vices absolvi, etiam nondum dimissa occasione. S. Ligor., n. 454.

Etenim, ex una parte, occasio non est continua seu præsens, et ideo proxima non fit, nisi inquiratur per actum positivum : porro non tantum est difficultatis, ut ab ea inquisitione abstineamus, quam ut actum positivum eliciamus ad removendam occasionem præsentem; nec adeo excæcatur mens per occasionem interruptam, quam per continuam; ergo, in casu, de quo agitur, facilius concipi potest efficax propositum dimittendi occasionem. Ex altera vero parte, pœnitens reipsa sincere promittit ab illa occasione se cauturum; ergo vere contritus credi potest et absolvi.

Si vero jam bis aut ter monitus promiserit se occasionem relicturum, nec eam reliquerit, ordinarie reputandus est ut efficaci proposito destitutus, nec iterum absolvendus, donec reipsa occasionem dimiserit. Imo melius ordinarie talibus differtur absolutio etiam pro *prima vice*, nisi prius occasionem deseruerint, quoties facile potest fieri.

PROPOSITIO II

200. — *Ille vera contritione caret, qui occasionem necessariam e proxima remotam non facit, saltem per efficacem non peccandi dispositionem.* Certum est.

Etenim illa occasio, cum sit proxima, probabile peccandi periculum, constituit : porro, qui amat tale periculum, seu aliquo modo illud non facit, quantum in se est, e proximo remotum, eo ipso vult perire, et ideo graviter

peccat; ergo, ut adsit contritio, illud periculum semper removendum est externe vel saltem interne, n. 195.

Porro, quando *physice* necessaria est occasio, periculum externe removeri nequit; ideoque per efficacem non peccandi dispositionem e proximo remotum fieri necesse est.

Quando autem *moraliter* necessaria est occasio, vel adest firmum propositum spesque fundata in peccatum non consentiendi : et tunc per internam dispositionem periculum e proximo fit remotum, nec proinde tenetur pœnitens illam occasionem relinquere; vel deficit spes et efficax propositum non consentiendi in peccatum : et tunc pœnitens tenetur periculum e proximo remotum facere, occasionem illam dimittendo etiam cum jactura vitæ, juxta illud : *Si oculus tuus scandalizat te, ejice eum*, etc. Marc. 9, ỷ 46. Ergo ille contritione caret, qui occasionem necessariam e proxima remotam non facit, saltem per efficacem non peccandi dispositionem.

201. — Hinc 1° qui versatur in proxima occasione *necessaria*, et *prima vice* confitetur, atque *vere promittit* se remedia præscripta adhibiturum, ne in peccatum delabatur, contritus reputari potest, et *per se* absolvi.

Nam ope mediorum præscriptorum, divina adjuvante gratia, periculum e proximo facile remotum fieri potest; ergo impossibile non est talem occasionem cum proposito non peccandi de cætero conciliari.

Remedia autem pro his, qui versantur in illa occasione præsertim peccati turpis, sunt ferventior oratio, jejunia, piæ lectiones, frequentior usus Sacramentorum, quotidiana ante Crucifixum renovatio promissionis de non amplius peccando, mente sibi fovere præsentiam Dei, fugere, quoad potest, ab aspectu et societatis complicis, hunc parentibus aut dominis denuntiare, etc.

Dixi : *per se* absolvi potest. Nam « in praxi, ait S. Ligor., n. 456, omnes conveniunt expedire, ut illis differatur absolutio. Imo nunquam absolverem eos, præsertim si agatur de materia turpi, semper ac absolutio commode differri potest. Experientia enim docet pœnitentes, cum absoluti

discedunt, ut plurimum negligere media præscripta, et sic facillime relabi; dum vigilantius satagunt remedia exsequi tentationibusque obsistere, quando absolutione privantur, timentes ne, cum ad Confessarium redibunt, iterum sine absolutione dimittantur. »

202. — Hinc 2°, qui versatur in proxima occasione *necessaria*, et remediis præscriptis *uti noluerit*, evidenter caret efficaci proposito non peccandi de cætero.

Si autem remediis adhibitis sincere utatur, et ipsius relapsus notabiliter minuantur, potest esse hic et nunc vere contritus et absolvendus est, ut gratia Sacramenti adjutus, tentationes facilius superet, et omnino emendetur.

At, si, etiam remediis adhibitis, semper eodem modo relabatur, imperfecte media adhibuisse censendus est, nec regulariter absolvendus, donec dimiserit occasionem, si hæc sit moraliter tantum necessaria.

Excipitur tamen casus extremæ necessitatis, in quo dubie dispositum semper absolvere licet; et etiam casus in quo pœnitens specialia doloris ostenderet signa, ex quibus spes emendationis effulgeret.

II. — *De Consuetudinariis seu habituatis.*

203. — *Quæritur* quid sit *consuetudinarius, habitus pravus, et quandonam hic censeatur contractus?*

Resp. 1. *Consuetudinarius* seu habituatus ille dicitur, qui *habitum peccati contraxit, de quo nondum fuit confessus;* si vero in eumdem habitum post confessionem lapsus fuerit, nuncupatur *recidivus*, n. 206.

2. *Habitus pravus* est *propensio* seu *facilitas idem peccatum iterandi*, *acquisita ex actibus sæpe repetitis in uno genere*, v. g., furandi, blasphemandi, detrectandi, fornicandi. Talis consuetudo dicitur etiam *vitium*, aut peccandi *proxima occasio interna*, n. 194; et quamvis possit esse sine ulla occasione proxima extrinseca, sæpe tamen ex hac oritur, augetur et roboratur.

3. *Quandonam censeatur contractus peccandi habitus*, regula generali præcise determinari nequit, cum pendeat

tum ex complexione et fragilitate unicuique propria, tum ex specie peccati, in quod contrahitur propensio. Unde nec semper pro consuetudinario habendus est, qui pluries in certo genere deliquit; nec semper pro non consuetudinario, qui ter aut quater peccare incepit; sed attendere est ad vim propensionis in peccata pluries commissa.

Generatim loquendo, peccatum brevi tempori sæpius repetitum, facilius consuetudinem inducit, quam si longioris temporis intervallo totidem vicibus repeteretur. Juxta S. Ligor., *Prax. Conf.*, n. 70, quinque vices in mense possunt pravum habitum constituere *ordinarie* in aliquo vitio peccati externi, modo inter ipsas aliquod intervallum intercedat; et in materia luxuriæ multo minor numerus habitum constituere potest; v. g., qui semel in mense fornicaretur per annum, habituatus dici posset. Quibus notatis, sit

PROPOSITIO

204. — *Ut vere contritus haberi potest et regulariter absolvi consuetudinarius, qui pravum habitum serio confitetur, atque ad emendationis media adhibenda videtur dispositus.* Ita communiter.

Etenim ille vere contritus cum certitudine morali censendus est, qui spontanee et rite sua peccata confitetur, firmumque ostendit propositum adhibendi media ad emendationem idonea, nec aliunde ulla obstat positiva præsumptio in contrarium : atqui talis est consuetudinarius, de quo agitur; ergo ut vere contritus reputari potest et regulariter absolvi.

Equidem pravus habitus peccatorem reddit propensiorem ad culpam, probabilemque facit pœnitentis relapsum. At non exinde infertur positiva præsumptio malæ et infirmæ voluntatis; nec relapsus probabilitas incompossibilis est cum veræ contritionis actu hic et nunc elicito, n. 166 : porro ad legitimam absolutionis collationem, sufficit ut Confessarius prudenter judicet pœnitentem hic et nunc verum dolorem concipere.

Dixi : *regulariter* absolvi potest. Si enim habitus sit valde

radicatus, nec ulla circumstantia concesssionem absolutionis urgeat, prudentius et utilius est eam differre, maxime si pœnitens dilationem non ægre ferat. Revera, tunc Confessarius experitur quomodo sit constans pœnitens, ex absolutionis dilatione, de suo vitio vividiorem concipit horrorem, atque, media præscripta adhibendo, ad absolutionem uberiori cum fructu suscipiendam se præparat; tandem experentia docet consuetudinarios non ita facile a peccati habitu sese retrahere.

205. — Hinc ut vera contritione destitutus merito censetur habituatus, qui non vult serio laborare, ut consuetudinem vincat, nec media a Confessario prudenter proposita adhibere. Patet enim in tali peccatore deficere efficax propositum non peccandi de cætero.

III. — *De Recidivis.*

206. — *Quæritur* quid sit *recidivus?*

Resp. Recidivus ille est, *qui, post confessionem, in easdem culpas eodem vel fere eodem modo relapsus est absque emendatione;* S. Ligor., *Prax. Conf.*, n. 71; lib. 6, n. 459.

At ibidem S. Ligor. iteratim supponit recidivum esse *consuetudinarium*, qui, post confessionem, in ejusdem speciei peccatum sine emendatione recidit. Idem habent communiter auctores. Vide *Responsa ad difficul. contra doct. moral. S. Ligor.*, p. 277 et seq.

Unde recidivus ab habituato simpliciter differt in eo, quod habituatus confitetur *prima vice* sua peccata; dum recidivus confitetur peccata etiam post absolutionem iterum commissa, sicque contra istius contritionem ex relapsu aliqua exurgit positiva præsumptio.

Jam vero, tres sunt opiniones circa sufficientem contritionem recidivi. Scilicet, juxta quosdam, recidivus semper dispositus censendus est et absolvendus, nisi ex aliqua circumstantia judicetur indispositus. Hæc sententia falsa est atque damnata.

Juxta alios nunquam peccator recidivus reputandus est ad absolutionem dispositus, nisi *diu* conversionem suam

per emendationem probaverit. Hæc sententia ut nimis rigida communiter rejicitur.

Sententia communis duo illa extrema fugit, atque sic asseritur :

PROPOSITIO

207. — *Peccator recidivus, et cum eodem peccato absque emendatione rediens, ut vera contritione destitutus merito censetur, nec regulariter absolvendus est, nisi specialia contritionis signa afferat.* Ita communiter.

Et quidem 1° *ut vera contritione destitutus merito censetur.* Namque ab Innoc. XI damnata est sequens propositio : « Pœnitenti habenti *consuetudinem peccandi*, etsi *emendationis spes nulla* appareat, nec est *neganda*, nec *differenda* absolutio, dummodo *ore* proferat se dolere et proponere emendationem ; » ergo, etc.

Idem conclamant sancti piique viri. « Ista est *vera* pœnitentia. quando sic convertitur quis, ut *non revertatur ;* quando sic pœnitet, ut *non repetat ;* » S. August., *Serm.* 117. — « Ille pœnitentiam *digne* agit, qui sic præterita mala deplorat, ut *futura iterum non committat.* » S. Isidor., lib. 2, c. 16, *Sentent.*

Revera, qui vere conteritur, sibique firme proponit rem sibi moraliter possibilem, non ita facile sui propositi obliviscitur, sed saltem per aliquod tempus perseverat, et difficilius aut rarius cadit : atqui peccator, de quo agitur, post absolutionem eodem modo cecidit, nullo adhibito conatu, nullo impleto ex mediis a Confessario propositis ; ergo prudentem dat suspicionem, quod vera non sit sua contritio. Tamen

2° *Nisi specialia contritionis signa afferat.* Illa enim prudens suspicio tollitur per doloris signa, quibus moraliter constat de vera contritione hic et nunc concepta. Et vero, voluntatis mutatio pendet præsertim a divina gratia, quæ in instanti operatur ; ergo non solum per temporis probationem, sed etiam per alia signa patefieri potest. « *Temporis moram* non quæro, sed *animæ correptionem :* hoc itaque fac demonstres : sintne *compuncti*, sintne *in melius*

mutati, et *res tota confecta* est? » S. Chrysost., *Homil.* 14.

Quæ autem specialia contritionis signa non sunt ex se rara et extraordinaria; sed requiritur tantum, ut præter solitam accusationem ac consuetas dubias protestationes de sincero dolore ac firmo proposito, recidivus afferat quoddam solidum ac probatum signum, ex quo Confessarius sibi prudens efformare possit judicium de ejus dispositione.

Videlicet, inter veræ contritionis signa in recidivo, sequentia communiter recensentur : 1. multo major conatus quam antea adhibitus ad emendationem; a fortiori vita jam integre in melius mutata; 2. remedia a Confessario præscripta diligentius adhibita; 3. longum iter aggressum ad confessionem rite peragendam; 4. motivum speciale, quo ad confitendum inducitur, ut concionis auditæ, mortis alicujus parentis aut amici, timoris infortunii, pestis, etc.; 5. cum multo rubore confessio peccati diu celati; 6. vividum desiderium confessionem generalem instituendi, aut majorem vitæ anteactæ peccatorum partem repetendi; 7. confessio facta cum magna humilitate et verbis compunctionem redolentibus, saltem ordinarie; 8. sæpe sæpius ipsa confessio spontanee facta a juvenibus et viris, qui seipsos et timorem humanum vincere debent, ut ad confitendum accedant; 9. spontanea promissio peccatum omnino vitandi cum omni incommodo; 10. aliquando saltem suspiria, gemitus, lacrymæ. S. Ligor., lib. 6, n. 460.

208. — Hinc 1° recidivo dubie disposito differenda est absolutio per aliquod tempus, usquedum appareat prudens emendationis signum, nisi urgeat necessitas.

Extra enim casum necessitatis, dubia contritio non sufficit, ut Confessarius prudenter absolutionem conferat. Revera experientia constat « in hoc puncto lugendam esse *animarum ruinam*, cujus causa sunt *tot mali Confessarii*, indistincte absolvendo *tot recidivos*, qui, cum repererint Confessarios semper tam facile eos absolventes, peccati horrorem amittunt, et pergunt ad putrescendum in cœno vitiorum usque ad mortem. » S. Ligor., *Prax. Conf.*, n. 71.

Dilatio autem absolutionis ad longum tempus fieri non debet; sed regulariter satis erit, si fiat ad octo vel decem dies.

Caveat Confessarius, ne dictet unquam pœnitenti, ut non redeat nisi post mensem; hic enim ob tantam dilationem facile a confessione removeri poterit; sed potius ei imponat, ut redeat post octo vel decem dies, et sic blando modo eum transferet ad absolutionem recipiendam; S. Ligor., *ibid.*, n. 73. Vide supra, n. 105.

209. — Hinc 2° multo facilius conteritur et absolvitur recidivus ex pravo habitu seu ex fragilitate intrinseca, v. g., iræ, odii, blasphemiæ, pollutionis, delectationis morosæ, quam recidivus ex occasione extrinseca etiam necessaria.

Nam 1. occasio externa vivaciorem excitat concupiscentiam, et intensiorem reddit affectum ad peccatum quam pravus habitus, in quo non adest objectum extrinsecum; ergo, ex hac parte, non ita difficilior est contritio in mala consuetudine, quam in externa occasione.

2. Pravus habitus est quid intrinsecum et a persona inseparabile; ergo illius exstirpatio minus pendet a propria voluntate, quam occasionis remotio; ac proinde uberior est gratia contra malam consuetudinem, quam contra occasionem.

Propterea, si recidivus ille sit dispositus, raro differenda est absolutio; tum quia gratia sacramenti magis quam absolutionis dilatio, generatim illi prodest; tum quia ejus pia exercitia utpote facta ab amico Dei, erunt Deo gratiora et efficaciora; tum denique quia multi dilationem ægre ferunt, atque non redeunt, et obdurati redduntur.

Cæterum, ut ait Concina, quem probat S. Ligor., n. 459, « *emendatio peccatoris* securior omnibus regulis est norma vel impertiendi, vel denegandi absolutionem. Ut errandi peccatum declines, si vides bina vel trina absolutione te posse infirmum curare, esto in misericordia dives. »

210. — *Quæritur* 1° quid sentiendum sit de contritione

eorum, qui *in Quadragesima* tantum confiteri volunt, et quotannis *eadem* referunt peccata mortalia?

Resp. Ex principiis jam statutis sequitur solutio. Scilicet, vel illi cum eodem habitu pravo sine ulla emendatione redeunt; et tunc post aliqua tentamina differri debent, donec sufficientibus signis verum non peccandi propositum ostendant, n. 208. Vel in eis apparent emendationis signa, quibus prudenter judicatur eosdem esse vere contritos; v. g., si minus frequenter lapsi sunt, si diutius post absolutionem perseverarunt, aut majores conatus adhibuerunt, aut specialibus et difficilioribus tentationibus objecti sunt, etc.; et tunc, si sincere promittant se amplius non peccaturos, ut vere contriti haberi et absolvi possunt.

Sed etiam suaviter et fortiter sunt inducendi, ut sæpius ad sacrum tribunal accedant, v. g., in festo Pentecostes; Assumptionis B. Virginis, Nativitatis, in solemnitate SS. Corporis Christi. « In peccata facile recidentibus *utilissimum* est *consulere* ut *sæpe confiteantur*, et si expediat, communicent; Ritual. Rom. Absolutio tamen non deneganda est habituato aut recidivo præcise, quia pluries in anno confiteri recusat; nullum enim exstat præceptum sæpius confitendi, et sunt alia media quæ, etsi minus efficacia, injungi possunt ad malam consuetudinem superandam.

211. — *Quæritur* 2° quid agendum sit cum his, qui confitentur *immediate ante matrimonium*, aut *extranei* sunt et *dubie dispositi?*

Resp. 1. Si inter se peccare soliti fuerint, facilius absolvi possunt; occasio enim per matrimonium cessabit. Si autem prava consuetudo ex alia parte proveniat, major est difficultas; attamen ordinarie magis expedit tales saltem sub conditione absolvere, nisi de eorum indispositione certo constet.

Nam, ex una parte, de eorum indispositione non constat; ex altera vero, si non absoluti discedant, probabilius est quod Matrimonii Sacramentum profanabunt; atque animo dejecti ex absolutionis denegatione, forte longo tempore ad

confitendum non redibunt et in peccato contabescent, n. 103, 104.

2. Eadem ratione, juxta quosdam, probabiliter *possunt* sub conditione absolvi *viri extranei dubie dispositi*, qui vix aut ne vix quidem ad sacrum tribunal revertere poterunt, et sunt statim discessuri.

Insuper, juxta S. Ligor., n. 432, peccator *recidivus* in culpas lethales, etsi non probetur dispositus per signa specialia, potest sub conditione absolvi, si prudenter timeatur, quod non amplius ad confessionem redibit, et in peccatis suis tabescet.

NUMERUS III

De Contritionis defectu ex parte signi seu manifestationis, scilicet, in moribundis.

212. — *Quæritur* an et quomodo contritio insufficiens esse possit ex parte *manifestationis?*

Resp. 1. Contritio, ex dictis n. 85, debet esse *sensibilis* seu exterius expressa, tum quatenus *materia* Sacramenti Pœnitentiæ, tum quatenus *dispositio*, quam ministro Sacramenti constare necesse est : porro in moribundis qui sensibus destituntur, illa manifestatio sæpe vel omnino deficit, vel incerta remanet; ergo in illis contritio nulla aut dubia esse potest respectu Sacramenti, non solum quia interne non elicitur, sed etiam quia, licet in corde concipiatur, insufficienter aut dubie exprimitur in se et in ordine ad Sacramentum.

2. Moribundi autem sensuum usu inopinate destituti, de quibus hic agitur, in quatuor classes dividi possunt : alii contritionis signa dederunt antequam sensibus orbarentur, et Sacramentum petierunt : alii nullum contritionis signum dederunt, sed christiane vivebant; alii in peccato certe vivebant, et nullis indiciis ostenderunt se dolere de præteritis; alii tandem in actu peccati usum rationis amiserunt. Itaque

1° *Qui signa contritionis dederunt, antequam sensibus orbarentur, et Sacramentum petierunt,* eo ipso sufficienter manifestarunt contritionem in ordine ad Sacramentum, atque ideo absolvi debent.

Res per se rationi consentanea videtur; et aliunde constat ex Conc. Arausicano I, Carthag. IV, auctoritate Leonis Papæ, Benedict. XIV, *de Synod.*, lib. 7, c. 15, Ritual. Rom., et fere omnium Theologorum consensu.

2° *Qui nulla signa contritionis dederunt, sed christiane vivebant,* non ponunt Sacramenti materiam defectu sensibilis doloris et etiam confessionis, ac proinde absolvi non possunt, juxta Suarez, de Lugo, Layman, Natalem Alex., etc.

Contrarium tamen hodie propugnant communiter Theologi, inter quos S. Ligor., Antoine, Billuart, Collet, Benedict. XIV, qui hanc sententiam approbare videtur, *de Synod.*, lib. 7, c. 15.

Revera 1. vita christiana anteacta est quædam implicita detestatio peccati et confessio, vel saltem petitio. Sacramenti: qui enim christiane vixit, præsumitur velle christiane mori; 2. fieri potest et haud raro contingit, ut ægrotus rationis usu intus fruatur, suamque contritionem et absolutionis desiderium testificetur eo signo, cujus est capax, nempe per suspiria, anxiam respirationem, per motus corporis, oculorum, per gemitus, etc. [1]; 3. non omnino certum est tres actus pœnitentis esse materiam Sacramenti Pœnitentiæ, n. 80; ergo, ob illam triplicem rationem, aliquod saltem dubium adest in præfato casu, an existat sufficiens materia : atqui, in administratione Sacramentorum, posita extrema necessitate, tenetur Sacerdos uti opinione etiam parum fundata, et ideo moribundi, de quibus agitur, absolvendi sunt, tamen sub *conditione : Si tu es capax, et recte dispositus ;* n. 103, 104.

Idem dicendum est de viro ignoto, apud quem catholicitatis indicia inveniuntur, ut orationis liber, corona depreca-

1. « Confirmor, ait Marchantius, theologus, apud Elbel, n. 212, in hac ignotorum signorum declaratione, eo quod mihi, semel, extremo periculo post Extremam Unctionem laboranti et per omnia sensuum operatione destituto, contingit. Sensibus omnibus destitutus eram excepto auditu; ratione autem et judicio firmo et recto utebar intus, ita ut, cum me deficere et ex medico foris loquente et ipsius naturæ debilitate perciperem, firmiter me misericordiæ Dei commendabam et pium aliquem affectum foris conabar præstare : quare mirum est, si forte gemitu aliquo vel respiratione, vel doloris nutu illud non ostenderim, quamvis adstantes illud non notarent, nisi forte ut erant signa naturæ patientis. »

toria, etc. Imò, in regione omnino catholica, vel in qua Catholici sunt numero plures, vel etiam in qua Catholici sunt plures, sed non adeo frequentiores ac hæretici, tutius est absolvere sub conditione eum, qui nulla hujusmodi signa haberet; non deest enim probabilitas, quod ille sit catholicus.

3° *Qui in peccato certe vivebant, et nullis indiciis ostenderunt se dolere de peccatis, sed fidem catholicam adhuc tenebant*, cum aliquali probabilitate præsumi possunt voluisse aut velle christiane mori, et ideo conteri et confiteri, et conari aliquo signo actuale desiderium manifestare; ergo absolvendi sunt sub conditione.

4° *Qui in actu peccati rationis usum amiserunt*, v. g., in duello, in furto, in adulterio, in ebrietate voluntaria, ut certe indispositi habendi sunt juxta plures, nec ideo absolvendi. Juxta alios, non omnino constat de illorum indispositione, cum fieri possit, ut lucidum intervallum intus habeant, Deoque reconciliari velint, et suum desiderium ostendant per signa, quæ non satis percipiuntur, licet sensibilia sint; et ideo absolvendi sunt sub conditione. Ita S. Ligor., n. 483, d'Argentré, Henno, etc. Hæc hypothesis negari nequit præsertim pro illo, qui ad peccatum fortassè fuit inductus timore, respectu humano, etc.

Quid autem si rationis usum amiserint in actu, quo recusabant *confiteri* et Sacramentum Pœnitentiæ recipere *ob* impœnitentiam aut *incredulitatem*?

Hic supramodum crescit difficultas. Equidem *absolute* fieri potest ut hic et nunc intus resipiscant illi; attamen mera est possibilitas, et ex illa positiva denegatione confitendi præsertim ob incredulitatem, positiva exurgit adhuc pertinacis impœnitentiæ præsumptio; quare, in tali extremitate, neque absolventes sub conditione, neque absolutionem denegantes condemnare auderemus. Attamen in praxi tutius est absolvere, et quidem sub conditione.

213. — *Quæritur* **2°** an sufficienti contritione munitus reputari possit, et saltem sub conditione absolvi, *hæreticus materialis* seu ex bona fide, *sensibus destitutus*?

Resp. Negant plures cum S. Ligor., n. 483, etiamsi hæreticus in hoc casu det signa pœnitentiæ, nisi absolutionem expresse petat; quia talis homo nunquam probabiliter censetur dare signa in ordine ad confessionem, a qua summopere abhorrent.

Alii vero affirmant. Nam hæreticus ex bona fide seu materialis vult omnia ad salutem necessaria; ergo implicite vult et conteri, et confiteri, et Sacramentum Pœnitentiæ recipere. Sed etiam cum aliquali probabilitate præsumi potest, quod ille, ratione suæ bonæ fidei, gratiam agnoscendi veritatem a Deo impetravit, ideoque hic et nunc velit in Catholica Religione mori, et absolvi; ergo sub conditione absolvendus est. Ita Lacroix, Elbel. Reuter, etc.

Quin etiam, juxta eosdem, in casu extremæ necessitatis, absolvi potest hæreticus materialis, *sensibus adhuc* gaudens, et bona fide recusans catholicam religionem amplecti. Nam hæreticus ille, cum sit bona fide, potest vere de peccatis dolere, et implicite velle confessionem, v. g., si illud fateatur Sacerdoti interroganti an velit confiteri, si putaret Religionem Catholicam esse veram Religionem: porro in hoc casu adsunt saltem implicite omnia ad Pœnitentiæ Sacramentum necessaria; et ideo conferri potest absolutio. Hæc sententia, cum non sit improbabilis, et a pluribus Theologis haud parvi ponderis defendatur, videtur in praxi tenenda; aliunde confirmatur ex praxi passim vigente in Helvetia et Germania tales hæreticos in articulo mortis absolvendi, saltem sub conditione.

ARTICULUS II

De Confessione Sacramentali.

Dicemus, 1° de notione et necessitate confessionis sacramentalis; 2° de ejusdem objecto seu integritate; 3° de conscientiæ examine, quod supponit illa confessio; 4° de tempore quo hæc urget.

§ 1

De notione et necessitate Confessionis sacramentalis.

214. — *Quæritur* quid sit *Confessio sacramentalis?*

Resp. Confessio, de qua hic agitur, definiri solet: *Accu-*

satio propriorum peccatorum, post Baptismum commissorum, a pœnitente Sacerdoti facta, ad veniam per virtutem clavium obtinendam.

Dicitur 1 : *accusatio propriorum peccatorum post Baptistum commissorum*; quibus indicatur tum genus ad quod pertinet actus confessionis, tum ejusdem objectum seu omnia et sola peccata propria post Baptismum patrata.

Exinde confessio debet esse *integra, fidelis, simplex,* et *discreta*. Et quidem *integra*, seu complectens omnia peccata mortalia post Baptismum commissa, et nondum in debitis conditionibus Sacerdoti declarata. — *Fidelis* seu sincera, ita ut in peccatis declaratis nihil exaggeretur, nec peccata supposita adjiciantur. — *Simplex*, id est, nuda, clara, brevis, non vero ita artificiose composita, ut ea ratione aliquid occultetur. — *Discreta*, seu aliorum peccata aut defectus absque necessitate non manifestans.

Dicitur 2 : *a pœni'ente Sacerdoti facta;* in his indicatur tum agens seu illius accusationis auctor, scilicet, ipse reus; tum judex apud quem fit accusatio, Sacerdos scilicet, locum Dei in judicio sacramentali tenens. Unde illa accusatio vocatur *auricularis* et *secreta*, quatenus coram solo Sacerdote, et ex parte Sacerdotis sub sigillo secreti facta a pœnitente.

Dicitur 3 : *ad veniam obtinendam;* quo significatur motivum seu finis, propter quem fit confessio; quæ idcirco debet esse *pura, dolorosa, humilis, parere parata.*

Pura quidem, seu non ad Confessarii compassionem commovendam, ejusve benevolentiam, æstimationem, liberalitatem captandam; sed tantum ad remissionem peccatorum consequendam. — *Dolorosa*, seu ex recogitatione et contritione proprii peccati; alioquin per se non esset vera dispositio ad veniam peccati proprii obtinendam. — *Humilis* sive in corpore, quatenus pœnitens non per modum fabulæ aut nudæ historiæ sua peccata enarrat, sed cum verecundia, quæ habitu et tono vocis manifestatur. — *Parere parata;* id est, pœnitens debet esse dispositus ex animo ad parendum monitis Confessarii tanquam judicis sententiam proferentis, puta in fugiendis occasionibus, in

adhibendis remediis, in restitutione facienda, acceptanda pœnitentia, etc.

Dicitur 4 : *per virtutem clavium;* quo innuitur illam confessionem esse dispositionem ad Sacramentum Pœnitentiæ. Propterea denominatur *Sacramentalis.*

Jam vero Protestantes negant confessionem esse ex divina institutione, eamque modo tanquam utilem, sed cuique omnino liberam habent, modo autem ut animarum tyrannidem rejiciunt. Contra sit

PROPOSITIO

215. — *Confessio sacramentalis est jure divino necessaria dispositio ad Sacramentum Pœnitentiæ recipiendum.* De fide est.

Prob. 1° *Script. Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis,* etc. Unde sic : quibus verbis Christus concessit Apostolis eorumque successoribus potestatem opportune dimittendi aut retinendi peccata per actum judicialem, n. 53 : atqui omnino impossibile est prudentem judicem dimittere et præsertim retinere peccata, quæ ignorat; ergo obligatio confitendi peccata est correlativa potestatis et officii eadem remittendi aut retinendi; ac proinde illa obligatio implicite revelatur in ipsa hujusce potestatis et officii revelatione.

Confirmatur minor. Deus, per suos ministros, non remittit peccata nisi eorum, qui sufficienter per contritionem ad absolutionem sunt dispositi, nec peccata retinet nisi eorum, qui defectu contritionis sunt ad absolutionem indispositi; et ideo, qui in judicio sacramentali locum Dei tenent, clavium potestate uti non debent, nisi cognita sufficienti vel insufficienti pœnitentis dispositione : porro hujusmodi cognitio impossibilis est nisi, ex ipsius peccatoris confessione, minister Sacramenti cognoscat actus et habitus peccaminosos pœnitentis; ergo confessio sacramentalis est correlativa potestatis clavium in foro interno.

Quam confessionis necessitatem non subobscure innuunt ipsi Apostoli : « Multi credentium veniebant *confitentes* et *annuntiantes actus suos;* » Act. 19, ℣ 18. — « *Si confitea-*

mur peccata nostra, fidelis est (Deus) et justus, ut remittat nobis peccata nostra; » I Joan., 1, ℣ 9. — « *Confitemini alterutrum peccata vestra*... ut salvemini; » Jacob., 5, ℣ 16.

2° *Traditione*. Fere omnes SS. Patres de confessionis auricularis necessitate loquuntur. Hic quosdam tantum invocare possumus. « Si ipse peccator sui accusator fiat, dum accusat semetipsum et *confitetur*, simul evomit et delictum, atque omnem morbi digerit causam. Tantummodo circumspice diligentius, *cui debeas confiteri peccatum tuum;* » Origenes, Homil. 2, in Ps. 37.

« Sume *Sacerdotem* ut patrem; audacter *ostende illi, quæ sunt recondita;* animi arcana tanquam occulta vulnera medico retege; ipse honoris et valetudinis tuæ rationem habebit. » S. Gregor. Nyss., Serm. *adv. eos, qui alios judicant.*

« Nemo dicat : « Novit Deus, qui mihi ignoscit, quid in corde ago; ergo sine causa sunt *claves datæ Ecclesiæ*..., agnosce medici manum, *confitere*, exeat in confessione, et defluat omnis sanies. » S. August., *in Ps.* 66. Porro, in illis et aliis numero prope infinitis textibus, confessio facta Sacerdoti ad peccatorum remissionem, vel expresse asseritur, vel manifeste supponitur; ergo, etc. Vide Clement. Alex., *Strom*. II, 12, 13; Lact. *Inst.*, IV, 17; S. Ambros., *de Pœnit.*, II, 3; *de Vid.* c. 10; S. Hieron., *in Eccl.* 10, ℣ 11; *in Matth.*, c. 16; Innoc. I, *Epist. ad Decent.*; Conc. Carthag. an. 397, can. 31.

Idem probari potest argumento præscriptionis jam allato, n. 53.

Tandem Conc. Trid. sic illud dogma definivit, n. 16 : « Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ, ad remissionem peccatorum, *necessarium* non *esse jure divino, confiteri omnia et singula peccata*,... sed eam confessionem *tantum esse utilem* : anathema sit. »

3° *Ex multiplici utilitate confessionis sacramentalis*. 1. Homo quilibet summopere indiget amico fideli, qui sit ejus omnibus cogitationibus intimus, atque in omnibus viis ejus sapiens deditusque director : atqui per institutionem confessionis, Sacerdos, ex statu et officio, factus est pœnitenti

amicus quam maxime intimus et sub ipsa Sacramenti inviolabili religione fidelissimus; sed etiam director in viis divinis, ipsaque gratia ex opere operato pollens, et ad pœnitentis salutem omnia impendens, seipsumque libentissime superimpendens; ergo confessionis auricularis institutio innatis et legitimis propensionibus naturæ humanæ perfecte consonat atque satisfacit.

2. Peccator, ut reviviscat, debet et super seipsum reflectere, et recognoscere seu intra seipsum confiteri suum peccatum, et per humilitatem tollere causam omnis peccati, nempe, superbiam; atqui, posita auricularis confessionis necessitate, oportet peccatorem omnes conscientiæ suæ sinus et latebras explorare, culpas non solum interius et coram Deo recognoscere, sed insuper Sacerdoti confiteri cum verecundia, quæ pro peccato commisso satisfacit, et simul delinquendi cupiditati tanquam fræna injicit, et improbitatem coercet; ergo auricularis confessionis institutio est medium expiationis, satisfactionis et emendationis per se quam maxime efficax.

3. Tandem societas jus habet ad veritatem circa peccatorem, et ad reparationem damni sive spiritualis sive temporalis ex peccato consecuti: atqui, per confessionem auricularem, ipse reus omnes conscientiæ suæ sinus patefacit ministro societatis spiritualis; et exinde efficacius determinatur ad reparationem damni per peccatum proximo illati; ergo confessionis auricularis institutio omnimodo salutaris est atque utilis[1].

1. « Il n'y a peut-être pas d'établissement *plus sage que la Confession*... On peut la regarder comme le plus grand frein des crimes *secrets*. Elle est très bonne pour engager les cœurs ulcérés à pardonner, et pour faire rendre par les petits voleurs ce qu'ils peuvent avoir dérobé à leur prochain... Les ennemis de l'Église, qui se sont élevés contre une institution *si salutaire*, semblent avoir ôté aux hommes *le plus grand frein qu'on pût mettre à leurs crimes*; » Voltaire, *Dict. phil.*, art. *Catéchisme*; *Ann. de l'Emp.*, t. 1. p. 41. — « Le meilleur de tous les gouvernements serait une théocratie où l'on établirait *le tribunal de la Confession*; » Raynal, *Hist. phil.*, t. 3. — « Totum hoc institutum (confessionis) divina sapientia dignum esse negari non potest. Nam, et a peccatis multos deterret confitendi necessitas, et lapsis magnam consolationem præstat; ut adeo putem pium, gravem, et prudentem Confessarium magnum *Dei organum esse ad salutem animarum*. » Leibniz, *Syst. theol.*

216. — *Obj.* 1° SS. Patres, quando confessionem commendant, loquuntur de confessione publica : porro hæc confessio non est ex divina institutione; ergo probari nequit ex SS. Patribus confessionem esse jure divino necessariam.

Resp. Dist. maj. SS. Patres aliquando loquuntur de confessione publica, *conc.*; nunquam de auriculari, et utpote a Christo instituta, *nego.* Etenim 1., in textibus allatis, et aliis similibus numero prope infinitis, SS. Patres loquuntur de confessione facta Sacerdoti, ob clavium potestatem Ecclesiæ divinitus concreditam. 2. Confessio publica nunquam fuit usurpata in universa Ecclesia, nec ut obligatoria commendata; dum e contra confessionem Sacerdoti factam, semper et ubique necessariam perhibent Patres, atque fuit in usu a tempore Apostolorum.

217. — *Inst.* S. Leo, quinto seculo, prohibuit confessionem publicam, cui auricularem subrogavit; ergo hæc confessio est tantum de jure ecclesiastico.

Resp. Dist. ant. S. Leo ademit publicæ confessionis consuetudinem, *conc.*; auricularem confessionem instituit, *nego.* Etenim S. Leo sic loquitur, *Epist.* 186 aut 140 : « Illam etiam *contra apostolicam regulam* præsumptionem submoveri constituo, de pœnitentia, scilicet. quæ a fidelibus postulatur, ne de singulorum peccatorum genere libello scripta professio *publice recitetur*; cum reatus eonscientiarum *sufficiat* Sacerdotibus indicari confessione *secreta*... Sufficit enim illa confessio, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, cui pro delictis pœnititentiam peccator accedat. » Ergo S. Leo expresse asserit ex apostolica regula sufficere confessionem auricularem, quæ ideo tempore Apostolorum in usu erat.

218. — *Obj.* 2° Repugnat confessio homini facta; ergo non est jure divino.

Resp. Nego ant. Etenim confessio facta Sacerdoti sub sigillo sacramenti divini non solum nullo modo repugnat, sed ex omni parte convenit, ex supradictis.

Revera repugnat quidem superbiæ verecundia, quam implicat hujusmodi accusatio; sed ea præcise ratione confessio est peccati expiatio præcipua, atque remedium præ cæteris efficax. Aliunde illa verecundia quoad alios omnino tollitur per sigillum; quoad autem ipsum Confessarium, magna ex parte vel omnino minuitur per dolorem peccati, quam pœnitens simul cum peccato ostendit. Tandem quidquid difficulta-

tis est in confessione, fructu gratiæ et divinæ consolationis compensatur, ut ait Conc. Trid., n. 5.

219. — *Inst.* Confessio auricularis innumeris patet abusibus atque exitiosa est tum ministris, tum pœnitentibus; ergo repugnat.

Resp. Dist. ant. Patet abusibus per accidens, *conc.*; per se, *nego*. Per se enim ad maximam pœnitentis. ministri et societatis utilitatem confert auricularis confessio. Si vero ob abusus per accidens tollenda esset confessio, eodem ictu omnia Sacramenta, Scriptura sacra, prædicatio verbi divini, res quantumcunque necessariæ aut utiles essent removendæ. Nulla est enim, qua interdum non abutantur homines.

§ II.

De objecto seu integritate Confessionis sacramentalis.

220. — Ex dictis n. 70, objectum confessionis sacramentalis est omne peccatum sive mortale, sive veniale post Baptisma commissum. Hic autem agitur de objecto *necessario,* seu inquirendum est an *omnia* et *singula* peccata *mortalia* post Baptismum commissa, sint necessario declaranda, ita ut confessio debeat esse hoc sensu integra, ut sit dispositio ad Sacramentum Pœnitentiæ requisita.

In quatuor numeris dicemus 1. de integritate confessionis in genere, 2. de peccatis dubiis, 3. de peccatis iterum confidendis, 4. de causis ab integritate confessionis excusantibus.

NUMERUS PRIMUS

De Confessionis integritate in genere.

221. — Duplex est confessionis integritas, alia *materialis,* alia *formalis :* prior est de omnibus peccatis prout in reipsa fuere commissa; posterior consistit in eo quod pœnitens confiteatur omnia peccata, de quibus nulla intercedit ratio, ut ea in confessione prætermittat.

PROPOSITIO

222. — *In Sacramento Pœnitentiæ, ad veniam obtinendam, necessarium est jure divino, confiteri omnia et singula*

peccata mortalia, post Baptismum commissa, quorum, post diligentem sui discussionem, conscientiam habet pœnitens. De fide est.

Prob. 1° *Script.* Ex verbis Christi jam allatis, n. 55, Sacerdotes habent potestatem remittendi et retinendi peccata quæ cognoscunt, n. 215 ; ergo, ut per Sacramentum Pœnitentiæ remittantur peccata, necesse est ea omnia et singula confiteri.

2° *Traditione.* « Si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde et Deum celabimus? an melius est *damnatum latere,* quam *palam absolvi?* » Tertull., *de Pœnit.* c. 10. — « Pœnitens ponat se in potestate judicis in judicio Sacerdotis, *nihil sibi reservans.* Quidam uni Sacerdoti celant, quæ aliis manifestanda reservant : quod est se laudare, et ad hypocrisim tendere, et *semper venia carere* ; » S. August., *de vera et falsa Pœnit.* c. 10. — *Si erubescat ægrotus vulnus suum medico detegere, quod ignorat, medicina non curat;* S. Hieron., *in Eccle.* 10.

Idem sic definivit Conc. Trid. : « Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ, ad remissionem peccatorum *necessarium non esse jure divino* confiteri *omnia* et *singula* peccata *mortalia*, quorum memoria cum debita et diligenti præmeditatione habeatur, etiam *occulta*, et *circumstantias* quæ peccati *speciem mutant* : anathema sit. »

3° *Ration. theol.* 1. Pœnitens non confitetur unum peccatum, nisi ut hoc per absolutionem remittatur : atqui absolutio non potest esse de uno peccato mortali, quin sit de aliis mortalibus, siquidem absolutio peccati mortalis fit per infusionem gratiæ sanctificantis, quæ in anima coexistere nequit cum lethali culpa, n. 168 ; ergo pœnitens eadem ratione, qua unum peccatum mortale confitetur, debet et alia mortalia simul declarare.

Revera in omni judicio, accusatio debet esse proportionata et adæquata sententiæ, quæ postulatur ; et, e converso sententia debet esse accommodata accusationi et probationi factæ : atqui, in præsenti judicio, pœnitens postulat liberari non solum ab uno, vel alio peccato mortali, sed simpliciter justificari ; ergo necesse est quod aperiat totam

causam, nec quidquam occultet, quo absolutionem et justificationem possit impedire.

2. Sacerdos, quatenus medicus, adhibere debet remedium, quo peccata etiam in futurum, quoad fieri possit, evitentur : porro, ad hunc finem, sæpe ac moraliter necessarium est, quod Confessarius totam pœnitentis conscientiam perspectam habeat ; ergo merito institutum est, ut pœnitens totam conscientiam aperire teneatur.

223. — Hinc 1º pœnitens tenetur *numerum* peccatorum *mortalium* distincte indicare, inquantum moraliter potest. De fide est.

Patet ex thesi præcedenti, in qua probatum est *omnia* et *singula* peccata mortalia esse in confessione declaranda. Unde sinceritatis defectus circa unum tantum mortale, quod omittitur, constituit grave peccatum ; quia divinum confessionis præceptum in re gravi violatur. « *Qui scienter aliqua retinent*, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt, » ait Conc. Trid., n. 5.

Si pœnitens certum numerum non novit, numerus peccatorum vero proximior aperiendus est, sub consecrata clausula, *circiter*, *plus minusve*. Quæ clausula non habet sensum absolutum, sed respectivum ad numerum cui additur, ita ut qui quanto fuerit major, tanto etiam major excessus sub illa clausula intelligatur. Communiter docent Theologi *circiter, plus minusve* sic sumi : circa *ter*, intelligi bis vel quater ; circa 10, intelligi 8 vel 12 ; circa 30, intelligi 27 vel 33 ; circa 100, intelligi 95 vel 105.

Si quis proinde confiteatur se commisisse decem mortalia circiter, et postea recordetur ea certo fuisse duodecim, non ideo tenetur undecimum et duodecimum de novo confiteri ; quæ enim jam includuntur in clausula *circiter*. Aperiendus est autem excessus si sit notabilis, ita ut non censeatur in clausula *circiter, plus minusve*, inclusus.

Attamen qui erravit, notabiliter exaggerando numerum, non tenetur id etiam postea in confessione declarare, modo ita locutus fuerit bona fide. Plene enim et integre satisfecit

obligationi accusationis, cum verus numerus in majori fuerit comprehensus atque remissus.

Quando numerus probabilis et vero propior haberi nequit, satis est, si Confessarius diligenter statum conscientiæ exquirat, et exinde, interrogando pœnitentem de peccatis plus minusve in die, vel hebdomada, vel mense, saltem in confuso apprehendat numerum peccatorum durante consuetudine commissorum, quin certum judicium ferat cum errandi periculo.

Ubi de peccatis internis agitur, sæpe sufficit, ut consuetudinarius dicat se paratum fuisse cogitationi aut desiderio talis vel talis peccati consentire, quoties memoria illius sibi occurrebat, et frequenter sibi occurrisse.

224. — Hinc 2° tenetur pœnitens *speciem* peccatorum mortalium confiteri. Certum est.

Talis est enim sensus et consuetudo Ecclesiæ, atque illud expresse significat Conc. Trid., n. 5, dum ait « justitiam servari non posse, neque satisfactionem et curationem adhiberi a Sacerdote, nisi ipsa sua in *specie* ac *sigillatim* peccata declaret pœnitens, »

Et vero, peccatum præcipue aperiendum est in confessione, propter malitiam, ratione cujus puniendum est atque curandum : porro alia est malitia delectationis morosæ, alia adulterii, homicidii, parricidii, blasphemiæ; ergo cujusque peccati mortalis species declaranda est.

Unde, qui non potest speciem infimam patefacere, tenetur ad superiorem seu genericam manifestandam; v. g., qui sciens se peccase contra charitatem, non recordatur de peccato specifico, tenetur tamen dicere se contra charitatem graviter peccasse.

Similiter, qui scit se peccasse mortaliter, sed ignorat speciem etiam genericam peccati sui, tenetur dicere in genere se peccasse mortaliter, non tamen recordari cujus peccati sit reus.

225. — Hinc 3° pœnitens debet *circumstantias speciem* peccati *mutantes* confiteri. De fide est.

Hoc enim expresse definivit Conc. Trid. in canone jam allato., n. 222. Revera, ex jam dictis, peccatum in confessione aperiendum est propter malitiam : atqui circumstantia speciem peccati mutans, per se constituit vel peccatum omnino distinctum, vel saltem malitiam specie distinctam ; v. g., furtum in ecclesia habet malitiam furti et sacrilegii ; ergo, si pœnitens non confiteatur circumstantiam furti *in ecclesia*, eo ipso prætermittit peccatum aut malitiam sacrilegii, ideoque ejus confessio in re gravi ab integritate deficit.

226. — *Quæritur* 1° an declaranda sit in confessione circumstantia, quæ *transfert* actum *ex veniali* peccato *in mortale*, etiamsi non variet speciem malitiæ, quæ ex objecto sumitur, v. g., quantitas furti ?

Resp. affirmative. Talia enim peccata, licet ratione mali moralis in specie conveniant, tamen quatenus sunt offensa Dei, plus quam specie differunt : atqui peccatum primario pertinet ad confessionem, ut offensio Dei est ; ergo, etc.

227. — *Quæritur* 2° an necessario declarandæ sint *circumstantiæ notabiliter aggravantes malitiam* peccatorum mortalium *intra eamdem speciem* ?

Resp. Controvertitur[1]. Alii affirmant, inter quos S. Carolus Borrom., Salmant., Suarez, Sylvius, Billuart, Collet, Concina, Estius, Cajetanus. Namque 1. in Catech. Rom. 2. p. *de Pœnit.*, n. 72, sic habetur : « Neque vero solum peccata gravia narrando explicare *oportet*, verum *etiam* illa, quæ unumquodque peccatum *circumstat* et pravitatem *valde augent*, vel minuunt. » 2. Peccatum circumstantiis notabiliter aggravantibus adauctum, pluribus peccatis mortalibus æquivalet. 3. Juxta omnes, si Confessarius de hujusmodi circumstantiis interroget, pœnitens eas dicere

1. « Quelque opinion qu'il embrasse sur ce point, un pasteur discret se gardera bien, en chaire comme au sacré tribunal, de décider une question que le saint Concile de Trente n'a point voulu décider, ou de présenter comme certaine une opinion, que le Saint-Siège regarde comme *douteuse*. » Gousset, *Justification*, etc. c. 9.

tenetur : atqui interrogatio Confessarii non addit, sed supponit obligationem.

Alii distinguunt, scilicet, asserunt confitendam esse circumstantiam *quid*, seu quæ attingit integritatem substantialem peccati in individuo, ut est quantitas in furto, gradus conjunctionis in incestu, alioquin Confessarius non poterit efformare debitum judicium de substantia peccati. Ita Layman, Sporer, etc.

Alii tandem absolute negant, inter quos SS. Th., Antoninus, Bernardus, Bonavent., Ligorius, Albertus Magnus, Soto, Vasquez, Cabassut, de Lugo, Abelly, Lessius. Etenim Conc. Trid. non alias commemorat circumstantias aperiendas, præter eas, quæ speciem peccati mutant; ergo implicite negat tale præceptum ad alias extendi ; siquidem integram doctrinam tradere intendit de omnibus ad Sacramentum Pœnitentiæ necessariis. 2. Si aliter esset, pœnitentes sæpe inter augustias fluctuarent, ob dubium frequens de circumstantiarum gravitate. 3, Lex dubia non obligat, vel saltem in dubio de existentia legis, melior est conditio libertatis possidentis : atqui dubia est lex de illarum circumstantiarum accusatione, atque libertas possidet ante illud dubium ; ergo non tenetur homo confiteri circumstantias mortalium peccatorum notabiliter aggravantes intra eamdem speciem.

Unde in hac sententia, seclusa ratione scandali, aut officii, vel obligationis particularis, non est necessario declaranda circumstantia temporis sacri, dignitatis personæ, peccati Confessarii cum pœnitente commissi, modo nullam habeat relationem ad confessionem.

Similiter, in eadem sententia non tenetur pœnitens declarare gradum incestus cum consanguineis vel affinibus ; quia probabilius est incestum inter consanguineas et affines specie non differre, nec ullum gradum consanguinitatis vel affinitatis per se speciem distinctam constituere, si forte primus gradus lineæ rectæ excipiatur, qui ideo declarandus est, juxta S. Ligor. et alios multos.

Attamen, juxta omnes, 1, in praxi expedit, ordinarie loquendo, ut circumstantiæ notabiliter aggravantes in confessione declarentur, atque id fidelibus suadendum est,

tum ad majorem animi pacem, et humilitatem, tum ad uberiorem fructum ex Sacramento percipiendum.

2. Si Confessarius interroget de illis circumstantiis, tenetur pœnitens eas confiteri, ex damnatione hujusce propositionis ab Inn. XI ; « *Non tenetur* Confessario interroganti fateri alicujus peccati *consuetudinem*. »

Confessarius autem ordinarie inquirere debet de quantitate furti, ut prudentius se gerat circa absolutionem impertiendam, et obligationem restitutionis imponendam ; ideoque, ut plurimum, tenetur pœnitens in furto circumstantiam quantitatis confiteri. S. Ligor., n. 468[1].

3. Declaranda est circumstantia, si, ratione hujus, reservatio vel censura sit peccato annexa, aut peccatum ex veniali fiat mortale, aut multiplicentur sive actus peccaminosi, sive malitiæ numero tantum diversæ.

228. — *Quæritur* 3° an necessario accusandus sit actus *externus* peccati?

Resp. affirmative. Externus enim actus non est mere circumstantia, sed pars integralis ipsius actus humani, et ideo quid unum et idem in genere moris cum actu interno constituit. Revera actus externus directe cadit sub lege divina ; v. g. : *Non facies homicidium ;* et absque declaratione actus externi, plerumque Confessarius munere suo fungi non posset, ut par est, circa absolutionem concedendam, differendam, monita præbenda, etc. Idem constat ex universali fidelium consuetudine.

Hinc declarandus est *effectus* ita *immediate* conjunctus cum ipso peccato, ut compleat actionem malam ratione peccati externi ; sic confitenda est pollutio volita, et per tactum impudicum procurata, occisio per gladii percussionem patrata, etc.

Juxta plures autem, non declarandus est effectus, qui

1. « Un confesseur peut, sans danger de compromettre son ministère, se borner, en ce qui concerne le sixième précepte, à celles des interrogations qu'il juge nécessaires pour connaître les circonstances, qui changent l'*espèce* du péché. Il ne doit pas oublier que, s'il est obligé de procurer l'intégrité de la confession, il est obligé plus strictement encore de ne pas scandaliser les pénitents, et d'éviter tout ce qui peut affaiblir en eux l'idée qu'ils doivent avoir de la sainteté et de la modestie sacerdotale. » Gousset, *Justification*, etc., c. 9 ; vide infra, n. 356.

immediate non sequitur ; v. g., mors ex veneno causata, si non sequatur nisi magno temporis intervallo. Ita De Lugo, Lacroix, Reuter, etc. contra Collet, Antoine, et alios.

229. — *Quæritur* 4° an integritati confessionis satisfaciat, qui peccatum recens ut antiquum accusat?

Resp. 1. Satisfacit *per se,* quia temporis circumstantia minime ad confessionem pertinet. Unde confessionis integritati non officit, qui nova peccata cum antiquis immiscet, vel qui, confessionem generalem instituens, non discernit ab aliis peccata mortalia ab ultima confessione patrata, licet id de industria faciat ad tegendum tempus quo peccata commisit. Ita non pauci. Alii vero putant peccare mortaliter, qui sic antiqua cum novis miscet peccata mortalia, cum sit in causa, quo minus Sacerdos judicium prudens tam de danda absolutione, quam de satisfactione præstanda ferat.

2. Qui vero circa tempus mentitur, v. g., negando se peccasse hodie, et declarando peccatum velut alio tempore determinato et remoto commissum, non satisfacit suæ obligationi, juxta communiorem sententiam. Actus enim quem posuit pœnitens hodie, non est actus positus anno præterito; et ideo actus hodie positus non accusatur. In hoc casu dupliciter mentitur, scilicet, celando peccatum hodie patratum, et accusando peccatum ut alterius temporis commissum. Non desunt tamen Theologi, qui hoc mendacium leve putant.

230. — *Quæritur* 5° an officiat integritati confessionis, qui accusat *venialia* Confessario ordinario, *mortalia* vero alteri?

Resp. negative, dummodo absolutionem nunquam recipiat, quin omnia mortalia uni manifestaverit, et ab eodem absolvatur. Venialia enim non sunt necessario accusanda, n. 72; ideoque integra est illa confessio, quæ omnia mortalia complectitur. Attamen damnandi sunt ii, qui ita circumeunt, ut liberius peccent, ne a Confessariis corripiantur, etc.

231. — *Quæritur* 6° an officiat integritati confessionis, si quis simulet aliam vocem, ne a Confessorio agnoscatur?

Resp. negative, modo omnia mortalia aperiat. Aliquando tamen sic posset induci in errorem gravem Confessarius, qui talem pœnitentem non absolveret, si eum agnosceret, v. g., ob protractam peccandi consuetudinem; unde in hoc casu non licet præfata simulatio.

232. — *Quæritur* 7° an sit semper mortale peccatum mentiri in confessione.

Resp. Per se est mortale peccatum, quoties mendacium versatur circa materiam *necessariam* ad confessionem sine justa causa celatam; aut circa materiam gravem falso suppositam. Mendacium autem circa res ad conscientiam pœnitentis non attinentes, per se non est mortale; quia non est graviter pœnitenti damnosum, ut supponitur, nec graviter injuriosum Sacramento, cum ad ipsum non referatur.

NUMERUS II

De Peccatis dubiis.

Dubium versari potest circa commissionem, aut gravitatem, aut accusationem ipsius peccati. Itaque

233. — *Quæritur* 1° an peccatum mortale *dubie commissum* sit necessario accusandum?

Resp. Negant æquiprobabilistæ et probabilistæ, si, præhabito diligenti examine, dubium perseveret, ex principio: *lex dubia non obligat;* vel : *in dubio de existentia legis, melior est conditio libertatis possidentis.* Et vero, ex Conc. Trid., accusari debent peccata mortalia, quorum, post diligentem sui discussionem, *conscientiam habemus*, n. 5 : porro habere conscientiam importat notitiam certam, siquidem conscientia nihil aliud est quam cordis scientia et judicium de peccato commisso; ergo peccatum mortale dubie commissum non est necessario accusandum.

Affirmant probabilioristæ, posito quod peccati commissio sit probabilior; et tunc ut dubium declarandum est peccatum.

Juxta omnes, in praxi, omnino suadenda est confessio peccatorum dubie commissorum, cum id ordinarie prosit ad conscientiæ tranquillitatem. Scrupulosi tamen ab obligatione confitendi peccata dubia eximi debent; et etiam ii qui sunt timoratæ conscientiæ, nec solent deliberate lethaliter peccare. Tales enim in dubio credere possunt non consensisse, quia præsumptio sumitur ex communiter contingentibus.

234. — An vero, qui, confessus est aliquod peccatum tanquam dubium, debeat illud iterum confiteri, si idem ut certum postea cognoscat? Affirmant multi.

In accusatione enim dubia nunquam includitur certa, nec humano modo unquam dubia accusatio delicti tanquam certa accipitur. Revera, ex Conc. Trid., accusare debemus omnia peccata, quorum conscientia seu certitudo habetur. Non tamen hic agitur de peccato sub clausula *circiter, plus minusve,* vere incluso, ut dictum est n. 223.

Alii negant iterum accusandum esse peccatum, quod ut certo commissum postea agnoscitur, præsertim cum sit jam vi absolutionis directe remissum, prout tunc erat in conscientia. Ita De Lugo, Sporer, etc.

235. — *Quæritur* 2° an peccatum certe commissum, sed *dubie mortale,* sit necessario accusandum?

Resp. Negant probabilistæ, et æquiprobabilistæ, et affirmant probabilioristæ, eadem ratione ac pro quæsito præcedenti. Non constat enim de existentia peccati gravis, nec ideo de existentia præcepti illud peccatum confitendi.

In praxi, distinguendum est, prout dubitatur utrum materia peccati sit in se gravis, an vero fuerit plenus consensus circa materiam in se certe gravem.

Si prius, rudes pœnitentes ordinarie tenentur accusare peccata dubie mortalia, quia non possunt per seipsos conscientiam efformare, cum plerumque non possint distinguere venialia a mortalibus. Aliter vero dicendum est de scrupulosis, qui mortalia frequenter committere non solent.

Pœnitentes vero edocti non tenentur dubie gravia accu-

sare, si legitime conscientiam efforment; nihilominus ad hæc etiam accusanda ordinarie suaviter inducendi sunt ad conscientiæ pacem.

Si posterius, 1. pœnitentes timoratæ conscientiæ nullo modo tenentur peccata dubie gravia accusare; imo ab hac accusatione impediendi sunt, si ad scrupulos propensi videantur. Tales enim non solent graviter peccare.

2. E contra pœnitentes laxæ conscientiæ generatim peccata dubie gravia declarare debent, quia ipsis adversatur præsumptio ex communiter contingentibus deducta.

3. Tandem, si pœnitentes mediam viam servent inter timoratam et laxam conscientiam, non sunt quidem obligati, sed bene inducendi ad conscientiam dubiam declarandam, quia illud prodest ad animæ tranquillitatem.

236. — Quid autem, si quis declaraverit peccatum, quod nec pœnitens, nec Confessarius sciebat esse mortale; postea vero noscat pœnitens esse mortale ex genere suo? Non tenetur illud iterum confiteri, juxta Suarez, Sanchez, etc.; et hæc sententia communis est, ait S. Ligor., n. 478. In hoc enim casu pœnitens exposuit Confessario suum peccatum uti in conscientia tunc erat, et nunc est; et in præsenti nihil novi occurrit, nisi quod cognoscat materiam illius esse gravem: quod prius nesciebat.

237. — *Quæritur* 3° an peccatum mortale certe commissum, sed *dubie declaratum*, sit necessario accusandum?

Resp. Distinguendum est: vel dubium est negativum, ita ut nulla ratio positiva et gravis suadeat illud peccatum jam esse declaratum; et tunc, juxta omnes, est necessario accusandum.

Vel dubium est positivum, ita ut positiva et gravis ratio suadeat tale peccatum jam fuisse accusatum; et tunc non est necessario declarandum, juxta probabilistas, quia, in hoc casu, lex confitendi dubia est ideoque non obligat. Declarandum est autem juxta probabilioristas, et æquiprobabilistas, si probabilius sit aut saltem æquiprobabile, quod peccatum non fuerit declaratum; eo quod in dubio pars

probabilior eligenda sit, vel quia in dubio de cessatione legis, melior est conditio legis possidentis. Omnes consentiunt, quod in praxi tutior sententia consulenda sit.

NUMERUS III
De Peccatis iterum accusandis, et de confessione generali.

238. — *Quæritur* 1° quandonam peccata jam *accusata*, sint *iterum* declaranda?

Resp. Iterum accusanda sunt peccata jam declarata in confessione *invalida*. Talia enim peccata nondum fuerunt remissa vi absolutionis, ac proinde iterum clavibus sunt subjicienda.

Porro invalida esse posset confessio ex parte Confessarii, vel pœnitentis. Confessarii quidem, scilicet, quando jurisdictione caruit, aut formam substantialem vitiavit, aut absolvere non intendit, aut nullum peccatum audivit, etc. Sed etiam ex parte pœnitentis, quando mortale tacuit, aut mortaliter negligens fuit in examinanda conscientia, aut caruit attritione requisita, aut ignoravit quæ scitu necessaria sunt necessitate medii, etc.

Attamen 1. confessio non est necessario repetenda, nisi de ejus invaliditate *moraliter certo constet*, juxta S. Ligor., n. 505, et alios non paucos. Nam, cum actus est certo positus, et suboritur dubitatio an fuerit valide positus, obtinet hæc regula Juris : *standum est pro valore actus.*

2. Si apud alium Confessarium iteretur confessio, quæ fuit invalida, repetitio hujus confessionis est ex integro facienda ; quia talis Confessarius aliter non potest judicis et medici partes agere. Sufficit autem quod pœnitens jam accusata peccata summatim confiteatur, si accusatio iteretur apud eumdem Confessarium illorum peccatorum adhuc memorem, dicendo, v. g., *me accuso de peccatis jam declaratis in tali confessione.*

Idem dicendum est de peccatis eidem Confessario antea *historice* extra confessionem enarratis, nec ab illo oblitis. Per summariam enim accusationem illo peccata sacramentaliter subjiciuntur Confessario, qui de omnibus hic et nunc sacramentaliter judicat, cum de omnibus recordetur.

Eadem repetitio generalis sufficit, saltem probabilius, etsi *in confuso* tantum peccatorum memor sit Confessarius. Posita enim summaria repetitione conjuncta cum notitia antecedenter habita a Confessario, hic potest sacramentale judicium proferre, cum de singulis peccatis in sacro tribunali jam judicaverit.

Unde, etsi confessarius peccatorum oblitus fuerit, sufficit, saltem probabilius, quod pœnitens suum statum manifestet, ita ut confusam sui notitiam Confessario præbeat. In hoc enim casu, haud secus ac in præcedenti, Confessarius habet memoriam status pœnitentis saltem confusam.

Imo juxta Suarez, de Lugo, et alios, sufficit ut Confessarius recordetur pœnitentem fuisse dispositum et pœnitentiam acceptasse : hoc autem evenire potuit, si præcedens confessio fuerit invalida ex parte Confessarii tantum.

Quando pœnitens animadvertit Confessarium ob somnum, aut distractionem, peccata aliqua non percepisse, et nesciat qualia, tenetur totam retexere confessionem, si fuerit brevis; quia prudenter dubitare potest pœnitens de singulis, an a Confessario intellecta fuerint, necne; secus autem, si prolixa fuerit confessio, et pauca tantum non percepta sint. Si tamen dubium circa unum vel alterum peccatum solummodo versetur, hujusce peccati accusatio iteranda est.

259. — *Quæritur* 2° quænam sit necessitas, vel opportunitas confessionis *generalis?*

Resp. Confessio generalis est repetitio plurium confessionum, scilicet, vel totius vitæ, vel alicujus temporis, v. g., unius anni, aut plurium annorum.

Jam vero 1. *necessaria* est confessio generalis, quando moraliter constat invalidas fuisse quocunque modo præcedentes confessiones. Patet ex jam dictis.

2. *Utilis* est et *consulenda* confessio generalis, vel in dubio positivo et gravi de invaliditate præcedentium confessionum; vel in præcipuis vitæ christianæ epochis, scilicet, ante primam communionem, ante electionem aut susceptionem status vitæ particularis, ut ordinis sacri, professio-

nis religiosæ, matrimonii; item quando quis statuit vitam perfectiorem ducere.

Sed etiam facile *permittenda* est personis devotis confessio generalis partialis, ut unius anni, vel a tempore ultimæ confessionis generalis, juxta morem servatum apud plerasque familias religiosas. Quæ praxis revera per se non parum confert ad cognitionem sui ipsius, ad humilitatem et devotionem, ad perfectiorem directionem, ad majorem animæ puritatem, ad auxilia divina efficacius obtinenda.

3. Nunquam *permittenda* est generalis confessio scrupulosis aut nimis timoratis. Generalem enim confessionem plures scrupulos generare, quam destruere experientia constat.

Nec sane probandi sunt, qui ab omnibus novis pœnitentibus generalem confessionem exigunt, sub prætextu necessitatis, rationе directionis; vel qui ex pigritia aut laxitate hujusmodi confessionem opportune præcipere aut consulere negligunt.

Cæterum, ex praxi communi constat breviorem et meliorem methodum esse accusationem secundum ordinem tum mandatorum Dei et Ecclesiæ, tum peccatorum capitalium, tum obligationum status cuique pœnitenti proprii. Præcipua confessionis generalis capita indicantur, n. 258.

NUMERUS IV

De causis ab integritate Confessionis excusantibus.

240. — *Quæritur* 1° an *materialis* integritas confessionis sit semper necessaria?

Resp. Materialis integritas confessionis non est semper necessaria; patet ex supradictis. Sed insuper Conc. Trid. definivit « necessarium esse jure divino confiteri omnia et singula peccata, *quorum memoria*, cum debita et diligenti præmeditatione, *habetur*, » n. 16; et addit: « Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione intelliguntur; pro quibus fideliter cum Propheta dicimus : *Ab occultis meis munda me;* » n. 5.

Revera, sæpe integritas materialis obtineri nequit ob

impotentiam sive physicam, quæ, scilicet, nulla vi humana superari potest, vel moralem, quæ, nimirum, superari non potest absque gravi damno ipsi confessioni extrinseco. Unde

241. — *Quæritur* 2° quandonam impotentia *physica* excuset ab integritate confessionis?

Resp. Hujusmodi impotentia ex triplici causa oriri potest, nimirum, ex defectu temporis, aut cognitionis, aut organi.

Et quidem 1. ex defectu *temporis;* v. g., si infirmus uno alterove peccato dicto deficiat, vel sit grave periculum ne deficiat; si infirmus volens confiteri, dum ei fertur Viaticum, deprehendatur multas confessiones fecisse invalidas, et morbi gravitas non patiatur absolutionis dilationem; si ipse Sacerdos in periculo constitutus videatur ante moriturus, quam pœnitens absolvatur, si immineat naufragium, aut prælium. In hoc ultimo casu sufficit unum audiri peccatum minus infamans, vel etiam, juxta plures, pœnitentes dicere in genere se esse peccatores, et statim absolvendi sunt per hanc formulam generalem : *Ego vos absolvo*, etc.

Nunquam autem obligatione integre confitendi eximere potest Confessarius, ob magnum pœnitentium concursum, v. g., aliquo die festo solemniori. Constat ex hujusce propositionis damnatione ab Inn. XI : « Licet sacramentaliter absolvere *dimidiate* tantum confessos, ratione *magni concursus* pœnitentium ; qualis, v. g., potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis aut indulgentiæ. » Revera, hoc admisso, adesset frequens periculum absolvendi indignos; et aliunde casus non urget.

2. Ex defectu *cognitionis*, seu ex oblivione aut ignorantia inculpabili, aut leviter tantum culpabili.

3. Ex defectu *organi*, quando, videlicet, quis ex ignorantia idiomatis, vel ex defectu loquelæ vel ex infirmitate extrema, non potest omnia sua peccata declarare.

242. — Hinc 1. *peregrini* penitus aut fere penitus ignari idiomatis regionis, in qua versantur, absolvi possunt, si

nutibus quædam tantum peccata cum dolore ostendant, nec adsit Confessarius a quo intelligantur.

Nec tenentur uti interprete, ob periculum revelationis aut irrisionis, ut innuit Conc. Lateran. IV, et declaravit S. Congregatio, 1633. Attamen confessio per interpretem esset medium ad salutem omnino necessarium, si in periculo mortis pœnitens dubitet de contritione, et simul idiomatis sit ignarus, nec per signa possit aliquod saltem peccatum sufficienter declarare. Cæterum, interpres peccatum pœnitentis agnoscere non poterit, si interroget pœnitentem an fecerit hoc vel illud : et pœnitens clam nutu aliquo, v. g., manum Confessoris comprimendo, fateatur vel neget tale peccatum.

243. — Hinc 2. *mutus*, qui non est sufficienter edoctus, aut difficulter a Confessario intelligitur, tenetur unum tantum vel alterum peccatum manifestare, vel in genere significare se esse peccatorem et velle peccatum vitare.

Juxta probabiliorem sententiam, mutus sciens scribere, tenetur scripto confiteri ad integritatis confessionem procurandam, modo in tali confessione per scripturam moraliter absit manifestationis periculum, aut incommodum extraordinarium.

244. — Hinc 3. moribundus, qui aliquo modo, voce, vel signo confitetur, vel absolutionem petit, est absolute absolvendus.

Conditionate autem absolvendus est quilibet moribundus, in quo attritio et confessio præsumi possunt aliquo modo quantumvis tenuiter probabili. Unde, quoad moribundorum confessionem, servanda sunt quæ diximus de eorumdem contritione, n. 212, 213.

245. — *Quæritur* 3° quandonam impotentia *moralis* excuset a confesssionis integritate?

Resp. Ut quis censeatur ab integritate confessionis excusatus ratione impotentiæ moralis, quatuor requiruntur conditiones, scilicet, 1. ut ea tantum peccata omittantur,

quæ declarari nequeunt absque gravi incommodo sive temporali, sive spirituali pro pœnitente, aut Confessario, aut tertia persona; 2. ut periculum hujusce incommodi sit vere fundatum; 3. ut non possit inveniri alius Confessarius, cui integra confessio fiat absque tali incommodo; 4. ut confessio sit hic et nunc necessaria, ita ut differri non possit sine magna difficultate, aut etiam sine jactura magnæ utilitatis.

246. — Hinc 1. ab integritate confessionis excusat tum *periculum vitæ* pro Confessario, v. g., si totam audiendo confessionem, certe incurreret periculum pestis, vel alterius gravis morbi; tunc, audito uno peccato, potest absolvere pœnitentem infectum.

Tum *periculum violationis sigilli*; v. g., si Confessarius nequeat confiteri, quin peccata in confessione audita manifestet, etc.; vel si pœnitens ex gravi causa timeat, ne Confessarius legem sigilli infringat.

Tum *periculum famæ;* v. g., si Sacerdos mox celebraturus, et confessione generali indigens, non posset integre confiteri, quin adstantes rem suspicarentur.

Tum denique *periculum scandali, vel lapsus;* v. g., si mulier certo cognosceret maximam Confessarii fragilitatem, etc.

247. — Hinc 2. nunquam excusat ab integritate confessionis difficultas ipsi confessioni *intrinseca.*

Etenim confessio ex natura sua est laboriosa, ac proinde si difficultas gravis, v. g., magna repugnantia aut verecundia, aut amissio propriæ famæ coram Confessario, ab integritate excusaret, plerumque ab obligatione confitendi peccata mortalia eximerenter fideles, atque rueret ex maxima parte Sacramenti Pœnitentiæ institutio. Insuper nec Ecclesia reservare posset atrocia crimina, cum id incommodum non leve pœnitentibus creet.

248. — *Quæritur* 4° an debeat aperiri peccatum mortale, quod manifestari nequit sine infamia *complicis?*

Resp. Controvertitur. Alii negant, atque docent alium Confessarium, qui complicem non cognoscat, quærendum esse ; et, si haberi nequeat, posse, imo debere omitti circumstantiam, ex qua complex detegeretur. Præceptum enim naturale servandi famam proximi præferendum est positivo servandi confessionis integritatem.

Alii vero communius et probabilius affirmant, inter quos SS. Bernard, Th., Bonavent., Antoninus, Ligor., Suarez, Vasquez, Gonet, De Lugo, Layman, Benedict. XIV, *de Synod.*, lib. 6, c. 6. Namque integritas confessionis procuranda et conscientiæ directio est causa sufficiens, ut non servetur præceptum non infamandi proximum. Revera complex, consentiendo in peccatum, eo ipso in sui diffamationem implicite consentit, cum sciat alterum confiteri debere.

Omnes tamen consentiunt teneri pœnitentem petere Confessarium, cui incognita sit persona complicis, quando id commode potest.

Porro, juxta plurimorum sententiam, pœnitens commode nequit adire alium Confessarium, ideoque aperiri debet peccatum cum infamia complicis, 1. si urgeat periculum mortis, aut præceptum annuæ confessionis ; 2. si grave sit pœnitenti omittere confessionem aut communionem ; 3. si quis difficulter alteri Confessario conscientiam aperiret ; 4. si quis secus in peccato etiam per unam diem remanere deberet ; 5. si quis alias privaretur beneficio alicujus indulgentiæ plenariæ ; 6. si haberetur melior directio, consolatio notabiliter major, adeundo Confessarium, cui complex cognitus est. Vide S. Ligor., n. 490.

Hinc sæpe excusantur matres et uxores manifestantes peccata filiorum et virorum Confessario, qui hos novit, ratione petendi consilii, doloris leniendi, etc. Nimis enim durum ipsis esset, si novum Confessarium adire tenerentur.

249. — Confessario autem non licet, generaliter loquendo, *petere* nomen *complicis*. Hoc enim graviter charitati adversatur, odiosum redderet Pœnitentiæ Sacramen-

tum, atque deterreret fideles a suis culpis Confessario integre manifestandis, ut ait Benedict. XIV, in Bulla *Ubi primum*, in qua Pontifex, loquens de Confessariis, qui sub pœna denegandæ absolutionis, nomen complicis requirunt, declarat eos peccare graviter, et incurrere suspensionem ab audiendis confessionibus, sed ferendæ tantum sententiæ.

Dixi : *generaliter loquendo ;* quia ipse Benedict. XIV supponit casus, in quibus id liceat juxta sanas opiniones. Et revera, Confessarius aliquando venire potest in cognitionem complicis indirecte, vel directe. *Indirecte* quidem, puta si exquirat, ut tenetur, an persona complex sit in primo vel secundo gradu, an ligata voto, an ancilla, an habitet in eadem domo. *Directe* etiam, nempe, si gravia damna timerentur a complice, quæ solus Confessarius posset impedire, tunc licet petere nomen complicis. Ex præfata autem Bulla Benedict. XIV, infertur licitum non esse Confessario nomen complicis exquirere ad finem faciendæ correctionis ; et ita S. Ligor., n. 492.

230. — *Quæritur* 5° an, cessante causa, quæ ab integritate confessionis excusat, præceptum divinum omnia mortalia confitendi *iterum urgeat ?*

Resp. affirmative. Obligatio enim omnia peccata mortalia confitendi non tollitur, sed suspenditur per impotentiam physicam aut moralem ; siquidem confessionis præceptum non est affixum ad tempus, nec ad circumstantiam, sed vitam integram afficit ; ergo, cessante impedimento, legis obligatio integre reviviscit. Constat aliunde ex hac propositione ab Alex. VII damnata :

« Peccata in confessione *omissa* seu *oblita*, ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, *non tenemur in sequenti confessione exprimere.* »

Quæ autem obligatio moraliter accipienda est. Juxta plures non urget, donec vi alterius obligationis iterum confiteri teneatur pœnitens, atque ideo ad plures menses, et etiam ad tempus annuæ confessionis differri posset.

Attamen nulla alia confessio, iis peccatis omissis, inter-

poni potest, quia ad integritatem confessionis pertinet declarare in actuali accusatione omnia mortalia nondum accusata, quorum habetur conscientia.

Unde, juxta communem sententiam, iterum absolvi debet pœnitens accusans grave peccatum in præcedenti confessione ex oblivione aut alia legitima causa omissum, et jam indirecte remissum. Nam, ex institutione Christi, illa peccata sunt clavibus subjicienda, ut directe remittantur.

§ III

De conscientiæ examine, quod præsupponit Confessio sacramentalis.

PROPOSITIO

251. — *Pœnitens tenetur sub gravi, per se loquendo, diligens examen peccatorum mortalium ante confessionem instituere.* Certum est.

Etenim, ex Conc. Trid., n. 5, 16, « oportet a pœnitentibus in confessione recenseri omnia peccata mortalia, quorum conscientiam habent, *postquam diligentius se excusserint,* et conscientiæ suæ *sinus omnes* et *latebras exploraverint;* » ergo diligens examen peccatorum mortalium a pœnitentibus exigitur.

Revera, qui præcipit aliquem finem, eo ipso præcipit et media per se necessaria ad illum finem assequendum : atqui, ex una parte, præcipitur integra confessio peccatorum mortalium; et ex altera, diligens examen, moraliter loquendo, est medium per se necessarium ad omnia peccata mortalia dignoscenda, ac proinde in confessione declaranda; ergo præcipitur diligens peccatorum mortalium examen.

252. — Hinc 1. ad illud examen, ea prudenter adhibenda est diligentia, quæ adhiberi solet ab hominibus in rebus seriis et magni momenti, et quæ moraliter sufficiat, attenta capacitate pœnitentis, consuetudine peccandi, diuturnitate temporis, et aliis circumstantiis; videlicet, minori examine indigent, qui frequenter, quam qui raro confitentur; qui vitam privatam ducunt, quam qui negotiis munda-

nis implicantur; qui solertes sunt et docti, quam qui sunt rustici et rudes.

253. — Hinc 2., qui certus est moraliter se peccata mortalia non commisisse ab ultima confessione, non tenetur ad rigorosum examen ante confessionem, nisi in quantum requiritur ad materiam sufficientem Sacramento administrandum. In praxi tamen suadendum est pœnitentibus piis, ut serio examini conscientiæ dent operam per quinque minutas saltem, aut per medium quadrantem circiter, ad defectus veniales cognoscendos et exstirpandos. Nam « *electorum* est actus suos ab *ipso cogitationis fonte discutere;* reproborum autem, *prava* quæ faciunt, *cæca mente transire,* » S. Greg. Papa, *Moral.* 6.

254. — Hinc 3., in *timoratis*, mediocris omnino diligentia requiritur, ad examen perficiendum; quia conscientia non sileret, si quid graviter culpabile intus lateret. Imo scrupulosis inquisitio est omittenda, et aliquando omnino interdicenda, utpote inutilis et sæpe nociva.

255. — Hinc 4. in *ægrotantibus* non tam accuratum examen requiritur, quam in sanis; imo quandoque nullum ab eis exigendum est, ob nimian capitis debilitatem, sed sunt ab ipso Confessario breviter examinandi, in quantum sinit ipsorum status.

256. — Hinc 5. generatim obligationi examinis satisfacit, qui recogitat ubi, quovis die fuerit, quæ negotia gesserit, quid in iis circumstantiis, cogitatione, affectu, verbo et opere vel omissione deliquerit; quomodo domi, in templo, in conversatione cum proximo se habuerit.

Nec tenetur pœnitens peccata sua scribere et scripta legere, ut tutius eorum recordetur, et integre ea confiteatur: cum hujusmodi medium sit extraordinarium, et alienum a praxi communi, etiam apud diligentes et timoratos vigente. Ita Suarez, S. Ligor., n. 471.

257. — Hinc 6° quando pœnitentes in examine deficientes accedunt, vel sunt edocti, vel rudes et parum edocti

in rebus spiritualibus : si prius, nisi circumstantiæ aliud suadeant, benigne dimittendi sunt cum adhortatione, ut accuratius conscientiam discutiant et revertantur, saltem si de longis et implicatis confessionibus agatur. Nam fere est impossibile, ut quis repente rogatus omnium recordetur. Ita Suarez, S. Ligor, et alii communiter. Attamen prudentius fortasse ageret Confessarius, si studiose præfatum pœnitentem interrogaret, et deinde nonnisi post novum et accuratius examen illum absolveret.

Si posterius, non facile remittendi sunt, ut conscientiam suam examinent, saltem si aliquam diligentiam adhibuerint. Confessarius enim nonnullis interrogationibus plus obtinebit, quam illi sibi longo examine præstarent. Præterea timendum est, ne forte deterriti amplius ad confitendum non redeant.

258. — *Quæritur* qualis *ordo* sit statuendus in conscientiæ examine?

Resp. Si quis a multo tempore non sit confessus, expedit ut ordinem præceptorum Dei et Ecclesiæ, peccatorum capitalium, et obligationum specialium status percurrat; secus, sufficit attendere ad pravos habitus, ad peccata magis consueta, vel summatim ad peccata contra Deum, proximum et seipsum.

Hic pro longiori aut generali confessione præcipua capita indicare utile duximus. Scilicet,

I. *Circa Dei præcepta*, et in primis circa 1um, inquirere debet pœnitens, vel ab eo quærere debet, si opportunum duxerit, Confessarius,

1° De *Fide* : an sciat mysteria principalia sive puncta scitu necessaria necessitate medii aut præcepti, nimirum, Deum esse, et remuneratorem esse boni et mali in ordine supernaturali; mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis, et Redemptionis; Symbolum Apostolorum et Orationem Dominicam, saltem quoad substantiam; et generatim quæ necessaria sunt ad vitam christiane instituendam; v. g., decem Decalogi præcepta, tria saltem Sacramenta, Baptismi scilicet, Pœnitentiæ et Eucharistiæ; animæ libertatem et

immortalitatem; æternitatem sive præmii pro bonis, sive supplicii pro malis; peccatum originale, ac proinde necessitatem Baptismi et gratiæ Christi; obligationes status pœnitenti proprii?

An actus fidei interdum elicuerit? an forte negaverit fidem? an dubitaverit de aliqua veritate Religionis, vel eam negaverit? an contra Religionem locutus sit? an libros prohibitos legerit, vendiderit, commodaverit?

Cæterum, hic agitur de adultis, qui sensu communi gaudent; a pueris autem et semifatuis præcipue exquirendum est ea, quæ scitu necessaria sunt necessitate medii.

2° De *Spe*: an actus spei vitæ æternæ et auxilii divini interdum elicuerit? an de illa vita et de hoc auxilio desperaverit? an præsumpserit, sperando aliquid quod non debet sperari, vel propriis viribus nimium fidendo, vel inordinate divina misericordia et potentia innitendo?

3° De *Charitate*: an actus amoris divini interdum elicuerit? an odium Dei aliquoties conceperit?

An in omnes homines et etiam in inimicos dilectionem affectivam et effectivam foveat, et, data occasione, ostendat, sive per signa usitata, sive per eleemosynam, sive per correctionem fraternam? an odium proximi conceperit? an discordiam promoverit aut foverit? an præbuerit scandalum per prava consilia aut exempla, præsertim per luxuriam, pravos libros, choreas, spectacula? an occasiones peccandi quæsierit, aut non vitaverit? an ad malum cooperatus sit, uti sæpius evenit ex parte famulorum, operariorum, mercatorum, cauponum?

4° De *Religione*: an interdum actus adorationis et orationis perfecerit? an peccaverit sive per irreligionem, id est, per blasphemiam, tentationem Dei, sacrilegium, simoniam: sive per superstitionem, id est, per idololatriam, magiam, divinationem, vanam observantiam, maleficium?

Circa 2um Decalogi præceptum: an in vanum usurpaverit nomen Dei? an juramentum præstiterit absque veritate, justitia et judicio? an votum adimpleverit, aut ejus commutationem sive dispensationem subreptitie aut obreptitie postulaverit et obtinuerit?

Circa 3um præceptum : an die Dominica vel festo operibus servilibus absque ratione sufficienti vacaverit? an omiserit Sacrum, vel Missam cum insufficienti attentione et devotione audierit?

Circa 4um : an, quatenus filius; debita reverentia, amore et obedientia parentes coluerit? an, quatenus parens, filiis instructionem et educationem præsertim christianam et cujusque conditioni congruam præbuerit? an, si superior sit, sufficientem curam de inferioris salute habuerit? an, si sit inferior, debitam reverentiam et obedientam superiori retribuerit?

Circa 5um : an provocaverit aut admiserit rixam? an, extra justam defensionem, proximum verberaverit, mutilaverit, occiderit?

Circa 6um et 9um, quid de turpi cogitatione, de delectatione morosa ejusdem generis, de turpi desiderio, de obscenis verbis sive prolatis sive auditis, de turpi lectione, aspectu, tactu, saltatione? an hic et nunc adhuc sit in occasione proxima?

Circa 7um et 10um; an furtum, damnum, fraudem commiserit, aut ad alterutrum cooperatus sit? an stipendium operariis debitum retinuerit, vel minuerit? an injuste ablatum restituerit? an furta minuta erga eumdem vel erga plures patraverit? an bonorum temporalium inordinatum appetitum conceperit?

Circa 8um : quid de mendacio, de falso testimonio, de detractione, de calumnia, de contumelia, de judicio temerario, de violatione secreti proximi?

II. *Circa Ecclesiæ præcepta :*

An jejunium quatuor temporum, vigiliarum et Quadragesimæ servaverit? an a carne diebus vetitis abstinuerit? an, saltem semel in anno, omnia sua peccata mortalia confessus fuerit? an corpus Christi rite susceperit tempore paschatis, et quidem in propria parochia?

III. *Circa peccata capitalia* :

Quid de *superbia,* ac proinde quid de ambitione, vana gloria, jactantia, ostentatione, hypocrisi?

Quid de *avaritia,* ac proinde quid de duritie cordis erga

miseros, de inordinata sollicitudine de terrenis, de perfidia, de dolo, etc.?

Quid de *luxuria*, ac proinde quid de cæcitate mentis, de inconsideratione, de inconstantia?

Quid de *invidia*, ac proinde quid de susurratione, (detractione, calumnia, contumelia), etc.?

Quid de *ira*, ac proinde quid de indignatione, rancore, clamore, conviciis?

Quid de *acedia*, ac proinde quid de torpore, evagatione mentis, nausea in oratione, etc.?

Quid de *gula*, ac proinde quid de ebrietate, de hebetudine mentis, de scurrilitate, de multiloquio et immunditia cujuslibet generis?

IV. *Circa officia status:*

An, si sit Sacerdos, votum castitatis servaverit? an Officium attente, devote, integre et tempore debito recitaverit? an Sacrificium Missæ rite et cum fructu obtulerit, et sacratissimum corpus Christi digne receperit? an lectioni attenderit, orationi mentali suæque perfectioni incubuerit? an diligenter præsertim infirmis Sacramenta administraverit, atque omnia impenderit et seipsum superimpenderit pro animabus?

An, si sit maritus, aut uxor, aut herus, aut advocatus, aut mercator, etc., adimpleverit officia unicuique horum statuum propria[1]?

1. Pro iis, qui perfectioni christianæ et etiam sacerdotali studiose incumbunt aut incumbere debent, specialem examinis methodum hic gallico idiomate subjiciemus.

I. *Devoirs envers Dieu*. Avons-nous été fidèles à l'heure du repos le soir, et du lever le matin; à préparer l'oraison le soir et dès notre réveil?

L'oraison a-t-elle été intègre pour le temps, profonde pour la conviction, intime pour la réflexion, fervente pour la demande, suivie de résolutions précises, pratiques et actuelles?

Avons-nous assisté à la sainte Messe ou offert le saint Sacrifice avec attention et dévotion, comme Marie et saint Jean sur le Calvaire; communié dignement, avec ferveur, et avec fruit; fait des actions de grâces, selon que l'exige un si grand bienfait? Durant le jour, la sainte Communion a-t-elle été pour nous un excitant d'humilité, de repentir, de reconnaissance et d'amour?

Quelle a été notre exactitude à nous préparer, par la contrition, à la réception du sacrement de Pénitence; à visiter Notre-Seigneur dans la sainte Eucharistie;

§ IV

De tempore, quo urget præceptum Confessionis sacramentalis.

259. — *Quæritur* 1° *quandonam* obliget *divinum confessionis præceptum?*

Resp. Hoc præceptum obligat *per se* aut *per accidens*, quoties eodem modo urget præceptum suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ : porro, ex dictis n. 68, præceptum divinum suscipiendi hoc Sacramentum obligat *per se* in periculo mortis, et aliquando in vita extra mortis periculum; ergo et confessionis præceptum. Nec de hac re quidquam clarius determinavit Christus.

Exstat autem præceptum ecclesiasticum a variis Conciliis,

à dire le Saint-Office avec attention, dévotion, et en temps opportun; à réciter le chapelet avec ferveur; à faire la lecture spirituelle; à vivre dans le recueillement et l'exercice des oraisons jaculatoires durant le jour; à faire chaque jour l'examen de conscience, approfondi, en remontant aux causes du mal, détaillé, en l'étendant aux divers mouvements de la volonté; à faire la retraite du mois, de l'année; à suivre un règlement de vie?

Notre cœur s'est-il fait un devoir d'honorer Marie immaculée comme Mère de Dieu, notre médiatrice universelle, notre divine Mère? Quel a été notre respect, notre confiance, notre dévotion pour notre Ange gardien, notre saint Patron?

II. *Devoirs envers soi-même.* 1° *Pour l'âme.* Avons-nous évité les retours de complaisance sur nos prétendues perfections, sur nos pensées, nos paroles, nos actions, nos habits, notre fortune, notre famille, etc.; consenti au désir de l'estime et des louanges; employé de petites industries pour les provoquer, éprouvé un déplaisir volontaire, quand on nous les refuse?

Avons-nous accepté les humiliations avec joie, ou au moins avec résignation; et résisté à la tentation de jalousie, d'ambition, de désobéissance, de mensonge?

Nous sommes-nous abandonnés au découragement, au dépit, qui n'est qu'un dépit d'orgueil, pire que l'orgueil même?

N'avons-nous pas favorisé la paresse de l'esprit, et recherché le plaisir sensible spirituel, en laissant l'esprit penser à tout sans penser à rien, se bercer dans des réminiscences frivoles, hors d'à-propos, dans des rêves d'avenir; en nous livrant à l'étude, à la conversation, par curiosité; en désirant la dévotion sensible, plutôt que l'amour divin dégagé de tout retour sur soi-même?

2° *Pour le corps.* Aimons-nous le repos du lit? Avons-nous pris les aliments pour la sensation agréable, plutôt que pour l'entretien du corps, afin qu'il serve l'âme et que l'âme serve Dieu?

La paresse n'a-t-elle pas plus ou moins compromis notre fidélité à nos exercices de piété, à nos devoirs d'état? Avons-nous recherché les positions du corps les moins gênantes; supporté le froid, le chaud, les maladies avec impatience, et

et præsertim a Conc. Later. IV sic statutum : « Omnis utriusque sexus fidelis, *postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata* solus *confiteatur* fideliter, *saltem semel in anno, proprio Sacerdoti*... alioquin vivens ab ingressu ecclesiæ arceatur, et moriens christiana sepultura careat. » Similiter Conc. Trid. anathemate plectit eum, qui dixerit « ad confessionem non teneri omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles, juxta Conc. Lateran. Constitutionem, *semel in anno;* » n. 8, 17.

Porro communiter docent Theologi illud decretum esse solummodo determinativum temporis, quo *per se* obligat divinum confessionis præceptum extra periculum mortis. Et revera, Conc. Trid. declarat Ecclesiam in præfato decreto tantum ordinasse, ut *divinum* præceptum confessionis

pris les délassements pour le plaisir, plutôt que pour servir Dieu après le repos?

Quelle a été notre modestie dans les regards; notre sollicitude à trancher net avec les représentations, les réminiscences sensibles, en pensant à autre chose, et produisant des actes d'humilité et d'amour?

3° *Pour les biens extérieurs*. Eprouvons-nous une complaisance secrète au sujet de la fortune que nous possédons; le désir déréglé d'une plus grande abondance; une tristesse qui abat ou aigrit, à la suite de nos pertes de fortune? Supportons-nous avec impatience une certaine médiocrité, ou la pauvreté? Faisons-nous, provoquons-nous des démarches intéressées, que désavouent l'honneur et la conscience?

III. *Devoirs envers le prochain*. Considérons-nous Notre-Seigneur dans le prochain, qui n'en est que le miroir? Quel a été notre zèle pour sa sanctification, et son soulagement corporel.

N'avons-nous pas un amour trop naturel pour nos parents, nos frères, nos sœurs, nos amis, notre confesseur ou directeur, qui nous préoccupe, nous attache, nous fait trop souvent penser à eux et à leurs intérêts naturels, et trop désirer leur présence, leurs lettres? Recherchons-nous par un motif naturel les personnes qui nous reviennent mieux? Sommes-nous suffisamment résignés à l'occasion des malheurs, des maladies, de la mort qui frappent les personnes qui nous sont chères?

Nous laissons-nous entraîner par la propension à déprécier le prochain, d'abord dans notre pensée, en fixant notre esprit sur ses défauts, en prononçant des jugements défavorables et téméraires; ensuite, dans la pensée des autres, par la médisance, la calomnie?

N'avons-nous pas du ressentiment, des aversions secrètes, quelque désir de vengeance? Pratiquons-nous la vertu de douceur en toute occasion?

Enfin, combattons-nous notre défaut de tempérament, de caractère, notre défaut dominant; et agissons-nous par le motif *surnaturel* ou de *crainte*, ou d'*espérance*, ou d'*obéissance*, ou de *pénitence*, ou de *reconnaissance*, ou d'*amour pur*?

singulis annis exsecutioni mandetur, n. 5; ergo saltem semel in anno per se obligat præceptum confessionis.

260. — Hinc 1. hujusmodi præcepto subjiciuntur omnes baptizati non solum adulti, sed et *pueri*, qui conscii sunt alicujus peccati mortalis nondum in confessione declarati. Certum est.

Etenim, qui peccat mortaliter, confiteri tenetur, et capax est absolutionis. Insuper, ex præfato decreto, tenentur semel in anno confiteri peccata mortalia omnes qui annos discretionis adepti sunt: porro anni discretionis significant ætatem, in qua homo capax est peccati mortalis; ergo, etc. Pueri tamen non eodem tempore ad Eucharistiam admittuntur tum ob majorem reverentiam erga illud Sacramentum debitam, tum quia hoc Sacramentum non est adeo necessarium. Tract. *de Euchar.*, n. 109.

Cæterum certa assignari non potest ætas, in qua homo pervenit ad annos discretionis, et incipit obligari illo præcepto; alii enim citius, alii tardius ratione utuntur; sed regula est, quando primum quisque habet conscientiam peccati mortalis.

Unde Pastores animarum tenentur puerulos etiam septennes, imo quandoque et ante septimum ætatis annum, ad confessionem sensim præparare, et eos, in quibus advertunt mortale peccatum etiam dubium, absolvere saltem intra annum. In dubio de discretione, absolvantur sub conditione. Proinde *graviter errant, neque excusari possunt* Confessarii, qui pueros sibi commissos nunquam ante primæ communionis ætatem absolvere volunt. Ita hodie omnes Theologi, praxis communis, et Ecclesiæ sensus. Vide *Analecta*, 1867, col. 1008.

261. — Hinc 2. præcepto, de quo agitur, non subjiciuntur, qui *non gravantur* aliquo *mortali* peccato.

Namque, ex dictis, præceptum illud ecclesiasticum est solumnodo determinativum temporis, quo divinum confessionis præceptum per se urget extra periculum mortis: atqui ex præcepto divino solus ille tenetur confiteri, qui

conscientiam habet peccati mortalis, n. 80, 222; ergo non subjicitur præcepto confitendi semel in anno, quicunque mortali peccato non gravatur. Vix autem reperitur aliquis, qui toto anno a peccato mortali abstineat, nisi sæpius in illo anno confiteatur, si potest.

262. — Hinc 3. præfato non satisfacit præcepto *invalida* confessio. Certum est.

Etenim confessio, quæ ab Ecclesia præcipitur, ea est, quam generatim præcepit Christus: atqui certe impleri nequit confessionis præceptum a Christo institutæ, per sacrilegium; ergo nec præceptum ecclesiasticum. Idem constat ex hac ab Alex. VII damnata propositione: « Qui facit confessionem *voluntarie nullam*, satisfacit præcepto Ecclesiæ. »

263. — *Quæritur* 2° quomodo computandus sit initium et finis anni, intra quem obligat præceptum, de quo agitur?

Resp. Controvertitur. Alii dicunt computandum esse ab eo tempore, quo primum mortaliter quisque peccat, ita ut nemo, postquam peccaverit mortaliter, possit intra annum a confessione abstinere. Alii sentiunt computandum esse ab ultima confessione; alii, a principio januarii usque ad finem decembris; alii tandem putant hujusmodi annum esse ecclesiasticum, et a Quadragesima ad Quadragesimam computari comprehendendo omnes illos dies, in quibus potest communionis paschalis præceptum impleri.

Huic ultimæ sententiæ favet communis consuetudo et Ecclesiæ sensus. Omnes enim fideles existimant obligationem confitendi semel in anno tempore Quadragesimæ finiri, et propterea etiam illi, qui non sunt communicaturi, eo tempore confitentur.

Similiter Ecclesiæ Prælati tempore Quadragesimæ instanter fideles excitant ad observationem illius præcepti. Attamen hæc omnia omnino non cogunt, ut infertur ex his verbis Conc. Trid., n. 5 : « Jam in universa Ecclesia cum ingenti animarum fructu, observatur *mos* ille salutaris

confitendi sacro illo et *maxime acceptabili* tempore *Quadragesimæ :* quem *morem* hæc Sancta Synodus maxime *probat* et *amplectitur* tanquam *pium* et *merito retinendum.* » Vide Bossuet, *Lettre* 24, t. 28, p. 21, *édit. Viv.*

264. — Hinc 1. *quamprimum* confiteri tenetur, qui conscius alicujus peccati mortalis, integro anno non est confessus. Certum est.

Terminus enim anni non fuit ab Ecclesia appositus ad finiendam, sed ad non differendam obligationem ; ac proinde quo magis voluntarie quis differt confessionem, anno elapso, eo magis peccat : imo toties peccat mortaliter, quoties oblatam confitendi occasionem negligit. Ita Suarez, Vasquez, De Lugo, S. Ligor., n. 668. Et revera, qui uno anno censum non solvit, non ideo ab hac obligatione liber est, sed tenetur prima data occasione solvere.

265. — Hinc 2., qui prævidet se non habiturum copiam Confessarii sub fine anni, tenetur anticipare confessionem, antequam annus impleatur.

Illud enim præceptum non limitatur ad finem anni, sed obligat ad confitendum semel in anno peccata commissa et non accusata : porro, ex hypothesi, si homo non anticipat confessionem, præcepto annuæ confessionis non satisfaciet ; ergo confessionem anticipare tenetur, antequam annus impleatur.

ARTICULUS III

De Satisfactione.

Dicemus 1° de notione et speciebus satisfactionis ; 2° de impositione satisfactionis sacramentalis ; 3° de ejusdem adimpletione.

§ I

De notione et speciebus Satisfactionis.

267. — *Quæritur* 1° quid sit satisfactio in genere?

Resp. Satisfactio a verbo *facio*, et a vocabulo *satis*, late sumpta est actio, qua quis facit quantum debet, sive sol-

vendo debitum, sive respondendo expectationi de se conceptæ, sive reddendo rationem sufficientem eorum, de quibus rogatur.

Strictiori sensu sumpta, prout hic definiri solet : *Toleratio pœnæ voluntaria, ad redimendam pœnam temporalem graviorem, ordinarie peccato debitam post hujusce remissionem quoad culpam.*

Dicitur 1 : *toleratio*, quo indicatur satisfactionem, de qua agitur, in actu quodam consistere, et ideo distingui a restitutione, quæ in redditione rei alienæ, v. g., equi, pecuniæ, nititur.

Dicitur 2 : *pœnæ ;* ad satisfactionem enim requiritur opus de se pœnale, alioquin non esset vera et proprie dicta toleratio seu perpessio. *De se* quidem, quia facit unctio Spiritus Sancti, ut quandoque Christianus in iis, quæ cæteroquin affligere nota sunt, gaudio superabundet. In hoc satisfactio pro pœna differt a satisfactione pro injuria per peccatum Deo illata ; hæc quippe consistit in actu quidem, sed honoris et reverentiæ, ut dictum est in Tract. *de Incarn.*, n. 180.

Dicitur 3 : *voluntaria,* id est, vel propria sponte, vel ex alterius mandato lubenter suscepta ; quibus illa pœnæ toleratio distinguitur a pœna purgatorii vel inferni, quæ, utpote coacta, *satispassio,* potiusquam satisfactio nuncupatur.

Dicitur 4 : *ad redimendam pœnam temporalem ordinarie debitam peccato post hujus condonationem quoad culpam ;* quibus significatur effectus seu finis illius actus pœnalis, et ejusdem discrimen tum a satisfactione pro ipso peccato, quæ ipsius injuriæ compensationem respicit ; tum ab actu meritorio, qui præmium comparandum spectat.

Dicitur 5 : *graviorem ;* toleratio enim pœnæ in hac vita lubenter suscepta, non est ex se condigna ad præparatas in altera vita passiones iis, qui ante decedunt, quam novissimum quadrantem reddiderint.

Hinc satisfactio pro pœna sub motivo virtutis pœnitentiæ secundario comprehenditur, atque est pars justitiæ commutativæ erga Deum, ut dictum est, n. 39-42.

268. — *Quæritur* 2° quotuplex sit satisfactio?

Resp. Duplex est, scilicet *sacramentalis* et ex opere operato, *extrasacramentalis* et ex opere operantis. Prior est toleratio pœnæ a Confessario virtute clavium impositæ, et quæ ideo, quatenus Sacramenti Pœnitentiæ pars integralis, ex opere operato pœnam exsolvendam integre vel partim saltem redimit ; propterea dicitur *sacramentalis*.

Posterior est toleratio pœnæ, quam quis sponte eligit, vel ab alio extra Sacramentum inflictam volens et lubens recipit ; et quæ ideo pœnam exsolvendam redimit ex opere operantis seu juxta valorem pœnæ voluntarie toleratæ; quare nuncupatur *extrasacramentalis*.

Utraque est publica vel privata, æquivalens vel improportionata.

Et quidem *publica* vel *privata*,, prout coram omnibus aut multis subitur, vel in angulo et sine testibus.

Æquivalens seu *condigna* vel *improportionata*, prout adæquat vel non pœnam debitam; æquivalens, si sit insuper ex propriis et alias indebitis, dicitur *ad strictos juris apices*; vide Tract. *de Incarn.*, 201.

Jam vero, in hoc Tractatu proprie agitur de satisfactione Sacramentali. Nam extrasacramentalis ad virtutem Pœnitentiæ pertinet, ut vidimus, n. 39 et seq. Attamen non pauca de satisfactione sacramentali exponenda, vera sunt etiam de extrasacramentali, ut data occasione notabitur.

§ II

De impositione satisfactionis Sacramentalis a Ministro.

Dicemus 1. de possibilitate et necessitate; 2. de modo; 3. de commutatione satisfactionis sacramentalis.

NUMERUS PRIMUS

De possibilitate et necessitate satisfactionis Sacramentalis.

269. — Juxta Protestantes, Deus, per imputationem justitiæ et satisfactionis Christi, nobis remittit sive culpam, sive pœnam culpæ debitam; atque ideò, remissa culpa, nullus satisfactioni locus superest ; sed jejunia, eleemosynæ, aliaque pietatis opera, ad emendationem morum, ad cau-

telam in futurum, ad exemplum proximi præstanda sunt, non autem ad vindictam delicti, ejusque satisfactoriam compensationem.

Hoc systema circa justificationem jam ventilatum est in Tract. *de Gratia*, n. 133, 134, 304, 334, 335, atque ejus fundamentum quoad satisfactionem evertimus in præsenti Tract., n. 118, 119, ubi demonsratum est, dimissa culpa, sæpe remanere reatum pœnæ temporalis exsolvendæ. Unde circa satisfactionis possibilitatem et necessitatem quædam tantum addenda supersunt.

PROPOSITIO PRIMA

270. — *Pœna temporalis, quæ, dimissa culpa, sæpe remanet, redimi potest in hac vita laboriosis pœnitentiæ operibus*. De fide est.

Prob. 1° *Script*. Dicitur enim : « *Eleemosyna a peccato liberat*, et non patietur animam ire *ad tenebras ;* » Tob. 4. — « Ignem ardentem extinguit aqua, et *eleemosyna resistit peccatis ;* » Eccli. 3, ℣ 33. — « *Convertimini* ad me in toto corde vestro, in *jejunio*, in *fletu* et *planctu ;* » Joel, 2, ℣ 12. Porro, in his textibus, opera laboriosa ut apta ad redimendum peccatum, ad vitandam damnationem exhibentur ; ergo sunt opera satisfactoria non solum quoad culpam, sed etiam quoad pœnam.

Idem constat ex factis pœnitentiæ in Scriptura commendatis, atque supra recensitis, n. 119.

2° *Traditione*. « *Non sufficit in melius* commutare *mores*, et a factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, *satisfaciat* Deo per dolorem, per humilitatem, gemitum, cordis contriti sacrificium, cooperantibus eleemosynis ; » S. August., *Serm*. 50 aut 351. — « In quantum *non peperceris* tibi, in tantum Deus, crede, *parcet;* » Tertull., *de Pœnit*. 9. — « Dominus noster *satisfactione* placandus est ; » S. Cypr., *de Lapsis*.

Hoc sic definivit Conc. Trid., n. 22 : « Si quis dixerit, pro peccatis, quoad *pœnam temporalem*, minime Deo per Christi merita *satisfieri pœnis ab eo inflictis*, et patienter toleratis, vel a *Sacerdote injunctis*, sed neque *sponte susceptis*,

ut *jejuniis, orationibus, eleemosynis*, vel *aliis* etiam *pietatis operibus* : anathema sit. »

3° *Ex congruentiis* jam allatis, n. 119. Sed insuper 1., cum homo in hac vita sit in statu viæ, ei concedi oportuit locum, tempus, et modum, quo posset animam perfecte purgare ab omni culpa et pœnæ reatu.

2. Homo mereri potest vitam æternam, ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 305 ; atqui multo minus est satisfacere pro pœna temporali ; ergo, etc.

3. Hoc modo superexaltatur ipsius Christi satisfactio, ex dictis, n. 119 ; sed etiam efficacius excitatur homo ad virtutem et augmentum meriti, ad amorem et reverentiam erga Deum, ad abstractionem a concupiscentiis et peccatis, et ad radices peccatorum mortificandas.

271. — Hinc homo satisfacere potest *de condigno* pro pœna temporali.

Etenim, ex jam dictis, Scriptura et Concilia eodem prorsus modo loquuntur de satisfactione pro pœna, ac de vitæ æternæ merito : atqui potest homo, sub certis conditionibus, de condigno mereri vitam æternam, ex dictis in Tract. *de Gratia*, n. 336 ; ergo potest de condigno pro pœna satisfacere.

Idem colligitur ex Baii propositione damnata a Pio V et Gregor. XIII : « Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare *de condigno* pœnam temporalem restantem post culpam condonatam. »

Revera ad satisfactionem, sicut ad meritum de condigno, tria requiruntur et sufficiunt, nempe, status viatoris et gratiæ in satisfaciente, bonitas aliquo modo supernaturalis in actu satisfactorio, et acceptationis promissio ex parte Dei : atqui hæc omnia concurrere possunt in satisfactione nostra, sicut in merito ; ergo, etc. Tract. *de Gratia*, n. 340 et seq.

PROPOSITIO II

272. — *Satisfactio a Confessario injungenda est pœnitenti.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* Christus enim dedit Apostolis potestatem non tantum solvendi, sed etiam *ligandi :* atqui, ex Conc. Trid., n. 8, 24, sub potestate ligandi comprehenditur etiam potestas imponendi pœnas confitentibus; ergo, sicut Confessarii debent pœnitentes dispositos solvere a vinculo peccati, ita et iisdem pœnas satisfactorias imponere.

2° *Traditione* et constanti usu Ecclesiæ, quæ nusquam sine satisfactione pœnitentes reconciliavit. Quam traditionem et praxim sic contrahit Conc. Trid., n. 8 : « *Debent* ergo Sacerdotes Domini... convenientes satisfactiones injungere, ne, si forte... indulgentius cum pœnitentibus agant... *alienorum peccatorum participes* efficiantur. »

3° *Ration. theol.* Sæpe remanet pœna temporalis exsolvenda post culpæ remissionem, atque hujus pœnæ solutio in hac vita per satisfactionem est pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ, ex dictis n. 81, 83, 119 ; atqui Sacerdos 1., ut minister Sacramenti, tenetur, quantum est ex se, efficere ut Sacramentum sit integrum per satisfactionem, quæ est ejus pars integralis; 2. ut judex, debet servare æquitatem inter Deum et peccatorem, peccatum vindicando usque ad plenam satisfactionem, in quantum potest ; 3. ut medicus, debet pœnitentis vulnera curare et futura præcavere, per pœnas ad hoc idoneas ; ergo satisfactio a Confessario injungenda est pœnitenti.

273. — Hinc Confessarius pœnitentiam imponere tenetur *sub gravi* quoad mortalia peccata.

Qui enim hoc omittit, gravem facit injuriam Sacramento, quod culpabiliter mutilat in re gravi ; et etiam grave infert nocumentum pœnitenti, qui remedio contra futuros relapsus privatur, et gravioribus Purgatorii pœnis obnoxius manet.

Controvertitur autem an gravis sit obligatio pœnitentiam imponendi quoad venialia. Alii affirmant, quia, licet satisfactio pro venialibus sit in se quid leve, est tamen respectu Sacramenti, quod manet mutilum, quid grave in ratione irreverentiæ. Alii vero probabilius et communius negant ; quia nulla gravis deordinatio apparet, in eo quod pro culpis tantum venialibus nulla injungatur pœnitentia.

etiam per verba, *quidquid boni feceris*, etc., injungat quidquid a pœnitente præstabitur boni, saltem ad certum tempus, puta, ad octiduum, ad mensem, ad annum. Ita Collet. *de Pœnit*. p. 2, c. 6.

276. — *Quæritur* 2° an sacramentalis satisfactio in re producat ex opere operato etiam *augmentum gratiæ sanctificantis?*

Resp. Controvertitur. Alii affirmant inter quos S. Th., 3 p., q. 90, a. 2, ad 2, Suarez, Billuart, etc., quia Sacramenta novæ legis causant gratiam; et ideo satisfactio, cum sit pars Sacramenti, aliquid gratiæ conferre debet.

Alii vero probabiliter negant, inter quos Collet, eo quod nullo gravi fundamento, ut oportet, nititur sententia affirmans.

NUMERUS II

De modo satisfactionis a Sacerdote imponendæ.

Tria hic perpendenda sunt, nempe, quanta debeat esse satisfactio sacramentalis, qualis, et in quibusnam operibus consistere possit. Itaque

PROPOSITIO PRIMA

277. — *Satisfactio sacramentalis debet esse proportionata gravitati criminum, gravitati pœnæ exsolvendæ, et facultati pœnitentis*. Certum est.

Et quidem 1° *gravitati peccatorum in Confessione declaratorum*. Nam Confessario incumbit, ut judici, infligere pœnas delictis commensuratas, et, ut medico, præscribere remedia morbis curandis proportionata; ac proinde, per se loquendo, Sacerdotes alienorum peccatorum participes efficiuntur, si levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungant, ut ait Conc. Trid., n. 8.

Censetur autem pœnitentia *gravis*, saltem ex hodierna Ecclesiæ praxi, ea quæ respondet operi, quod sub gravi ab Ecclesia injungitur, vel quod sub gravi ex se obligaret, si præciperetur, v. g., Missam audire, jejunare, recitare Rosarium etiam quinque tantum decadum, officium parvum

B. Virginis, Litanias Sanctorum, et similia. Sed non ut gravis haberetur pœnitentia, si Psalmus *Miserere* tantum imponeretur.

2° *Gravitati pœnæ exsolvendæ*, Si enim contritio fuerit vehemens cum sit perfectissima satisfactio, n. 122, eo ipso minor superest exsolvenda pœna ; et ideo minor potest esse pœnitentia, seu ex se gravitati criminum non adeo proportionata, nisi tamen major pœnitentia sit necessaria ad medicinam.

Simili ratione levior satisfactio imponi potest, si adsit tempus indulgentiæ plenariæ lucrandæ, presertim Jubilæi. Ita Suarez, Layman, S. Ligor., n, 508.

3° *Facultati pœnitentis*. Nam satisfactio injungenda est juxta prudentiæ regulas et pœnitentis utilitatem ; talis autem non esset satisfactio, quæ vires pœnitentis excederet ; et ideo Sacerdos in pœnitentia imponenda attendere debet non solum ad gravitatem peccatorum, sed etiam ad pœnitentis ætatem, sexum, convictum, conditionem, dispositionem, infirmitatem. Sic, v. g., non sunt injungenda jejunia infirmis aut opificibus gravi et continuo labore fatigatis, nec diuturnæ orationes servis et ancillis in fraudem temporis, quod in obsequium dominorum impendere debent.

Similiter minuenda est pœnitentia, quando Confessarius præsentit pœnitentem eam non accepturum, aut acceptatam non perfecturum. Tutius est enim cum parva satisfactione, quæ sponte suscipitur et verisimiliter adimplebitur, ducere confessos ad Purgatorium, quam cum magna non implenda præcipitare in infernum.

Ægrotis autem, qui rationis usu gaudent, aliqua saltem levissima satisfactio injungenda est, v, g., actus amoris Dei, brevis oratio, prolatio nominis Jesu, B. Virginis et S. Joseph, imo, si mors non immineat, imponi potest aliquid ab ægroto, per eum vel per alium, implendum, v. g., eleemosyna, ut pœnitens omni satisfactionis fructu non careat, n. 292, Sed insuper si spes sit recuperandæ sanitatis, præcipi potest aliquod opus conveniens ab ipso pœnitente, cum convaluerit, præstandum.

Præfatam materiam sic contrahit Rituale Rom. : « Con-

fessarius *salutarem* et *convenientem* satisfactionem, quantum Spiritus et prudentia suggesserit, injungat, habita ratione *status, conditionis, sexus, ætatis* et *dispositionis* pœnitentium. » Cæterum, « ut pœnitentes suorum scelerum gravitatem magis agnoscant, operæ pretium erit eis interdum significare, quæ pœnæ quibusdam delictis ex veterum canonum præscripto constitutæ sunt. » Catech. Rom., 2 p., c. 5, n, 79.

PROPOSITIO II

278. — *Pœnitentia sacramentalis debet esse opus pœnale et medicinale, sive externum aut internum, sive publicum aut privatum, sive supererogatorium aut alias præceptum.* Certum est.

Et quidem 1° opus *pœnale,* seu ex se aut per accidens pro pœnitente afflictivum; alioquin non esset in vindictam et castigationem præteritorum delictorum, ut exigit tum ipsa ratio satisfactionis pro peccato, n. 267, tum judicis officium in Confessario. « Habeant præ oculis Sacerdotes, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, sed etiam *ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem,* » ait Conc. Trid., n. 8.

2° *Medicinale,* ita ut sit remedium idoneum ad in futurum præcavenda peccata, ut exigit sive pœnitentis utilitas, sive medici officium in Confessario. « Debent Sacerdotes, ait Conc. Trid., n. 8, *salutares* et *convenientes* satisfactiones injungere. »

Optimum igitur erit, ut monet Rituale Rom., si contrarias peccatis pœnitentias injungat, sicut fusius indicamus n. 283.

Pœnitentiæ *in se leves,* sed *diuturnæ,* plurimum prosunt, v. g., ut quis, quoties e lecto surgit, vel illum ingreditur, cogitet se moriturum, vel se meruisse æternis addici flammis; item, sæpius in Deum cogitet præsentem et ad eum recurrat; item, utile erit, v. g., assuetis jurare, blasphemare, etc., injungere ut singulis diebus per mensem, dent assem pauperibus, non simul et una vice, sed duodenis vicibus, toties retractando habitum illum pravum, et postulando a Deo illius destructionem.

3° Sive *externum* aut *internum*. Opus externum ab interno virtutis actu aliquo modo procedens, est magis accommodatum ad satisfactionem sacramentalem, quæ, utpote pars Sacramenti, debet esse sensibilis.

Attamen sufficere potest actus virtutis mere internus, cum talis actus, fiat sensibilis per impositionem Sacerdotis et per acceptationem pœnitentis, sicut contritio fit sensibilis per confessionem. Ita communiter Theologi.

4° Sive *publicum* aut *privatum*. Scilicet, pro peccatis occultis imponi nequit pœnitentia publica, quæ ita fit coram aliis, ut ex ea colligi possit confessarium propter grave crimen illam imposuisse; id sic expresse prohibet Rituale Rom. : « Pro peccatis *occultis*, quamtumvis gravibus, *manifestam* pœnitentiam non imponat. »

Pro peccato autem publico imponenda est publica pœnitentia, quando id ad tollendum scandalum, ad satisfaciendum Ecclesiæ in crimine, necessarium judicatur, aut valde expediens absque gravi incommodo pœnitentis, qui in eo casu rationabiliter censetur consentire ad indirectam ejus confessionis revelationem per hujusmodi satisfactionem.

Unde, si pœnitentia publica non sit ita necessaria, confessarius non debet illam renuenti imponere, cum aliter obtineri possit salus pœnitentis, et scandalum reparari, nempe, per publicam Sacramentorum frequentationem, visitationes Ecclesiarum, auditionem Missæ, ingressum in aliquam religionem, et similia.

5° Sive *supererogatorium* aut *alias præceptum*. Regulariter imponi debent opera supererogationis seu alias non præcepta, ut major sit satisfactio, et ut detur pœnitentibus occasio plura bene operandi. Quare, nisi Confessarius expresse imponat opus alias præceptum, intelligitur impositum opus supererogatorium. Si vero Confessarius præscribat auditionem Missæ per mensem aut quindecim dies, non est obligatio audiendi duas Missas die dominica aut in festo.

Communiter tamen docent auctores opera etiam alias præcepta imponi posse a Confessario. Cum sint enim ex se satisfactoria, ex hypothesi, bene possunt per claves elevari ad meritum etiam satisfactionis sacramentalis. Imo expedit

aliquando hoc facere, saltem ex parte, propter hominum fragilitatem, ut cautiores fiant ob injunctam pœnitentiam.

PROPOSITIO III

279. — *Sacramentalis satisfactio consistere potest in omni virtutis actu, qui virtualiter reducitur ad eleemosynam, jejunium, aut orationem.*

Et quidem 1° *in omni virtutis actu,* Nam, in præsenti statu naturæ humanæ, omnis actus virtutis repugnat concupiscentiæ indesinenter ad malum allicienti, et ideo ex se laboriosus est seu pœnalis, et eo ipso satisfactorius. Ita communiter Theologi.

« *Quælibet oratio* habet rationem *satisfactionis,* quia, quamvis habeat suavitatem Spiritus, habet tamen afflictionem carnis, quia, ut dicit S. Gregorius, dum crescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur fortitudo carnis. » S. Th., Suppl. q. 15, a. 3, ad 1.

2° *Omnis* autem *actus virtutis et ideo satisfactionis virtualiter reducitur ad eleemosynam, jejunium aut orationem.* Etenim 1. per hæc tria complectuntur omnia bona quæ homo potest Deo offerre in satisfactionem, nimirum, bona externa per eleemosynam, bona corporis per jejunium, bona spiritus per orationem.

2. Satisfactio fit per pœnam seu privationem alicujus boni : atqui in illis tribus continetur omnis boni apparentis privatio, scilicet, per eleemosynam privatur quis bono utili corpori, per jejunium bono delectabili, per orationem apparenti bono acediæ et superbiæ.

3. Satisfactio fieri debet ut medicina in futurum præservans : atqui per illa tria in homine refrænantur tres capitales concupiscentiæ, scilicet, per eleemosynam concupiscentia oculorum, per jejunium concupiscentia carnis, per orationem superbia vitæ.

4. Tandem, homo peccando et seipsum lædit, et Deum offendit atque proximum : atqui per jejunium se castigat, per eleemosynam subvenit proximo, per orationem Deum honorat ; ergo in his tribus virtualiter continentur omnia satisfactionis opera.

280. — *Quæritur* autem 1° quid *eleemosynæ* nomine intelligatur?

Resp. Hoc nomine intelligi debent omnia misericordiæ opera sive *corporolia,* nempe, visitare infirmos aut in carcere detentos, potum sitientibus dare, cibum esurientibus, redimere captivos, vestire nudos, peregrinos hospitio suscipere, mortuos sepelire; sive *spiritualia*, scilicet, proximum ignorantem erudire, eidem in dubiis consilium dare, delinquentem corrigere, mœstum consolari, acceptam injuriam condonare, aliorum defectus patienter ferre, pro aliis orare. Vide Tract. *de Decalogo*, n. 183, 191.

281. — *Quæritur* 2° quid *jejunii* nomine intelligatur?

Resp. Hoc nomine intelliguntur omnes carnis macerationes, videlicet, 1, jejunium integrum juxta leges Ecclesiæ, vel partiale juxta vires physicas et morales pœnitentis : quæ pœnitentia raro imponenda est, et iis solum qui eam libenter accepturi sunt.

2. Abstinentia aliqua carnis aut alius cibi, a liquore inebriante, a vino, vel ejus multa aqua temperatus usus, tali die, tali tempore : quæ tamen abstinentia corporis sanitati, officiis aut laboribus pœnitentis nocere non debet.

3. Abstinentia aliqua a somno, a deliciis, a conviviis, ludo, venatione, equitatione, vestibus exquisitis, per aliquod tempus; a nimia curiositate in auditu, in visu, etc.

4. Humi cubationes, genuflexiones, brachiorum extensiones, aut alii situs corporis, præsertim si aliquandiu durent; flagellationes, cilicia, peregrinationes sanctæ ac religiosæ, oblatio Deo facta cum patienti animo ægritudinis, morbi, aut aliarum occurentium vitæ ærumnarum, etc.

282. — *Quæritur* 3° quid *orationis* nomine intelligatur?

Resp. Hoc nomine comprehenduntur 1. *vocales* orationes Pater, Ave, Credo, Psalmi, Litaniæ, Rosarium sive ejus pars tertia seu quinque decadæ; preces matutinæ et vespertinæ, Breviarium, etc.

2. *Mentales* orationes, v. g., aliqua cogitatio de inferno, de passione, de morte Christi per aliquod tempus; ac proinde actus fidei, spei, charitatis, religionis, contritionis, conformitatis voluntati divinæ, propositi non peccandi toties, puta, mane, vespere, præsertim in tentationibus vel animi dejectione; oblatio suiipsius Deo summo mane; orationes jaculatoriæ in Christum, in S. Cor Jesu, in B. Virginem, in Angelum custodem.

3. *Praxes*, quæ ad orationem sive vocalem, sive mentalem pertinent, uti signum crucis, visitatio Ecclesiarum vel altaris cujuslibet, ad aliqualem orationem ibi faciendam; exercitium Viæ Crucis, auditio prædicationis, Catechismi, lectiones piæ præsertim Evangelii et Imitationis Christi, assistentia Missæ solemni, Vesperis, processioni, pio exercitio mensis Mariani, S. Josephi; frequens Sacramentorum Pœnitentiæ et Eucharistiæ receptio, et alia pietatis opera sive erga Dominum Jesum Christum, sive erga B. Virginem et alios Sanctos.

283. — *Quæritur* 4° quomodo varia illa opera injungenda sint, ut sint *medicinalia?*

Resp. Generatim loquendo, contraria contrariis curantur; et ideo, attentis qualitate et bono majori pœnitentium, sic cum discretione imponi possunt variæ pœnitentiæ:

1. Raro et male orantibus, imponantur preces breves mane aut vespere, per hebdomadam circiter persolvendæ. — Tepidis, lectiones piæ, orationes jaculatoriæ aliquoties in die faciendæ, paucæ tamen et ad paucos dies. — Tentatis contra fidem et spem, actus Fidei, Spei, Fiduciæ, recitatio Symboli Apostolorum, etc.

2. Blasphemis, reverentia externa in Deum, in crucem. v. g., deosculari reverenter crucifixum, vel imagines sacras, etc.

3. Illis, qui sæpe Missam omittunt, aliqua Missa supererogatoria audienda, v. g., duplex die Dominica, aut una alia die, visitatio aliqua SS. Sacramenti pluries facienda, etc.

4. Servantibus odium, opera aliqua charitatis erga proxi-

mum, v. g., inimicum salutare, oratio et actus charitatis pro maximo in genere, et etiam specialiter pro inimicis; recitatio Orationis Dominicæ pro iisdem.

5. Superbis, officia quædam humilitatis, v. g., visitare pauperes, ipsis benigne subvenire, eos humaniter tractare, elicere varios actus humilitatis.

6. Libidinosis, aliqua mortificatio, aut commoditatum subtractio, præsertim fuga occasionum, oratio, sacramentorum frequentatio, firmi propositi frequens renovatio, novissimorum memoria.

7. Gulosis et ebriosis, subtractio aliqua ciborum, abstinentia a vino tali die, vel prohibitio ne in refectionibus talis vini quantitas excedatur, etc.

8. Avaris et furibus, eleemosyna aliqua juxta eorum facultates. Nunquam autem imponendæ sunt graves eleemosynæ, nisi libenter acceptentur, etc.; n. 359.

NUMERUS III

De satisfactionis Sacramentalis commutatione.

Duo hic inquiri possunt, scilicet, an pœnitentia commutari possit, et quænam sint hujusmodi commutationis conditiones. Itaque

PROPOSITIO

284. — *Sacramentalis pœnitentia jam imposita commutari potest a proprio Confessario, vel ab alio quolibet approbato, non autem a pœnitente.* Certum est.

1° *A proprio Confessario* seu ab eo, a quo imposita fuit pœnitentia. Legislator enim propriam legem mutare potest, ex dictis in Tract. *de Leg.*, n. 120.

2° Vel *a quolibet alio* ad confessiones audiendas approbato. Omnis enim Confessarius potest esse ejusdem causæ judex, si pœnitens ipsius tribunali se submittat, cum successor in eadem auctoritate possit quidquid potuit antecessor.

3° Non autem *a pœnitente* ne in melius quidem. Nam ad talem vel talem satisfactionem sacramentalem pœnitens præcepto superioris obligatur : atqui superioris præcep-

tum commutare nequit inferior. Insuper solus minister elevare potest pœnitentiam ad effectum ex opere operato, n. 89; ergo pœnitentia commutata a pœnitente non est sacramentalis.

285. — *Quæritur* quænam sint conditiones ad commutationem pœnitentiæ sacramentalis?

Resp. Conditiones illæ considerari possunt ex parte Confessarii, peccati remissi, motivi, et unionis inter absolutionem et novam satisfactionem.

1. Ex parte *Confessarii*, requiritur tum actus voluntatis positivus, quo prior obligatio de imposita pœnitentia revocetur; et ideo non fit hæc revocatio, si pœnitens nullam mentionem de præcedenti confessione et accepta pœnitentia faciat; tum sufficiens cognitio status pœnitentis, ut jam imposita satisfactio in aliam convenientem et medicinalem commutari possit.

Unde, juxta plures, si sit idem Confessarius et saltem confuse non recordetur status conscientiæ pœnitentis, requiritur nova et summaria confessio. A fortiori hanc summariam confessionem exigunt iidem auctores, si Confessarius sit alius. Ita Suarez, Vasquez, de Lugo, Collet, etc.

Alii vero non necessariam habent illam confessionem, tum quia non agitur de ferendo judicio circa culpas deletas in confessione præcedenti, sed tantum de pœnitentia commutanda ob pœnitentis impotentiam ad illius impletionem; tum quia Confessarius sive proprius, sive alius bene potest absque pœnitentis confessione præbere convenientem medicinam peccatis jam declaratis, vel imponendo pœnitentiam æquivalentem, vel pœnitentiam datam minuendo juxta pœnitentiam æquivalentem, vel pœnitentiam datam minuendo juxta pœnitentis dispositionem. Ita S. Ligor., Sporer., Layman, etc.

Cæterum, juxta omnes, alius Confessarius *extra confessionem* mutare nequit pœnitentiam etiam injustam a primo impositam, quia Confessarius nullam habet potestatem, nisi in judicio sacramentali.

2. Ex parte *peccati remissi*, requiritur æqualis jurisdictio,

ita ut alius Confessarius non possit commutare pœnitentiam ab ipso Superiore pro casibus reservatis impositam, nisi causa gravis urgeat, aut consensus superioris præsumi possit. Nam pœnitentia sacramentalis conjuncta est absolutioni ut accessorium principali, et ex eadem jurisdictione manat; ergo ille solus potest, satisfactionem imponere, qui absolvere potest. Ita communiter, contra quosdam.

3. Ex parte *motivi*, requiritur causa justa, cum potestas illa sit in honorem Dei, et præsertim ad animarum emendationem concessa et exercenda. Justa est autem causa necessitas, utilitas notabilis, gravis in exsecutione prioris pœnitentiæ difficultas, periculum transgressionis vel ex conditione pœnitentis, vel ex ipsa ejus infirmitate ortum, excessus evidens prioris pœnitentiæ. Unde potest aliquando mutari pœnitentia, licet id non postulet pœnitens, cum alia multo plus profutura judicatur.

4. Ex parte *unionis inter absolutionem* et *novam pœnitentiam*, requiritur quod non sit longius intervallum. Impositio enim aut commutatio pœnitentiæ ad idem judicium pertinet, et ideo moraliter uniri debent.

Porro, si agatur de Confessario diverso, hic non potest commutare pœnitentiam extra confessionem, ex jam dictis, et ideo in hoc casu non datur intervallum.

Si vero quæstio sit de commutatione pœnitentiæ ab eo, qui primum eam imposuit, non consentiunt auctores circa intervallum, intra quod permanet unio requisita extra confessionem. Alii per octo, alii per tres dies, alii per unum diem duntaxat, alii per unam aut dimidiam horam perdurare opinantur. Juxta communiorem sententiam, quam tenent Suarez, Salmant., Sylvius, S. Ligor., n. 529, Collet, etc., commutatio extra confessionem fieri potest tantum statim post absolutionem, antequam pœnitens discedat; quia tunc solum videtur moraliter perseverare idem judicium. Sed procul dubio idem Confessarius potest commutare pœnitentiam in subsequenti confessione, etiamsi hæc a præcedenti longo intervallo distet; quia tunc commutatio fit per novum judicium.

286. — Dubium est etiam utrum pœnitens, facta commutatione, adhuc possit, si velit, priori stare pœnitentiæ. Negant alii. eo quod sententia legitime revocata nullius jam roboris esse videatur. Affirmant alii, quia commutatio sub hac tacita conditione fit : *nisi pœnitens velit ad priorem reverti*. Ut in hoc casu cuilibet dubio præcludatur aditus, satius erit plenam facere libertatem, quod maluerit pœnitens, amplectendi.

§ III

De obligatione adimplendi pœnitentiam sacramentalem, et de hujus impletionis conditionibus.

PROPOSITIO

287. — *Pœnitens tenetur acceptare et adimplere rationabilem pœnitentiam sacramentaliter injunctam.* Certum est.

Constat 1° *Traditione*. Etenim Conc. Lateran. IV decrevit : « Omnis utriusque sexus fidelis omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, et *injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere :* » porro, juxta omnes, in verbo *confiteatur* continetur præceptum, n. 259 ; ergo et in verbo *studeat*.

2° *Ration. theol.* 1. Satisfactio est pars integralis Sacramenti, n. 83 : atqui pœnitens, cum ad Sacramentum concurrat, et effectum ejus procurare teneatur, debet et integritatem sacramenti servare, et ideo Sacramentalem satisfactionem adimplere.

2. Sacerdos tenetur satisfactionem imponere pœnitenti, ex dictis, n. 272 ; ergo hic tenetur eam acceptare et adimplere, tum quia alias valde inefficax esset potestas Sacerdotis vindicativa, tum quia unusquisque tenetur parere judici recte imperanti.

Equidem ante institutionem Sacramenti Pœnitentiæ, non erat præceptum satisfaciendi in hac vita pro pœna temporali, n. 48 : at, semel instituto hoc Sacramento, Sacerdoti incumbit satisfactionem imponere, et ideo pœnitenti eamdem adimplere.

288. — Hinc 1° non tenetur pœnitens satisfactionem adimplere, quando *invalida* fuit confessio.

Nam, in hoc casu, judicis sententia sacramentalis nulla fuit, nec proinde adest sacramentum integrandum. Idem dicendum est de pœnitentia sine absolutione imposita, ob eamdem rationem. Ita communiter.

Contrarium autem verum est, 1. si pœnitentià sit medicinalis, atque ideo necessaria ratione medicinæ; 2. si pœnitens ad eamdem confessionem perficiendam plures accedat, et Confessarius pœnitentiam, singulis vicibus, imponat, ex hac intentione ut minor ultima vice imponenda sit, quemadmodum ordinarie fieri solet.

289. — Hinc 2° pœnitens, cui difficilior injungitur pœnitentia, Confessarium monere debet de impossibilitate aut nimia difficultate eam adimplendi; et, si Confessarius non acquiescat, alium adire potest. Si autem pœnitentia non appareat nimis gravis, pœnitens eam acceptare tenetur, nec potest recedere sine aliqua culpa.

290. — Hinc 3° *sub gravi* tenetur pœnitens adimplere pœnitentiam, si hæc sit in se gravis et pro mortalibus peccatis, n. 273, 277. Materia enim in se gravis, per se obligat sub gravi, juxta omnes. Idem dicendum est de parte pœnitentiæ in se gravi, vel notabili præ integra pœnitentia.

Sub levi vero, saltem probabilius, obligatur pœnitens ad pœnitentiam levem pro *levibus culpis*, vel pro *mortalibus* in alia confessione jam *declaratis et remissis;* vel etiam ad pœnitentiam *in se gravem,* sed *pro venialibus* tantum impositam.

Namque, si pœnitentia sit in se levis, eo ipso probabilius levis est etiam materia obligationis; si vero gravis sit pro venialibus peccatis, Confessarius excedit potestatem, imponendo talem satisfactionem, aut eam non imponit sub gravi. Ita Suarez, Layman et alii, contra plures, n. 273. Ex his controversiis patet male sibi consulere, qui levem etiam satisfactionem non exsequitur.

Præterea, Confessarius pro gravibus peccatis imponere potest pœnitentiam in se gravem, sed leviter obligantem. Ad gravem enim obligationem legis humanæ requiritur quod legislator possit et velit sub gravi obligare, ex dictis in Tract. *de Legib.*, n. 52.

Idem dicendum est de omissione circumstantiæ in pœnitentia imposita. Ad judicandum autem de omissionis gravitate, attendendum est an materia, vel circumstantia omissa, multum aut parum ad præcepti finem conferat, an ideo ex se vel respective ad pœnitentem, gravem aut levem molestiam afferat. Sic, præcepti substantiam implet, nec peccat nisi venialiter ille, cui injunctum est ut Rosarium, genibus flexis, vel ante imaginem B. Virginis, vel stans, vel in cubiculo recitet, si, omissis hujusmodi circumstantiis, Rosarium equidem ipsum recitet; aliud foret, si jussus esset, v. g., expansis brachiis orare; notabilis enim hæc esse posset mortificatio, cujus omissio foret gravis.

291. — *Quæritur* 1° quænam sint conditiones requisitæ in pœnitente ad satisfactionis sacramentalis adimpletionem?

Resp. Duplex esse potest hujusmodi conditio, scilicet, status gratiæ sanctificantis in satisfaciente, et tempus præscriptum.

1. Quoad *gratiæ statum*, quidam negant satisfacere pœnitentem, qui pœnitentiam implet in mortali, quia tunc ille partem sacramenti indigne recipit, ex statim dicendis, et ideo eodem actu satisfacere nequit.

Alii sentiunt peccatorem satisfacere, modo actualem affectum non habeat ad peccatum mortale. Ita Collet, Antoine.

Alii demum satisfacere simpliciter affirmant, tum quia opus, de quo agitur, est ex se bonum; tum quia Confessarius præcipit tantum opus, et non ejus modum. Ita, communius et probabilius auctores, inter quos Suarez, Cajet., Salmant., Soto, Vasquez, de Lugo, S. Ligor., n. 522.

At, probabilius talis pœnitentia nullum habet effectum quoad remissionem pœnæ, saltem quandiu pœnitens re-

manet in statu peccati mortalis. Nam, ex Conc. Trid., n. 8, 22, 23, « nostra satisfactio est per Christum, *in quo vivimus*, meremur et *satisfacimus*; » et ideo ad effectum illius satisfactionis requiritur in satisfaciente vita spiritualis.

Revera homo, dum in mortali jacet, est Dei inimicus et dignus pœnæ æternæ; ergo repugnat quod simul ei ex dilectione Dei condonetur pœna temporalis.

Hinc, juxta plures, venialiter peccat, qui sacramentalem pœnitentiam implet in statu mortalis peccati, quia partem sacramenti indigne recipit, et ponit effectui sacramentali obicem. An vero peccet etiam graviter, communiter negant Theologi. Imo nequidem venialiter peccat, juxta de Lugo et alios plures, quia nulla est culpa solius pœnæ remissioni obicem ponere.

Recedente autem obice per status gratiæ recuperationem, pœnitentia jam in statu peccati mortalis adimpleta, suum sortitur effectum, juxta Cajet., Petrum Soto, Suarez, contra multos. Illa enim satisfactio cum sit opus sacramentale et applicatio satisfactionis Christi, semper est opus ex se vivum, etsi quodammodo mortificatum ob obicem peccati mortalis, et ideo, remoto obice, jam reviviscit, et incipit suum habere effectum.

2° Quoad *tempus*, pœnitens debet satisfactionem tempore assignato a Confessario, vel quamprimum fieri potest, adimplere, ut requirunt rationabilis intentio Confessarii, integritas Sacramenti, ratio medicinæ et justæ sententiæ, quæ secum affert adjunctam exsecutionem. Si autem pœnitentia statuto tempore impleta non fuerit, remanet onus eam peragendi, quia tempus accessorie tantum intenditur.

Hinc, si pœnitentia sit levis, dilatio quantacunque non erit gravis, cum ipsa pœnitentiæ omissio probabilius esset levis, n. 290.

Si vero pœnitentia sit gravis et pro gravibus peccatis imposita, probabilius gravis reputanda est dilatio duorum vel trium mensium, quando medicinalis est, aut adest oblivionis periculum. Cæterum nulla regula generalis circa hoc determinari potest; sed res moraliter intelligenda est, juxta judicium prudentis Confessarii.

Tandem, si pœnitens injunctæ satisfactionis oblitus fuerit, non tenetur confessionem repetere, ut aliam pœnitentiam recipiat; quia impletio illius pœnitentiæ per oblivionem etiam culpabilem impossibilis effecta est : ad impossibile autem nemo tenetur.

292. — *Quæritur* 2° an pœnitens satisfacere possit *per alterum?*

Resp. Non potest, nisi de consensu Confessarii : cum enim satisfactio sit pars integralis Sacramenti, ab ipso pœnitente ponenda est. Constat etiam ex hac propositione ab Alex. VII damnata : « Pœnitens *propria auctoritate* substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat. »

APPENDIX

DE REMISSIONE PECCATI VENIALIS

293. — In præcedentibus capitibus dictum est 1. venialia peccata esse sufficientem materiam Sacramenti Pœnitentiæ, n. 70; 2. contritionem mortalium non virtualiter continere venialium detestationem, n. 170; 3. nec contritionem unius venialis per se implicare aliorum venialium dolorem, n. 171; contritionem autem venialium virtualiter continere detestationem mortalium, n. 172.

Quædam insuper tradenda supersunt de gratia et de actu peccatoris ad remissionem venialium necessariis, quæ in hac Appendice breviter exponere utile duximus.

ARTICULUS PRIMUS

De gratia actuali aut habituali ad Venialium peccatorum remissionem necessaria.

PROPOSITIO PRIMA

294. — *Sine gratia actuali, id est, per actum solis naturæ viribus elicitum, non potest remitti peccatum veniale.* Certum est.

Constat. 1° *Script.* Dicitur enim : *Sanguis Jesu Christi*

emundat nos ab omni peccato; I Joan. 1, ℣ 7; ergo sine gratia per Christum promerita non remittitur veniale peccatum. Insuper Justi quotidie per orationem Dominicam petunt a Deo remissionem suorum peccatorum, venialium scilicet, cum sint justi; et ideo in ipsis justificatis venialium remissio est auxilii gratiæ effectus.

2° *Traditione.* Ex Conc. Arausic. II, can. 14, « nullus miser de *quacunque miseria* liberatur, nisi *Dei misericordia prævenialur.* » Sed etiam Conc. Trid., sess. 6, c. 11, declarat *justos* postulare a Deo venialium remissionem per hæc verba orationis Dominicæ : *Dimitte nobis debita nostra;* vide Tract. *de Gratia,* n. 17. « Remissio culpæ *cujuscunque nunquam fit nisi per virtutem gratiæ,* quia, ut Apostolus dicit, Rom. 4, ad gratiam Dei pertinet, quod Deus alicui non imputet peccatum. » S. Th., 3 p., q. 87, a. 4.

3° *Ration. theol.* Nihil quod ad pietatem et vitam æternam conferat, potest obtineri sine beneficio gratiæ, ex dictis in Tract. *de Gratia,* n. 271 : atqui venialis peccati remissio multum confert ad pietatem et vitam æternam; siquidem veniale peccatum est inordinatio circa media ad finem supernaturalem, atque affectum hominis retardat ne prompte in Deum feratur, et privat fervore charitatis; S. Th., 3 p., q. 87, a. 1; ergo sine auxilio gratiæ in statu præsenti non remittitur peccatum veniale.

Quare, juxta Suarez, *de Incarn.,* disp. 4, sect. 11, sententia eorum, qui per vires naturæ hominem posse satisfacere pro veniali peccato et illud a se expellere, affirmant, est omnino falsa et Pelagii errorem sapit.

PROPOSITIO II

295. — *Remissio peccati venialis per se non requirit infusionem gratiæ habitualis, et tamen nunquam fit sine illius gratiæ infusione vel augmento, aut augmenti merito.* Certum est.

Et quidem 1° *per se non requirit infusionem gratiæ habitualis.* Etenim unumquodque tollitur per oppositum : atqui veniale peccatum non opponitur gratiæ habituali, quam per se nec minuit, nec a fortiori tollit, sed solum charitatis

fervori oppositum est; ergo, ut expellatur veniale peccatum, non requiritur gratiæ habitualis infusio, sed sufficit auxilium gratiæ, quo fervor charitatis promoveatur.

Et revera, in corpore contingit esse maculam dupliciter, nempe, vel per privationem ejus quod requiritur ad decorem, puta, debiti coloris, debitæ proportionis membrorum; vel per superinductionem alicujus impedientis decorem, v. g., luti aut pulveris : porro similiter in anima inducitur macula vel per privationem decoris gratiæ ex peccato mortali, vel per inclinationem affectus ad aliquid temporale, per quam impeditur anima, ne prompte feratur in Deum, sicque ne exterius elucescat; et hoc fit per peccatum veniale; ergo, ad tollendam maculam peccati mortalis, requiritur infusio gratiæ habitualis; ad tollendum autem veniale peccatum per se sufficit actus procedens ex gratia, per quam removeatur inordinata adhæsio ad rem temporalem. S. Th. 3 p., q. 87, a. 2, ad 3.

2° *Et tamen nunquam fit sine infusione gratiæ habitualis, vel ejus augmento aut augmenti merito.* Namque veniale peccatum remittitur vel simul cum peccato mortali, vel per se solum.

Si *prius*, non tollitur sine remissione culpæ mortalis, ac proinde sine gratiæ sanctificantis infusione, ex dictis, n. 172.

Quæ autem gratiæ habitualis infusio quoad peccatum veniale, duplici modo concipi potest : scilicet, vel, posita necessaria contritione de mortali simul et veniali, gratiæ habitualis infusio utrumque peccatum sine ullo ordine inter se expellit, sicque illa gratia est causa peccati venialis haud secus ac mortalis remissiva; vel, posita illa contritione, prius infunditur gratia sanctificans, et statim expellitur mortale peccatum, atque homo Dei amicus constituitur; deinde vero, per eumdem contritionis actum jam gratia habituali informatum, et ideo ex condigno satisfactorium, tollitur peccatum veniale; ita ut causa proxima istius remissionis sit contritionis actus; causa autem remota et mediata sit gratia sanctificans, sine qua illa contritio vi peccati venialis ex condigno expulsiva careret.

Hic posterior modus convenientior est, tum ex parte ip-

sarum rerum, quia prius natura constituitur divina amicitia et charitas, quam tollatur amicitiæ macula et tepor charitatis seu habituale peccatum veniale; tum ex parte Dei, qui, ut perfectiori providentia omnia conferat, id tantum gratis dimittit, quod homo mereri non potest.

Si *posterius*, id est, si remittatur peccatum veniale per se solum, hoc non fit nisi in homine justo, ex dictis n. 172, et ideo hæc remissio antecedenter supponit gratiam habitualem : porro homo justus, quoties ita operatur, ut remissionem peccati venialis consequatur, elicit actum bonum et supernaturalem, n. 294, et ideo non solum venialis remissivum, sed etiam augmenti gratiæ sanctificantis meritorium. Ergo nunquam remittitur peccatum veniale sine gratiæ habitualis infusione, vel augmento, aut saltem augmenti merito; vide Tract. *de Gratia*, n. 346.

296. — Imo contrarium etiam aliquo sensu verum est, id est, quandocunque de novo gratia habitualis infunditur, aliquod remittitur veniale peccatum.

Etenim homo justus et adultus non accipit novam gratiæ infusionem sine actuali motu liberi arbitrii in Deum, et ideo sine actuali aut saltem virtuali displicentia peccatorum venialium, quæ sunt præfato motui in Deum contraria; ergo, in adulto justificato quandocunque de novo infunditur gratia habitualis, aliquod remittitur veniale peccatum. S. Th. 3 p., 87 a. 2.

ARTICULUS II

De actu pœnitentis ad remissionem Venialis peccati necessario.

Quæstio moveri potest de venialis peccati remissione ex opere operantis, vel ex opere operato seu vi alicujus Sacramenti. Unde

NUMERUS PRIMUS

De actu pœnitentis necessario ad Venialis peccati remissionem ex opere operantis.

Inquirendum habemus an, et quænam contritio sit necessaria in homine sive peccatore, sive justificato ad hujusmodi remissionem venialis peccati sine sacramento.

297. — I. Ad peccati *venialis* remissionem *ex opere operantis requiritur* et *sufficit aliqua contritio virtualis.*

Et quidem *requiritur*. Peccatum enim remitti non potest, nisi voluntas ab eo aversetur : atqui non aversatur a peccato nisi per aliquam displicentiam saltem virtualem; ergo hæc displicentia ad venialis peccati remissionem requiritur. « Nequaquam putes, ait S. August., *Epist.* 48, ab errore ad veritatem, vel a *quocunque sive* magno, sive *parvo* peccato ad correctionem sine pœnitentia transire. »

Sufficit autem, seu non requiritur *formalis* contritio, ut quidam asserunt. Nam virtualis contritio sufficit ad peccati mortalis remissionem ex opere operantis, n. 176; ergo a fortiori ad venialis ex opere operantis remissionem sufficit. S, Th. 3 p.; q. 87, a. 1.

298. — Hinc 1. actus amoris divini super omnia remittit illa tantum venialia, cum quibus virtualem habet oppositionem. Ex dictis enim, n. 171, unum veniale remitti potest sine aliis.

299. — Hinc 2. virtualis adest de *omnibus* venialibus detestatio ex amore Dei, quando quis ita secundum affectum fertur in Deum et in res divinas, ut, quidquid sibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, et doleret se commisisse, etiam si actualiter de illo non cogitaret. S. Th., *ibid.*

Imo probabile est talem virtualem displicentiam de omnibus venialibus adesse, quoties fervens est actus divini amoris : qui enim hoc modo fertur in Deum, regulariter loquendo, non limitat intentionem suam ad mortalia peccata, sed absolute extendit eam ad omnem offensionem. Suarez, disput. 11, sect. 3.

300. — II. *Veniale peccatum conjunctim cum mortali* non potest ex opere operantis remitti, nisi per actum *contritionis perfectæ,* sive formalis, sive virtualis.

Namque talis contritio requiritur ad mortalis peccati remissionem ex opere operantis, ex dictis n. 176 : atqui

veniale peccatum remitti nequit, quin tollatur mortale concomitans, n. 172; ergo veniale peccatum conjunctim cum mortali non potest ex opere operantis remitti nisi per actum contritionis perfectæ sive formalis, sive virtualis.

301. — III. Ad peccati venialis remissionem ex opere operantis *in homine justo, sufficit supernaturalis attritio*. Ita Scotus, S. Bonavent., Suarez, contra plures.

Etenim 1. culpa, de qua agitur, levis est, et haud raro imperfecte voluntaria; ergo, ut tollatur, non adeo perfecta requiritur contritio, ac pro mortali peccato.

2. Ille attritionis actus in se supernaturalis est, et inordinationi venialis peccati vere oppositus, atque magnum valorem trahit ex gratia habituali, qua dignificatur persona illum eliciens; ergo ex omni parte non minus proportionatus videtur ad venialis remissionem, quam ad mortalis condonationem perfecta contritio.

3. Actus contritionis perfectæ ab homine justo elicitus majoris est valoris, ac contritio perfecta peccatoris : porro durissimum videtur ad venialis culpæ remissionem requiri non solum æqualem, sed etiam majorem dispositionem ac pro mortalis culpæ remotione; ergo sufficit attritio.

Etsi autem in homine justo veniale peccatum tollatur per attritionem, nihilominus potest esse materia absolutionis, sicut dictum est de mortalibus jam per contritionem perfectam remissis, n. 73; et tunc vi absolutionis confertur augmentum gratiæ ex se peccati remissivæ, et etiam remittitur ex parte vel ex toto pœna venialibus debita, si supersit.

302. — Hinc 1., juxta illam sententiam, actus orationis, quo justus veniam petit de venialibus, aut actus virtutis cujuscunque aliquo modo repugnans culpæ veniali, aut detestatio venialis ex peccati turpitudine supernaturali, aut ex motivo spei elicita, sufficiunt ad venialis remissionem. Tales enim actus sunt attritio virtualis aut etiam formalis, n. 144.

303. — Hinc 2., juxta Scotum et Suarez, probabile est quemlibet actum meritorium ob operante justificato relatum ad venialis culpæ remissionem obtinendam, eam mereri et obtinere, eo quod includat virtualem illius peccati displicentiam, et aliunde sit apud Deum de condigno meritorium.

Attamen dici nequit actum cujuscunque virtutis sufficere ad tollendum veniale omnino disparatum, et cui nequidem virtualiter repugnat ille virtutis actus; tunc enim hujusmodi actus non includeret voluntatem peccato veniali saltem virtualiter contrariam, n. 297.

304. — *Quæritur* 1° quomodo remittatur veniale peccatum, quod in anima *justi* remanet post *separationem a corpore?*

Resp. Non consentiunt auctores circa modum illius remissionis, quæ omnino necessaria est ante visionem intuitivam : *Non intrabit in eam* (civitatem Dei) *aliquod coinquinatum;* Apoc. 21, ℣ 27. Juxta probabiliorem sententiam anima justi, primo instanti separationis a corpore, ferventem elicit actum dilectionis divinæ, et perfectam contritionem omnium culparum præcedentium, atque ideo statim tolluntur omnia venialia quoad culpam. Ita S. Th. *de Malo,* q. 7, a. 11; Suarez, *de Virt. Pœnit.* disp. 11, sec. 4.

Talis autem actus ad venialis remissionem concurrit per modum dispositionis sufficientis, non vero meriti, quia status merendi cum vita finitur, ex dictis in Tract. *de Gratia,* n. 341.

Eadem ratione, vi illius dilectionis et contritionis, nulla remittitur pœna venialibus debita. Deus enim statuit tempus hujus vitæ futuræ ad fruendum, vel ad satispatiendum.

305. — *Quæritur* 2° an peccatum veniale in hac vita non remissum, nunquam remittatur, sed in æternum puniatur in eo, qui *cum mortali defunctus est?*

Resp. affirmative. Etenim ex dictis, n. 294, 295, ad remissionis venialis peccati duo requiruntur, nempe, gratia habitualis antecedens vel saltem concomitans, et actus con-

tritionis aut attritionis ex gratia actuali elicitus : porro nunquam ulla gratia infundetur in eo, qui cum mortali moritur; ergo nec ei unquam remittetur veniale peccatum. Durante autem culpa, eo ipso durat pœnæ debitum; ergo venialis peccati pœna simul cum culpa in inferno erit perpetua.

Imo, si in hac vita veniale peccatum remissum fuerit quoad culpam, non vero quoad reatum pœnæ, solvi ac finiri nequit in inferno quoad illum pœnæ reatum; quia reatus pœnæ etiam temporalis apud Deum nunquam tollitur nisi per pœnam voluntariam et amicabilem. Ita S. Th., Suarez., disp. 11, sect. 2, et alii, contra plures.

NUMERUS II

De actu pœnitentis necessario ad venialis peccati remissionem ex opere operato.

306. — *Quæritur* 1° quisnam pœnitentis actus requiratur ad remissionem peccati venialis per Sacramentum Pœnitentiæ?

Resp. 1. Si venialia sint cum mortalibus conjuncta, requiritur et sufficit attritio de venialibus; et tunc confertur ex opere operato gratia illorum venialium mediate saltem remissiva, cum per se in illo casu attritio extra Sacramentum non sufficiat ad venialium remissionem, n. 295.

2. Si autem homo sit justus, et attritus tantum de venialibus, attritio *formalis* requiritur, ut hæc venialia ex opere operato remittantur, vel saltem ut concedatur ex opere operato gratia per se illorum venialium remissiva, n. 182, 301.

Attamen, juxta eos, qui sentiunt attritionem in homine justo per se venialia tollere, sufficit quod homo justus, non ponat obicem Sacramento Pœnitentiæ, et ideo quod accedat sine actuali complacentia venialis peccati, et cum voluntate ac desiderio recipiendi illud Sacramentum et effectum ejus. Hæc enim voluntas est quædam retractatio venialis peccati, quatenus homo hoc subjicit potestati clavium et ejusdem medicinam vult assumere. Suarez, disput. 12, sect. 2.

Unde, in hac sententia, per Sacramentum pœnitentiæ remittuntur etiam venialia in confessione involuntarie omissa, modo non adsit horum complacentia formalis aut virtualis. Nam, quantum in se est, tunc homo justus omnia illa subjicit clavibus, nec ponit obicem gratiæ sacramentali; et ideo virtute clavium tolluntur.

307. — *Quæritur* 2° quænam dispositio requiratur, ut venialia ex opere operato remittantur per Sacramenta a Pœnitentia distincta?

Resp. 1. Certum est Baptismum ex opere operato remittere venialia cum originali aut actualibus mortalibus conjuncta; et ad hoc probabilius sufficit, quod non adsit voluntas resistens, seu actu actuali aut virtuali adhærens veniali peccato. S. Th. 3 p., q. 87, a. 1, ad 2.

2. Probabile est Extremam Unctionem semper omnia venialia remittere, si sint aliquo modo retractata, n. 306. Hoc enim Sacramentum copiosum habet effectum, atque est extremum remedium ad hunc finem collatum; Tract. *de Extrema Unct.*

3. Eucharistia dat ex opere operato gratiam actualem ad excitandum fervorem, quo justus venialis remissionem consequitur; Tract. *de Euchar.*, n. 81, 89.

Eumdem effectum producit sacrificium Missæ, sed per modum *impetrationis* tantum, ex ibid. dictis, n. 197, 200.

4. Tandem dubium est an alia Sacramenta specialem virtutem habeant ad venialium remissionem, quamvis sententia affirmans sit verisimilior.

Sed etiam probabile est unumquodque Sacramentum esse magis institutum ad tollenda quædam venialia, quam alia, et illa prius remittere, et deinde ea quæ propinquiora sunt; sic, in hac sententia, Eucharistia specialius ordinatur contra veniales culpas repugnantes charitati Dei; Confirmatio, contra eas quæ repugnant fidei; Ordo, contra eas quæ opponuntur religioni; Matrimonium contra eas quæ repugnant castitati; et sic de aliis.

Quomodo Sacramentalia remittant peccata venialia, jam dictum est in Tract. *de Sacram. in genere*, n. 160.

CAPUT IV

DE MINISTRO SACRAMENTI PŒNITENTIÆ

Inquirendum est 1° de potestate, 2° de officio ministri Pœnitentiæ.

ARTICULUS PRIMUS

De potestate requisita ad validam Sacramenti Pœnitentiæ collationem.

Tria requiruntur in Ministro, ut valide absolutionem sacramentalem conferat, scilicet, potestas ordinis, jurisdictio, approbatio.

§ I

De potestate Ordinis ad validam Sacramenti Pœnitentiæ collationem requisita.

308. — Protestantes, cum asserant nullum esse Sacerdotium a Christo institutum, omniaque Sacramenta esse tantum quædam signa externa adhibita ad excitandam fidem, consequenter existimant quemlibet, etiam mulierem, posse Sacramentum Pœnitentiæ ministrare. Morinus vero, *de Pœnit.* lib. 8, c. 23, censet hanc facultatem olim fuisse concessam diaconis. Contra quos omnes sit

PROPOSITIO

309. — *Soli Sacerdotes possunt esse Ministri Sacramenti Pœnitentiæ.* De fide est.

Prob. 1° *Script. Quorum remiseritis peccata,* etc. : atqui hæc verba dicta sunt solis Apostolis et eorum successoribus in Sacerdotio, ut infertur ex contextu, et præsertim ex traditione et praxi Ecclesiæ, statim referendis; ergo, etc.

2° *Traditione* et *praxi constanti* Ecclesiæ. Nam SS. Patres, Ritualia omnia Latina, et Græca Euchologia, praxis constans et universalis Ecclesiæ solis Sacerdotibus potestatem conferendi sacramentalem absolutionem tribuunt; et ideo, jure divino, talis potestas solis Sacerdotibus competit.

« Jus hoc *solis Sacerdotibus* permissum est; » S. Ambr., *de Pœnit.* lib. 1, c. 2. — « Sic divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut *indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacerdotum* nequeat obtineri; » S. Leo, *Epis.* 91. — S. Chrysost., *de Sacerd.* lib. 3, ait Sacerdotes evangelicos habere potestatem, quam neque *Angeli*, neque *Archangeli*, neque *terreni Principes* habent, quia ad hos omnes dictum non est: *Quodcunque solveritis*, etc.; unde concludit, Christianos omnes persuasos esse debere, quod Sacerdotum curationibus se submittere necesse sit.

Idem definitum est a Conc. Constantiensi contra Wiclefistas, a Conc. Flor. et Trid., quod sic loquitur, n. 19.: « Si quis dixerit, *non solos* Sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum : *Quæcunque ligaveritis*, etc., *quorum remiseritis*, etc., quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem duntaxat, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem : anathema sit. »

3° *Ration, theol. et congruent.* 1. Ex una parte, Sacerdotes habent potestatem consecrandi et dispensandi corpus Christi, ex dictis in Tract. *de Euchar.* et *de Ordine :* atqui illa potestas manca et partim inefficax maneret, nisi etiam comprehenderet potestatem efficiendi homines aptos, ut rite intersint sacrificio, et digne Eucharistiam recipiant, *per purgationem a peccato;* ergo, qui potest consecrare corpus Christi seu Sacerdos, consequenter potest remittere peccata. Quare omni Sacerdoti in sua ordinatione dicitur : *Accipe Spiritum Sanctum; quorum remiseris peccata.* etc.

Ex altera parte, sicut corpus Christi mysticum seu fidelium cum naturali Christi corpore strictissime connectitur et ab eo pendet, ita potestas circa corpus mysticum pendere debet a potestate circa corpus Christi naturale, uti accessorium a principali; ergo potestas absolvendi fideles a peccato iis solis competit, qui potestatem habent naturale Christi corpus consecrandi, et ideo solis Sacerdotibus.

2. Sacramentum Pœnitentiæ, ex una parte, est judicium gravissimum atque sacrum; ergo non debuit cuilibet de

populo committi, sed judicibus prælectis et consecratis. Ex altera vero, illud Sacramentum est magnæ necessitatis, frequenter et omnibus adultis conferendum; ergo non debuit ministrari a solis Episcopis, sed etiam a Sacerdotibus.

310. — Hinc potestas absolvendi a peccatis *radicatur* et *fundatur* in *charactere Sacerdotali*, sicut complementum quoddam, atque est effectus *secundarius* ordinationis sacerdotalis, ut fusius dicitur in Tract. *de Ordine*. Suarez, *de Legib.* lib. 4, c. 4, n. 9.

Nec sane nimis miranda est hujusmodi præcellens potestas, qua nulla in terris præstantior dignitas, nullum sublimius ministerium, nullus eminentior gradus. *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* clamabant Judæi, Luc, 7, ℣ 49. Et iterum : *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Luc, 5, ℣ 21. Et en tantum illud *ministerium reconciliationis* datum est Sacerdoti, II Cor. 5, ℣ 18, qui, personam ipsius Christi gerens, tribunal erigit, atque ex propria potestate, licet divinitus accepta, sententiam pronuntiat, qua vere et proprie peccata dimittit! « O quam magnam continet in se profunditatem formidabile et admirabile Sacerdotium! » S. Chrysost. *de Sacerdot.*; vide Tract. *de Ordine*.

311. — *Obj.* 1° Ex Scriptura, cuilibet sacramentaliter confiteri possumus peccata nostra; dicitur enim :*Confitemini alterutrum peccata vestra;* Jacob. 5, ℣ 16; ergo quilibet potest esse minister Pœnitentiæ.

Resp. Nego ant. et textus allati interpretationem. Etenim, dato, quod negant aliqui cum Scoto, Apostolum de confessione sacramentali, non autem de confessione humilitatis disserere, sensus ejus est non uni Deo confitendum, sed etiam hominibus, iis nempe qui ad hoc potestatem habent et idonei sunt. Sic, cum S. Paulus, Eph. 5, ℣ 2, vult ut fideles *subjecti* sint *invicem*, et S. Petrus, I Epist. 4, ℣ 9, *invicem hospitales*, neuter jubet omnes esse subjectos, sed inferiores superioribus, nec omnes, etiam egenos, hospitalitatem exercere, sed divites aut qui domos habent. Ideo similiter *confitemini alterutrum*, hoc est, « homines hominibus, oves Pastoribus, sub-

jecti Prælatis, laici Sacerdotibus, ii qui habent peccata, iis qui peccata dimittendi potestatem habent. » Hugo a S. Vict., *de Sacram.*

312. — *Inst.* Pœnitentia est Sacramentum necessitatis sicut Baptismus : atqui homo quilibet potest conferre Baptismum; ergo et Pœnitentiam.

Resp. Nego major. Baptismus enim majoris est necessitatis ac Pœnitentia, siquidem absolutio respicit solos adultos, in quibus semper suppleri potest per contritionem perfectam; Baptismus autem respicit etiam parvulos, in quibus nullo modo potest suppleri.

Insuper, Pœnitentia administratur per modum judicii, ad quod requiritur jurisdictio, ut statim dicetur; in collatione autem Baptismi nullum profertur judicium, nec ulla requiritur jurisdictio; ergo collatio absolutionis sacramentalis non ab iisdem omnibus fieri potest, ac Baptismi collatio.

313. — *Obj.* 2° S. Cyprianus, *Epist.* 3, permittit Diaconis, ut pœnitentes in mortis articulo absolvant, si Presbyter non occurat; ergo, etc.

Resp. Dist. ant. Excipiebant Diaconi exomologesim cæremonialem, et conciliabant pœnitentes in foro externo; *conc.*; sacramentalem et in foro pœnitentiali, *neg.* Ita ipse *Morinus* in *Recognitione sui operis de Pœnitentia :* « Quæ de absolutione a Diaconis, atque etiam a laicis data, plurimis testimoniis historice referuntur, c. 23 et 24 libri 8, expressissime moneo, initio c. 23 et in fine 25, ubi historia rei refertur, ista non esse intelligenda, nec posse intelligi de absolutione *sacramentali*... Itaque non potest aliud esse absolutio illa quam *cæremonia*, sive sacramentale aliquod a quibusdam Ecclesiis, in *absentia veri* sacramenti... quo morientis aut gravissime periclitantis excitabatur dispositio et incalescebat, atque a Deo, precibus Ecclesiæ, sacramenli effectum pœnitens promerebatur. »

Idem dicendum est de confessionibus quæ alicubi abbatissis fiebant, juxta morem adhuc obtinentem in nonnullis ordinibus religiosis, ad reddendam conscientiæ rationem.

§ II.

De jurisdictione ad validam Sacramenti Pœnitentiæ collationem requisita.

Inquirendum habemus 1° notionem et necessitatem jurisdictionis pœnitentialis, 2° ejusdem subjectum, et 3° restrictionem per casuum reservationem.

NUMERUS PRIMUS

De notione et necessitate jurisdictionis pœnitentialis.

314. — *Quæritur* 1° quid sit jurisdictio pœnitentialis?

Resp. Jurisdictio pœnitentialis est *potestas supernaturalis per actum missionis collata, qua quis alteri subditur in foro interno et pœnitentiali.*

Dicitur 1 : *potestas* seu facultas moralis, quæ, nimirum, in aliis inducit obligationem correlativam; in hoc pœnitentialis jurisdictio convenit cum morali potestate qualibet. Vide *Institut canon.*, Tract. 2. n. 5.

Dicitur 2 : *supernaturalis*, seu ab ipso Christo defluens; quo indicatur illius jurisdictionis primaria origo; et in hoc convenit cum alia quacunque potestate divinitus Ecclesiæ collato; atque discrepat ab omni potestate a jure naturali promanante.

Dicitur 3 : *collata per actum missionis* seu voluntatis sufficienter expressum; in hoc jurisdictio supernaturalis quæcunque differt a supernaturali potestate ordinis, quæ per ritum sacramentalem et sacerdotalem characterem confertur, n. 309, 310.

Dicitur 4 : *qua quis alteri subditur;* in hoc jurisdictio pœnitentialis distinguitur a pœnitentiali ordinis potestate : hæc, videlicet, est potestas absolvendi in foro pœnitentiali, charactere sacerdotali profluens, sed absque subditi determinatione, ita ut talis potestas radicalis per se sola, seu qua talis, non possit ad actum reduci; jurisdictio autem pœnitentialis assignat subditum pro applicatione potestatis pœnitentialis ex charactere sacerdotali promanantis, quæ tunc in actum reduci, potest.

Dicitur 5 : *in foro interno;* in hoc jurisdictio pœniten-

tialis distinguitur a jurisdictione supernaturali in foro externo. Videlicet, forus seu forum hic designat causas jurisdictionales, quæ sunt fori *externi* vel *interni*, prout respiciunt utilitatem alicujus societatis, vel duntaxat privatorum. Porro jurisdictio pœnitentialis exercetur ad utilitatem et respectu conscientiæ fidelium, quatenus sumuntur privatim; et hoc modo differt a jurisdictione supernaturali in foro externo, quæ primario et immediate *publicam corporis fidelium utilitatem respicit*, ac complectitur potestatem *magisterii* et *regiminis*.

Dicitur 6 : *et pœnitentiali* seu sacramentali; in hoc illa jurisdictio distinguitur a jurisdictione extrapœnitentiali in foro interno. Hæc siquidem exercetur in foro interno, quatenus immediate respicit utilitatem fidelium, prout sumuntur privatim, sed absque relatione ad Pœnitentiæ sacramentum; talis est facultas prædicandi Evangelium, dispensandi privatos a legibus ecclesiasticis, a votis, concedendi indulgentias, absolvendi a censuris extra tribunal Pœnitentiæ, licentia conferendi sacramenta a Pœnitentiæ sacramento distincta. Pœnitentialis autem jurisdictio exercetur non solum in foro interno seu respectu conscientiæ fidelium, prout sumuntur privatim, sed insuper intra duntaxat tribunal sacramenti Pœnitentiæ, dum a confessario, tanquam judice, auditur confessio pœnitentis, confertur absolutio a censuris et a peccatis, atque sacramentalis satisfactio imponitur. Propterea hujusmodi jurisdictio nuncupatur *pœnitentialis* aut *sacramentalis;* vide Institut canonicas, Tract. 2, n. 5, 8-12.

315.—*Quæritur* 2° quotuplex sit jurisdictio pœnitentialis?

Resp. Duplex, ordinaria, vel delegata. Prior ea est, quæ alicui officio ecclesiastico adnexa est ipso jure, id est, tali officio attributa vel ex lege generali, vel ex privilegio vim legis habente, vel ex legitima consuetudine; ita ut, qui officium illud obtinet, eo ipso in subditos exercet jurisdictionem vi officii, seu, potius, vi legis, quæ jurisdictionem affixit tali officio, et ideo *jure* et *nomine proprio*, non vero quasi vices alterius gerens.

Sacerdos, qui habet ordinariam jurisdictionem in foro pœnitentiali, v. g., parochus, dicitur *proprius* sacerdos. Qui, insuper, pollet ordinaria jurisdictione in foro *externo* vocatur *Ordinarius*, ut Papa in Ecclesia universali, Episcopus in sua diœcesi, etc.

Posterior seu delegata jurisdictio ea est, quam quis obtinet *ex commissione facta a committente, cujus vice fungitur;* ita ut delegatus non proprio jure et suo nomine agit, uti qui pollet ordinaria jurisdictione, sed jure ac nomine illius, qui eum commisit.

Duplex est delegata jurisdictio ratione objecti, quod committitur, mandata, vel delegata simpliciter. *Mandata*, quæ etiam *quasi-ordinaria*, vel *ad universalitatem causarum* nuncupatur, ea est, quæ committitur ad *causarum universalitatem, saltem in aliquo genere, incertarum personarum unius territorii;* talis est, v. g., jurisdictio vicarii parochialis, qui, saltem in Gallia, delegatur ad universalitatem causarum personarum incertarum unius parœciæ.

Delegata simpliciter jurisdictio seu particularis, ea est, quæ committitur ad *certum* vel *certas causas inter determinatas personas*. Vide *Institut. canon.*, Tract. 2, n. 19-21, 82-84.

PROPOSITIO

316. — *Ad validam absolutionis sacramentalis collationem requiritur in Sacerdote potestas jurisdictionis, nec sufficit ordinis potestas*. Certum est.

Constat 1° *Traditione*. Conc. Later. IV declarat sacerdotem *non posse absolvere* aut *ligare*, nisi sit *proprius* Sacerdos, vel *licentiam habeat* a *proprio Sacerdote*. Idem sic docet Conc. Trid., n. 7 : « Quoniam *natura et ratio judicii* illud exposcit, ut sententia *in subditos duntaxat feratur;* persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus hæc confirmat, *nullius momenti* absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem *ordinariam* aut *subdelegatam* non habet *jurisdictionem;* » ergo, præter ordinis potestatem, requiritur jurisdictio ad validam absolutionis sacramentalis collationem.

2° *Ration. theol.* Sacramentum Pœnitentiæ institutum est per modum judicii conferendum, n. 50, 53 : atqui, ex una parte, ad omne judicium requiritur judex, et inferior huic judici subditus, seu jurisdictio; ex altera autem, Sacerdos, qua talis, non est eo ipso judex cujuscunque fidelis, alioquin omnis sacerdos quemlibet ubicumque et pro quocunque casu valide absolvere posset, nullaque esset vera subordinatio, nullum efficax regimen ad animarum curam in foro conscientiæ; sed omnes indiscriminatim essent pastores, ipsique fures gregem Domini invadere possent; ergo, præter Ordinis potestatem, requiritur etiam missio seu jurisdictio in foro pœnitentiali.

217. — Hinc illud Sacramento Pœnitentiæ particulare est, quod ejus valor ex parte Ministri pendeat ex aliqua concessione vel prohibitione Ecclesiæ.

In hoc enim Sacramento, cum conferatur per modum judicii, per se requiritur subditorum disignatio ex parte superioris; quæ ideo si desit, invalidum est judicium seu absolutio; in aliis autem sacramentis, Ecclesia quoad ministrum nihil potest contra validitatem, si excipias Matrimonium sub alio respectu, sed tantum contra licitatem.

Proinde sacerdotes in ordinatione *inchoatam* potestatem remittendi peccata recipiunt, non tamen *completam* et *proximam*, quam actu exercere possint : sed hoc complementum recipiunt per jurisdictionem, quam Christus Ecclesiæ commisit, ut Ecclesia eam pro opportunitate et majori animarum utilitate Sacerdotibus communicaret; n. 310.

NUMERUS II

De subjecto jurisdictionis pœnitentialis.

Quæstio moveri potest de subjecto jurisdictionis ordinariæ, vel delegatæ, et de modis quibus acquiritur vel amittitur jurisdictio pœnitentialis.

PROPOSITIO PRIMA

318. — *Jurisdictionem ordinariam habent S. Pontifex pro tota Ecclesia, Episcopus pro sua diœcesi, Parochus pro sua*

Parochia, et ii omnes, qui alicui ex his tribus gradibus communicant. Certum est.

Et quidem 1° *S. Pontifex pro universali Ecclesia,* ut constat ex dictis in Tract. *de Eccl.*, n. 37, 39. Quæ jurisdictio in S. Pontifice est omnimodo omnibus aliis eminentior; siquidem eam accipit immediate a Christo, ut dictum est in Tract. *de Eccl.*, n. 129; omnis alia ab ea pendet, atque ideo hæc est universalissima quoad loca, personas, culpas et modum exercitii, ita ut S, Pontifex per se aut per alios ea uti possit, prout voluerit, vel oportuerit. Et vero, cura totius Ecclesiæ et pro omnibus necessitatibus commissa est S. Pontifici; ergo et jurisdictio suprema et universalis in foro sive interno, sive externo.

Pontificiæ jurisdictioni communicant Legatus a latere, Pœnitentiarius papalis, et etiam saltem olim Nuntii Apostolici intra terminos suæ Nuntiaturæ.

2° *Episcopus pro sua diœcesi* ordinaria in foro pœnitentiali jurisdictione potitur veluti suo jure, ita ut sit proprius animarum pastor, ad quem ex munere proprio pertinet ovium cura, etsi jus illud, sicut et munus, sit S. Pontifici obnoxium. Quæ dependentia variis modis explicatur, ut dictum est in Tract. *de Eccl.*, n. 209; vide etiam Suarez, *de Pœnit.* disp. 25, sect. 1. Unde quidquid in foro pœnitentiali potest S. Pontifex in universa Ecclesia, potest Episcopus in sua diœcesi, nisi in his, quæ specialiter prohibita aut reservata sunt S. Pontifici.

Episcopi jurisdictioni in foro pœnitentiali communicant Vicarii generales Episcopi, Capitulum, sede vacante, et Pœnitentiarius, ubi Pœnitentiaria est in officium erecta.

Ad hanc reducitur jurisdictio Cardinalium in ecclesia sui tituli, Abbatum exemptorum respectu suorum, Prælatorum universalium in Religionibus, v. g., Generalium aut Provincialium respectu Religiosorum sibi subditorum. Hi enim quoad suos subditos habent jurisdictionem quasi episcopalem.

3° *Parochus pro sua parochia* potitur jurisdictione ordinaria, sed limitata ad parochiæ terminos non tam locales quam personales, et subordinata Episcopo, qui potest eam

conferre, vel tollere, vel restringere per casus sibi reservatos. Constat ex Conc. Trid., sess. 23, c. 15.

Ad hunc ordinem reducuntur Vicarii perpetui, Vice-Rectores, gallice *Curés desservants ou succursalistes*, et in Religionibus, Prælati seu Superiores immediati, et generatim omnes illi, quibus *ex officio* incumbit immediate animarum cura.

319. — *Quæritur* an, qui ordinaria potiuntur jurisdictione in foro pœnitentiali, eam exercere possint in suos subditos, ubicunque hi existant, etiam *extra proprium territorium?*

Resp. Affirmative. Hoc enim conceditur ipso jure, ut expresse agnoscit Clement. X in Bulla *superna*, 21 jul. 1670, n. 324; consonat tum decisio S. Congr. Conc., 3 dec. 1707, apud S. Ligor., lib. 6, n. 544, 548; tum communis praxis. Unde parochus extra parœciam et diœcesim propriam potest, absque approbatione Episcopi loci, suos subditos absolvere.

PROPOSITIO II

320. — *Aliquis alterius jurisdictioni ordinariæ subjici potest quoad sacramentum Pœnitentiæ, ratione domicilii aut quasi-domicilii, privilegio status, vel consuetudine.* Certum est.

Et quidem 1° ratione *domicilii* aut *quasi-domicilii*. Domicilium est habitatio in parochia cum animo ibi in perpetuum manendi; quasi-domicilium est habitatio in parochia cum intentione saltem per semestre ibi manendi, ut sunt scholastici in academiis, aulici in curiis. Hinc etiam, qui habent duo domicilia in diversis parochiis aut domicilium in una et quasi-domicilium in altera, utriusque Parochi ordinariæ jurisdictioni subjiciuntur; ac proinde ab alterutro absolvi possunt, sive sint ejusdem sive diversæ Diœcesis : decet tamen ut paschalis confessio et communio in ea fiant parochia, ubi quis actu commoratur.

2° *Privilegio status :* sic Cardinales, qui aliunde jurisdictione carent, eam, et quidem ordinariam, habent in suam familiam pro foro Pœnitentiæ; sic etiam Superioribus Reli-

gionis subjacent Novitii, et ii omnes qui sunt vere de familia domus, ac continuo commensales.

3° *Consuetudine*, vel potius tacita Superiorum voluntate per consuetudinem firmata : hinc iter agentes et peregrinantes absolvi possunt a Parocho illius loci, in quo versantur, modo in patriam reversi testimonium factæ annuæ confessionis Parocho suo exhibeant, si id postulaverit; hoc autem postulare nequit proprius parochus, nisi ex gravibus rationibus suspicetur illos peregrinantes ad sacramentum pœnitentiæ non accessisse, quamvis contrarium asserant. Quoad vagabundos, qui nullibi habent domicilium, ubique sortiuntur forum, inquiunt Theologi, et absolvi possunt a Parocho in cujus territorio nunc degunt.

PROPOSITIO III

321. — *Delegatam et sufficientem jurisdictionem habent ii omnes, qui ab Ordinariis sunt expresse deputati ad audiendas confessiones.* Certum est.

Constat 1° *Traditione*. Namque, ex decreto ad Armenos, minister Sacramenti Pœnitentiæ est Sacerdos habens auctoritatem absolvendi vel *ordinariam*, vel *ex commissione superioris*. Similiter ex Conc. Lateran. IV, Sacerdos non potest absolvere, nisi sit proprius Sacerdos, vel *licentiam habeat a proprio Sacerdote*. Idem expresse continetur in Sexto, cap. *Cum Episcopus*. Sed insuper constans fuit Ecclesiæ praxis, ut Ordinarii per se vel per alium pro tribunali Pœnitentiæ sederent.

2° *Ratione*. Qui ordinariam habet jurisdictionem, utitur re sua, et ideo facere potest per alium, quod facere potest per seipsum, nisi lex aliqua obstet, juxta juris regulam 72.

Præterea, qui ordinaria jurisdictione in foro Pœnitentiali gaudent, propter fidelium multitudinem, locorum distantiam, et alia rationabilia impedimenta, non semper sufficiunt ad omnes audiendos et absolvendos; ergo, ob bonum commune subditorum, jurisdictio pœnitentialis ab Ordinariis delegari potest.

Actus autem delegationis ab homine debet esse 1. *positivus*, ita ut non sufficiat actus solummodo præsumptus in

præsenti, nec futura ratihabitio rationabiliter in præsenti præsumpta; 2. *liber;* 3. *sufficienter manifestatus;* 4. *acceptatus a delegato,* ita ut hic agat vi illius delegationis. Vide *Institut. canon.*, Tract. 2, n. 90.

322. — Itaque S. Pontifex delegare potest quemlibet sacerdotem, pro quolibet loco, pro quibuscunque peccatis.

Episcopus delegare potest in sua diœcesi cum hac sola limitatione, ut Papa non reservet, vel resistat.

Parochus delegare potest in sua parochia, cum eadem limitatione ex parte S. Pontificis et Episcopi. Attamen delegandi facultas Parochorum nunc vix exercitium habet, quia, ex consuetudine introducta, Episcopi jurisdictionem tribuunt simul cum approbatione, n. 348[1].

323. — *Quæritur* 1° an delegatus in foro pœnitentiali possit alium *subdelegare?*

Resp. Distinguendum est. 1. Id potest delegatus a S. Pontifice, juxta omnes, ob delegantis eminentiam. 2. Mandatarius seu delegatus *ad universalitatem causarum* in foro pœnitentiali, n. 315, subdelegare potest in eodem foro pro casu particulari, ut communiter sentiunt canonistæ, modo subdelegatus sit ab Ordinario approbatus ad confessiones excipiendas. 3. Delegatus simpliciter non potest alium subdelegare, nisi potestas subdelegandi sit ipsi expresse aut tacite concessa a delegante. Vide *Institut. canon.*, Tract. 2, n. 86.

324. — *Quæritur* 2° an delegatus possit delegantis subditos audire et absolvere extra delegantis territorium?

Resp. Distinguendum est. 1. Mandatarius seu delegatus ad universalitatem causarum, n. 315, probabilius retinet jurisdictionem in subditos extra delegantis territorium,

1. « Comme dans la discipline actuelle, l'Evêque délègue en même temps qu'il approuve, le pouvoir des Curés est devenu sans exercice. Il s'en est suivi aussi qu'on a pris l'habitude de confondre l'*approbation* et la *délégation*, et d'appeler prêtre *approuvé*, celui qui a reçu le pouvoir d'entendre les confessions. » Gousset, n. 476.

quia in hoc jurisdictio quasi-ordinaria æquiparatur ordinariæ. Quidam tamen, dum hoc concedunt pro assistentia matrimonio, id negant pro collatione sacramenti Pœnitentiæ, eo quod, saltem in Gallia, ut aiunt, contraria prævaluerit consuetudo. Unde in hac materia attendenda sunt praxis, et statuta cujusque diœcesis.

2. Si vero quis sit delegatus simpliciter, seu pro casu particulari, n. 315, non potest in foro pœnitentiali *valide* absolvere extra territorium delegantis etiam hujus subditos, absque approbatione Episcopi loci, in quo auditur confessio et absolvitur, ex Inn. XII Constitut. *Cum sicut*, 1700, et Benedict. XIV Constitut. *Apostolica*, 1744; S. Ligor., lib. 6, n. 548; vide *Institut. canon.*, Tract. 2, n. 92.

PROPOSITIO IV

325. — *Duobus modis acquiritur jurisdictio delegata, nempe, ab homine, vel a jure.* Certum est.

Et quidem 1° *ab homine*, idque vel *immediate* et directe, quando, scilicet, Ordinarius jurisdictionem alicui Sacerdoti concedit; vel *mediate* et indirecte, cum scilicet pœnitenti permittit ut quemlibet voluerit, eligat Sacerdotem approbatum, ut fit in Jubilæis. Verum, ne quis prætergrediatur limites facultatis sibi commissæ, verba concessionis expendenda sunt, quia *illæ concessiones*, ut communiter dicitur, *tantum valent quantum sonant.*

2° *A Jure*, sive scripto, quando Jus canonicum, aut Bulla, aut Constitutio Pontificis certis personis, Prælatis, v. g., aut Religiosis concedit vel ut absolvant, vel ut Confessarium eligant; sive non scripto seu *consuetudine* legitima, quæ signum est moraliter certum veri Superiorum consensus.

Porro 1. ex consuetudine, in multis locis simplices Sacerdotes seculares possunt sibi Confessarium eligere, modo sit approbatus, juxta infra dicenda, ubi de approbatione.

2. Ex consuetudine, iter agentes et peregrini, quamvis in aliena Diœcesi domicilium retineant, confiteri possunt cui voluerint Sacerdoti approbato in loco ad quem divertuntur, si tamen non veniant in fraudem reservationis, ut infra dicemus, n. 339.

3. *Capellani militum*, si careant speciali delegatione S. Pontificis, possunt tamen audire confessiones militum in diœcesi Episcopi approbantis, et etiam extra illam in itinere et in castris, ex tacito consensu Episcoporum, ut patet ex consuetudine universali; non autem possunt valide absolvere in stativis, nec in præsidiis sine licentia Episcopi loci, quia nullam habent jurisdictionem. Constat ex variis declarationibus S. Congreg.[1].

4. Ex consuetudine universali, Episcopus loci, a quo suscipitur navigatio, facultatem habet Sacerdotem navigaturum approbandi et delegandi pro toto navigationis tempore.

5. Ex constanti Ecclesiæ consuetudine, omnis Sacerdos, etiam hæreticus et excommunicatus, valide absolvere potest in *articulo mortis*, deficiente alio Sacerdote. Hoc expresse docet Conc. Trid., n. 7

Idem dicendum est de *periculo mortis*, tum quia in Jure Canonico vox *articuli* aut vox *periculi mortis* indiscriminatim adhibetur; tum quia eadem fere est pœnitentiæ necessitas in periculo, quam in articulo mortis. Et vero, articulus mortis dicitur, quasi ultimus vitæ spiritus, quando mors fere inevitabilis est : periculum autem mortis dicitur, quando mors frequenter solet in tali casu evenire, et proxime imminet; non vero quando fere certum est mor-

1. Ex Brevi dato a Pio IX, 6 jul. 1875, 1, in Gallia capellani militum, dum copiæ in stativis habentur, locorum Archiepiscopis aut Episcopis in spiritualibus omnino subjecti sunt; quum vero eædem copiæ e stativis eductæ fuerint (mobilisées), et durante tantum expeditione, singuli capellani hujusmodi, qui vexilla secuti fuerint, ex concessione Apostolica, vel extra diœcesim, tam in ditione, quam extra ditionem Status Gallorum, omnes et singulas facultates exercere libere et licite possunt, quibus in diœcesi ex concessione proprii archiepiscopi vel episcopi utebantur, antequam copiæ stativa reliquissent.

2. Iidem capellani in iisdem circumstantiis possunt ab omnibus reservatis sive S. Sedi sive Ordinariis locorum absolvere omnes fideles, qui vel in exercitu militant, vel quovis modo ad exercitum pertinuerint, eisque sacramenta ministrare; et eisdem, etiam conversis ab hæresi atque apostasia a fide, et schismate, qui facultatem sacramentalem confessionem peragendi non habebunt, plenariam indulgentiam in mortis articulo impertire; eosdem ab hæresi, aut apostasia, aut schismate in foro conscientiæ absolvere, et, servatis servandis, Ecclesiæ reconciliare. Vide Institut. canonicas, Tract. 5, n. 328, 329.

tem esse diutius differendam, et interim futuram esse copiam legitimi Confessarii. Censetur periculum proximum et probabile mortis, actuale prælium in bello, periculosa navigatio et valde longa, quando in ea non est futura copia Confessarii; item, primus partus mulieris, aut cum alias experta est difficilem et periculosum; item, pestis et febris maligna, seu morbus quicunque subito hominem interimens.

326. — *Quæritur* 1° an *simplex* Sacerdos absolvere possit moribundum, etiam *præsente* Confessario *approbato?*

Resp. Generatim loquendo, tenenda est in praxi sententia negans, quam propugnant Suarez, de Lugo, Vasquez, S. Ligor., n. 562, et quæ sic asseritur in Ritual. Rom.: « Si periculum mortis immineat, *approbatusque desit Confessarius*, quilibet Sacerdos potest a quibuscunque censuris et peccatis absolvere. »

Probabilius tamen simplex Sacerdos potest absolvere in periculo mortis, etiam præsente Confessario approbato, 1. si approbatus nollet, vel non posset audire Confessionem; 2. si approbatus esset nominatim excommunicatus, vel suspensus; 3. si approbatus esset alienæ diœcesis; 4. si moribundus ita horreret manifestare sua crimina Confessario approbato, ut esset in periculo confitendi sacrilege; 5. si Confessarius approbatus superveniat jam incœpta confessione cum simplici Sacerdote; 6. si approbatus fuisset complex infirmi in peccato turpi; in hoc casu omnino debet præferri simplex Sacerdos. S. Ligor., n. 563. Vide Tract. *de Censuris*, n. 49; *Instit. canon.*, Tract. 2, n. 88.

327. — *Quæritur* 2° an, posito titulo falso jurisdictionis sive ordinariæ, sive delegatæ, cum errore vere communi ac probabili de validitate illius tituli, Ecclesia suppleat jurisdictionem?

Resp. Affirmative. Videlicet, titulus, in præsenti materia, est actus superioris competentis, sufficienter manifestatus, quo alicui confertur jurisdictio ordinaria aut delegata in foro pœnitentiali. Verus igitur seu legitimus titulus ille est,

qui *reipsa concessus* est, et quidem *a legitimo superiore*, nec *aliquo vitio impeditur, quominus sortiatur suum effectum*. *Falsus* est autem titulus, si careat una ex illis conditionibus.

Unde falsus titulus triplex est, nempe, putativus, invalidus, coloratus. Et quidem *putativus*, quando reipsa a nullo superiore fuit concessus, sed tamen *adesse putatur a communitate, cui interest*.

Invalidus, quando de facto concessus est, sed a superiore *ex ipso jure incompetente*, seu ad hoc omni potestate destituto.

Coloratus, quando de facto fuit concessus, et a superiore ex jure ad hoc competente, sed non potest suum effectum sortiri *ob defectum aliquem accidentalem*, ac simul pro communitate talis titulus habeat veri tituli *colorem*.

Jam vero Ecclesia supplet jurisdictionem sive ordinariam, sive delegatam, posito titulo *colorato*, cum errore communi ac vere probabili de ejus vitio, semoto tamen vitio ex jure divino aut naturali. Constat ex consensu omnium canonistarum, atque ratione. Si secus enim, haud raro orirentur in populo christiano perplexitates valde nocivæ, atque fideles, ex inculpato errore, sæpe grave detrimentum paterentur : atqui, ut tot tantisque incommodis occurratur per jurisdictionis suppletionem, postulat pia Ecclesiæ benignitas summaque sapientia.

Eadem ratione infertur Ecclesiam supplere jurisdictionem, posito titulo *invalido*, aut mere *putativo*, ut probabilius asserunt auctores multi. Hæc fusius expendimus in *Institut. canon.*, Tract. 2, n. 22-31 ; vide S. Ligor., lib. 6, n. 573; Suarez, *de Pœnit.*, disput. 26, sect. 6, n. 5-7.

328. — *Quæritur* 3° an *licitum* sit *uti* titulo colorato, aut invalido aut mere putativo, cum errore vere communi ac probabili, semoto vitio ex jure divino aut naturali?

Resp. Quæstio expendi potest respectu sacerdotis, qui non ignorat defectum tituli, quo potitur, vel respectu privati, qui noverit ejusdem tituli defectum.

1. Sacerdos qui privatim noscit se titulo falso gaudere,

valide et *licite* eo uti potest in casu necessitatis, aut specialis utilitatis, aut ex causa rationabili; S. Ligor., *ibid*. Extra hunc casum, idem sacerdos valide, sed illicite utitur falso titulo. *Valide* quidem, eo quod Ecclesia, ob bonum animarum, supplet jurisdictionem, ut modo dictum est. *Illicite* autem, præsertim si tituli defectus oriatur a causa illi sacerdoti personali, v. g., a simonia, a censura, ab irregularitate, a revocatione facultatum sufficienter ipsi notificata. Ecclesia enim non præsumitur, nulla justa accedente causa, velle connivere meræ libertati sacerdotis; cum e contra, non suppleat jurisdictionem, nisi ad præcavendum subditorum dispendium.

2. Privatus autem, qui non ignorat defectum veri tituli in sacerdote, *valide* nihilominus uti potest illius ministerio, eo quod, posito errore seu ignorantia communi ac probabili de falsitate tituli, et non obstante paucorum scientia, Ecclesia jurisdictictionem supplet, ex modo dictis.

Idem privatus *licite* uti potest ejusdem sacerdotis ministerio in casu necessitatis, aut causæ rationabilis. Si desit hujusmodi causa, abstinendum est ab illius sacerdotis officio, præsertim si personali impedimento innodetur, ut modo dictum; alioquin peccaret ille privatus, atque invalida foret absolutio defectu dispositionis in pœnitente. Vide *Institut. canon.*, Tract. 2, n. 32.

329. — *Quæritur* 4° quandonam cesset jurisdictio delegata in foro pœnitentiali?

Resp. Cessare potest 1. per delegantis cessationem ab officio; 2. per revocationem delegati factam a delegante; 3. per lapsum temporis præfixi.

Et quidem 1. *per delegantis cessationem ab officio suo,* id est, per ejus renuntiationem, translationem, destitutionem, cessat jurisdictio delegata in foro pœnitentiali in triplici casu : scilicet, quando delegatio facta est sub hac clausula : *usque ad beneplacitum nostrum, ad arbitrium nostrum;* vel quando delegatio non data est *actu*, sed duntaxat in futurum *faciendam* promissum est; vel quando commissio audiendi aliquem in confessione data fuit delegato, ut hic

talem commissionem exequatur *pro suo arbitrio*, id est, si voluerit aut expedire judicaverit, nec talis confessio incepta est, eo tempore, quo delegans cessat ob officio suo.

In cæteris casibus non cessat delegata jurisdictio in foro pœnitentiali, cessante delegante a suo officio, ut communiter sentiunt canonistæ.

2. *Per revocationem delegati a delegante vel ab ejus successore factam, et delegato legitime intimatam*, etiam sine causa, et quamvis illicite. Jurisdictio enim delegata remanet res propria delegantis, et ideo iste ad arbitrium suum potest illam ad se revocare.

3. *Per lapsum temporis præfixi*. Unde, si turba pœnitentium affluat ad aliquam solemnitatem, et elapsus sit terminus delegationis quotannis renovandæ, sacerdos non absolvet nisi ex titulo *putativo*, de quo dictum est, n. 327, 328. Vide *Institut. canon.*, Tract. 2, n. 94, 95, 97-99.

NUMERUS III

De restrictione jurisdictionis per casuum reservationem.

Dicemus de notione et principio reservationis, de ignorantia excusante a reservatione, et de reservatorum absolutione.

I. — *De notione et principio reservationis.*

330. — *Quæritur* quid sit reservatio, et casus reservatus?

Resp. 1. Reservatio casuum est *restrictio quædam jurisdictionis, seu negatio potestatis absolvendi a certis peccatis, salva potestate absolvendi a cæteris*. Unde reservatio directe et immediate afficit Confessarium, cujus potestas restringitur; indirecte autem pœnitentem, qui a tali Confessario absolvi non potest.

2. Casus reservati sunt quædam atrociora crimina, quorum absolutionem Sacerdos, qui communi duntaxat jurisdictione præditus est, nec valide, nec ideo licite concedere potest. Quærendum est an, a quibus, et quinam reservari possint casus.

PROPOSITIO PRIMA

331. — *Datur in Ecclesia potestas reservandi certos casus.* De fide est.

Constat 1° *Traditione*. Nam ab antiquissimo tempore tali potestate utitur Ecclesia, et ideo legitime, cum auctoritatem quamlibet injuste usurpare nequeat Ecclesia, ex dictis in Tract. *de Eccl.*, n. 166. Idem expresse declaravit atque sic definivit Conc. Trid., n. 7, 20 : « Si quis dixerit Episcopos non habere *jus reservandi sibi casus*..., atque ideo casuum reservationem *non prohibere*, quominus Sacerdos *a reservatis vere absolvat* ; anathema sit. »

2° *Ration. theol.* Jurisdictio sacramentalis manat a Prælatis Ecclesiæ ad inferiores ministros, n. 318, 321 ; ergo potest juxta illorum arbitrium esse magis vel minus limitata non solum quoad locum et personas, sed etiam quoad culpas.

Visum est autem Ecclesiæ pastoribus hoc expedire, tum ut fideles efficacius contineantur ab hujusmodi peccatis atrocioribus, saltem propter difficultatem obtinendi absolutionem et erubescentiam comparendi coram superioribus ; tum ut graviores morbi serventur medicis peritioribus, quales ordinarie sunt vel præsumuntur esse Superiores ; tum denique ut graviori satisfactioni subjiciantur illi pœnitentes.

332. — Hinc ii omnes, qui ordinariam in foro interno jurisdictionem habent, possunt reservare peccata respectu Sacerdotis inferioris ; scilicet, S. Pontifex casus reservare potest pro tota Ecclesia, Episcopus pro sua diœcesi, Regulares pro suis subditis.

Consuetudo non habet, ut Parochi aliquid sibi reservent, quando suam jurisdictionem delegant, sive propter inhibitionem tacitam Episcoporum, ne nimia evadat casuum reservatio, sive quia tam idonei censentur coadjutores ac ipsi Parochi. Quare de facto reservatio est tantum *papalis*, aut *episcopalis*, aut *regularis*.

PROPOSITIO II

333. — *Crimen qualecunque reservari non debet, sed requiritur peccatum mortale, externum, consummatum, a puberibus commissum, certum.* Ita communiter.

Et quidem 1° *mortale,* imo et *atrocius.* Reservatio enim introducta est propter specialem delictorum gravitatem, a qua distat sive peccatum veniale, sive peccatum materialiter tantum mortale, sive etiam grave ex gravitate communi; alioquin difficilior redderetur absolutio, fieretque odiosum Sacramentum, et laqueus injiceretur animabus.

2° *Externum.* Peccata enim per se occulta non inferunt aliis nocumentum, nec indigent speciali curatione, quæ ab ordinariis Confessariis adhiberi non possit; et ideo ex consuetudine universali peccata mere interna non sunt materia reservationis. Sed etiam communiter docent Theologi peccatum duntaxat veniale, prout externum est, licet interius ex affectu pravo, et intentione peccantis fiat mortale, non esse reservatum, nisi aliter judicandum sit *ex tenore reservationis.*

3° *Consummatum in sua specie.* Unde, si homicidium sit reservatum, qui vulnerat lethaliter, aut venenum propinat, morte non secuta, non incurrit reservationem; quia odiosa sunt stricte intelligenda et restringenda.

4° *A puberibus commissum;* plus enim indulgentiæ meretur ætas levis et immatura. Puberes autem dicuntur mares qui decimum quartum annum, feminæ vero quæ duodecimum compleverunt.

5° *Certum* certitudine quæ excludat dubium sive *juris* sive *facti.* Dubium *juris* illud est, quo quis non ex ignorantia, sed prudenter dubitat an peccatum, certo commissum, sit reservatum; dubium vero *facti* est illud, quo quis dubitat an peccatum, certo reservatum, commiserit. Porro, ex dicendis, n. 334, in utroque dubio reservatio nulla est; valent enim Juris regulæ : *Odiosa restringi et favores ampliari convenit,* reg. 15 Jur. in Sexto : *In pœnis benignior est interpretatio facienda,* reg. 49. Vide *Institut. canon.*, Tract. 1, n. 105, 106, 113.

II. — *De ignorantia excusante a reservatione.*

334. — *Quæritur*, scilicet, an ignorantia reservationis ex parte pœnitentis hunc excuset a reservatione incurrenda?

Resp. Distinguendum est, scilicet, vel reservatio non est conjuncta cum censura, vel est conjuncta.

Si prius, non consentiunt auctores[1]. Alii communius negant, eo quod reservatio non sit pœna respiciens pœnitentes, sed restrictio jurisdictionis respiciens confessarios, ut fideles atrociorum criminum rei a prudentioribus pœnitentias, monita et remedia opportuniora recipiant. Ita Sanchez, Concina, Lacroix, S. Ligor., n. 581.

Alii vero probabiliter affirmant, inter quos Salmant., de Lugo, Elbel, Sporer, Roncaglia, eo quod reservatio partim saltem statuta sit, ut, timore absolutionis difficilius concedendæ, retrahantur homines ab atrocioribus peccatis.

Si posterius, id est, si reservatio sit *conjuncta cum censura* ignorata, aut de qua dubitatur, hujusmodi ignorantia aut dubium excusat a censura et a reservatione statuta a *S. Pontifice*, eo quod tunc reservatio non existit nisi propter censuram, quæ, cum sit pœna, non incurritur ab ignorantibus. Porro, de facto fideles plerique ignorant censuram præfatis casibus a Papa annexam, ac proinde non incurrunt hujusmodi reservationem. Vide casus ratione censuræ a Papa reservatos in Tract. *de Censuris*, n. 40-74, 90, 107-112, et ibid. de ignorantia et aliis causis excusantibus a censuris, n. 14 et seq.

Si agatur de reservatione conjuncta cum censura et *ab*

1. Ex jure communi exstat duplex tantum casus a S. Pontifice et quidem ipsimet reservatus *absque censura*, et *ratione sui*, nempe 1° quando quis Sacerdotem falso accusat de crimine *sollicitationis*, sive per se, sive per alios id fiat; 2° quando quis accipit donum gravis momenti a Regularibus (qui nempe pertinent ad ordinem religiosum, in quo emittuntur vota solemnia) utriusque sexus, si ante absolutionem non fuerit restitutio vel in toto, vel in parte. In facultatibus, quibus Episcopi aliique locorum Ordinarii, ex concessione Apostolica, pollent absolvendi a casibus S. Sedi reservatis, excipiendus semper est prior ex illis duobus casibus, nisi de eo in concessione facultatum fiat specialis mentio, ex decreto S. Congr. Inquisit., 17 jun. 1866.

Episcopo statuta, omnes consentiunt ignorantiam censuræ aut de ea dubium excusare a censura. At non pauci asserunt etiam in hoc casu manere reservationem, quia casus ab Episcopo principaliter et per se reservatur, et non tantum ratione censuræ, uti verum est de casibus papalibus. Alii tamen probabiliter affirmant ignorantiam aut dubium excusare a reservatione Episcopali juncta cum censura. Casus ab Episcopo reservati sine censura, aut cum censura, in statutis cujusque diœcesis recensentur.

Itaque, ex dictis n. 328, absque speciali ad hoc facultate, non solum valide, sed et licite quis absolvit a reservatione etiam episcopali, positis, de ea ignorantia aut dubio ex parte confessarii, aut ex parte tantum pœnitentis, et aliqua rationabili causa absolutionem conferendi.

III. — *De reservatorum absolutione.*

335. — Patet a reservatis posse absolvere ipsos reservantes, horum successores, aut in eadem auctoritate superiores. Igitur difficultas est de aliis, qui proprio jure a reservatis absolvendi non pollent. Scilicet,

336. — I. *Episcopus*, nec alius prælatus quilibet a casibus *speciali modo* reservatis S. Pontifici, et qui recensentur in Tract. *de Censuris*, n. 40-51², 88, absolvere nequit, nisi ad hoc sit *specialiter* delegatus, etiamsi illi casus sint occulti, ex ibid. dictis, n. 24.

A casibus autem S. Pontifici *simpliciter* reservatis, qui recensentur in Tract. *de Censuris*, n. 52-71², 101-106², absolvere potest Episcopus cum *simplici* delegatione a S. Pontifice concessa; et, si illi casus sint occulti, ab eis absolvere potest ex privilegio a Conc. Trid. Episcopis concesso. Idem verum est de illis qui habent jurisdictionem quasi episcopalem. Tract. *de Censuris*, n. 25.

Si existat impedimentum etiam brevi tempore adeundi Papam, et causa urgeat, Episcopus, vi juris communis, juxta communem Theologorum sententiam, potestate *ordinaria* pollet absolvendi per se aut per alios a se ad hoc delegatos a casibus simpliciter reservatis S. Pontifici, et

etiam, ut probabilius sentiunt auctores, a casibus speciali modo S. Pontifici reservatis, ex dictis in Tract. *de Censuris*, n. 26. S. Ligor., lib. 7, n. 84.

337. — II. Omnis sacerdos approbatus a quocunque casu reservato, absque delegatione, absolvere potest in triplici casu. Scilicet,

1° Quando adest pro pœnitente S. Pontificem aut Episcopum, ejusve delegatum adeundi impedimentum *perpetuum*, id est, quod durat per decennium aut saltem per quinquennium, et causa urget, ut sæpe evenit in Gallia. Porro dicuntur perpetuo impediti filii-familias, mulieres, regulares, senes, pauperes, carceribus vel triremibus perpetis damnati, infirmi, impuberes, milites, alumni qui in scholis morantur, et distant a S. Pontifice aut ab eo qui ad hoc delegatur. S. Ligor., lib. 7, n. 88.

2° Quando impedimentum adeundi superiorem aut ejus delegatum non est perpetuum seu durat infra quinquennium, aut etiam brevi tempore, et causa urget, qualis est periculum infamiæ, vel scandali, v. g., ex omissione celebrationis Missæ, necessitas adimplendi præceptum annuæ confessionis vel communionis, timor ne pœnitens remaneat in statu peccati mortalis. Tunc enim superior consetur non obligare ad tantum incommodum subeundum.

Cæterum impediti per seipsos adire Superiorem aut ejus delegatum, probabilius in nullo casu tenentur eum adire per epistolam, aut per procuratorem ad obtinendam absolutionem. S. Ligor., *ibid.*, n. 89, 92.

3° Quando pœnitens *in articulo mortis* ponitur. Imo, in hoc casu, simplex confessarius absolvere potest moribundum a reservatis, etiam *præsente superiore*, aut alio facultatem habente, ex Conc. Trid., n. 7.

Idem verum est de periculo mortis, ex dictis n. 326 in fine ; S. Ligor., lib. 6, n. 560.

In triplici præfato casu, si quæstio sit de reservatione *papali absque censura*, pœnitens directe absolvitur, nec in posterum tenetur adire superiorem.

Si vero agatur de reservatione *papali cum censura*, et

impedimentum non sit perpetuum, id est, non duret saltem per quinquennium, simplex confessarius ab illa reservatione non absolvit nisi *indirecte,* atque adeo remanet pro absolutis, cessante impedimento, aut superveniente valetudine, onus se sistendi coram S. Pontifice ejusve delegato ut eis imponatur major pœnitentia, si superiori videbitur, alioquin ipso facto in eamdem censuram recidunt. Attamen quando pœnitens in articulo aut periculo mortis fuit a reservato casu absolutus, nonnulli limitant obligationem sistendi superiori, pro casu percussionis clerici, aut pro casibus speciali modo S. Pontifici reservatis; et huic sententiæ favet Rituale Rom. S. Ligor., lib. 6, n. 585; lib. 7, n. 91.

Eadem obligatio remanet pro triplici præfato casu, si agatur de reservatione Episcopali cum censura aut sine censura. Tract. *de Censuris*, n. 27, 28.

Itaque, si pœnitens non habeat nisi reservata a quibus absolvitur tantum *indirecte,* debet clavibus submittere peccatum saltem veniale vitæ præteritæ *directe* remittendum; alioquin nulla daretur Sacramenti materia remota.

338. — III. Simplex Confessarius absolvere potest *extradiœcesanum* ligatum in propria quidem diœcesi reservatis, non autem in diœcesi Confessarii.

Reservatio enim directe afficit Confessarium, non pœnitentem; unde, cum non sit ligata Confessarii jurisdictio, ea uti valet etiam in peregrinum, ex universali consuetudine.

Excipitur tamen, ex Bulla *Superna* Clement. X, si pœnitens eo unico fine principali ex propria diœcesi alio se contulerit *in fraudem reservationis*, seu ut alibi facilius absolvatur; tunc enim illusoria redditur lex.

Excipitur etiam casus innodatus *censura ab homine* per sententiam *particularem* lata, ex dictis in Tract. *de Censuris*, n. 22. Non excipitur autem ex actuali et communi consuetudine, si censura sit a jure aut etiam ab homine per sententiam *generalem.*

Quid vero, si pœnitens sit alterius diœcesis, et *casus reservatus* tantum *in loco confessionis?*

Communius recentiores negant simplicem Confessarium

posse talem absolvere, quia ille habet jusdictionem a proprio Episcops restrictam; et hæc sententia confirmatur decis. S. Pœnit., 21 nov. 1873.

339. — IV. Simplex Confessarius valide a reservatis absolvit pœnitentem, qui *bona fide* reservata accusat, aut *illorum sine culpa obliviscitur;* modo aliud peccatum non reservatum accuset pœnitens.

Tunc enim Confessarius directe a non reservatis, et indirecte a reservatis absolvit. Unde ille pœnitens, data opportunitate, recurrere debet ad Superiorem, vel ad delegatum, ut directe de reservato absolvatur.

Similiter, juxta communiorem et probabiliorem sententiam, tollitur reservatio, si pœnitens, confitendo apud Superiorem, casus reservati obliviscatur. Nam recte præsumitur Superiorem liberare pœnitentem dispositum ab omni vinculo, a quo absolvere potest.

340. — *Quæritur* 1° an tollatur reservatio per confesionem *nullam* aut *sacrilegam?*

Resp. Probabilius tollitur per confessionem *sine culpa nullam;* quia reservatio principaliter ordinatur, ut peccata Superiori deferantur. Excipitur casus Jubilæi, ex statim dicendis.

2. Communius et probabiliter affirmant auctores reservationem tolli etiam per confessionem *sacrilegam*, ob eamdem rationem ac pro casu præcedenti. Excipe : si pœnitens culpabiliter reticeat ipsum peccatum reservatum; vel si pœnitens non habeat animum vitandi reservatum, aut ejus pœnitentiam implendi; vel si agatur de Jubilæo, quia tunc S. Pontifex non dat facultatem absolvendi a reservatis, nisi ut fideles Jubilæum lucrentur per validam confessionem, ex dictis in Tract. *de Indulg.*, n. 46. Vide S. Ligor., lib. 6. n. 537, 598.

341. — *Quæritur* 2° an habens peccata reservata et non reservata, *teneatur declarare reservata simplici confessario,* a quo vult indirecte absolvi a reservatis?

Resp. Affirmant plures, inter quos S. Th., Suppl. q. 9, a. 2; Suarez, disput. 31, sect. 5. Nam, ut pœnitens possit absolvi a non reservatis, oportet ut circa omnia sit bene dispositus; quam autem dispositionem sufficienter cognoscere nequit minister, nisi cognoscat totam causam; ergo, etc.

Negant tamen alii; quia alias teneretur pœnitens bis peccata illa confiteri, scilicet, inferiori et superiori. S. Ligor., n. 585.

342. — *Quæritur* 3° quomodo se gerere debeat Confessarius audiens reservatum, si absolvendi facultate careat?

Resp. Debet statim a pœnitente inquirere, an velit a seipso absolvi super tali reservatione, et expectare donec a Superiore obtineatur facultas; an potius adire alium tali facultate insignitum.

Si velit alium adire, tunc Confessarius eum cito dimittet, nec ulterius audiet ejusdem peccata, cum eum absolvere nequeat. Si vero pœnitens dicat, ut plurimum, se libentius ab eo velle absolvi, reliqua peccata audiet ac implebit confessionem, tum ut congrua remedia præscribat, tum ut videat an alia habeat peccata reservata. Deinde eum absolvendi facultatem sibi a Superiore comparabit[1]. Qua obtenta Confessarius non utatur, quin prius pœnitenti patrati sceleris gravitatem ostendat, et salutarem satisfactionem imponat.

De reservatione *casus complicis* agitur in Tract. *de Censuris*, n. 49.

§ III

De Approbatione ad validam Sacramenti Pœnitentiæ collationem requisita.

Inquiri possunt notio, necessitas et auctor approbationis sacramentalis. Unde

1. Littera ad Episcopum pro obtinenda facultate absolvendi a reservato, mittitur hoc modo, vel alio simili : *Petrus* (vel *Paula*) *incidit in casum reservatum in Tabella diœcesana sub* n..., *una vice. Facti ipsum* (vel *ipsam*) *pœnitet, et humiliter petit absolvi. Faveat rescriptum dirigere ad me subscriptum Confessarium.* Litteræ postea comburantur.

343. — *Quæritur* quit sit *approbatio sacramentalis ?*

Resp. Approbatio, quam vocamus sacramentalem, definiri solet : *Testimonium authenticum de idoneitate Sacerdotis ad audiendas fidelium confessiones.*

Dicitur 1 : *testimonium*, seu judicium externum quatenus verbis aut scriptis aut aliis signis sufficienter significantibus declaratum ; in hoc approbatio differt a delegatione seu concessione jurisdictionis, quæ non est judicium, sed actus voluntatis, quo superior deputat seu mittit ad confessiones excipiendas.

Dicitur 2 : *authenticum*, seu datum ab eo, qui in Ecclesia auctoritatem habet tale judicium proferendi ; et ideo non sufficit testimonium datum a persona privata.

Dicitur 3 : *de idoneitate Sacerdotis*, id est, de ejus scientiia et doctrina, morum integritate et pietate, prudentia aliisque requisitis ad utiliter audiendas confessiones ; quibus assignatur objectum judicii, de quo agitur, et ejus alterum discrimen a delegatione, qua quis in foro interno subjicitur Sacerdoti, qui ad audiendas confessiones aptus jam authentice judicatus est.

Unde approbatio existere potest absque jurisdictione ; nec ad approbationem concedendam essentialiter requiritur prævium examen : judicium enim prudens de idoneitate Confessarii absque examine haberi potest, cum de hoc aliunde constet.

Attamen, ex actuali consuetudine, Episcopi quando approbant Sacerdotes seculares, et præcipue cum aliquem mittunt ad excipiendas confessiones in certo loco, jurisdictionem simul cum approbatione conferunt, nisi aliud exprimant. Quare, in praxi, approbatio et jurisdictio delegata idem significant, ut notavimus, n. 322. Si agatur autem de Regularibus et aliis Sacerdotibus, qui a Pontifice delegantur ad audiendas confessiones, approbatio Episcopi ab ipsa jurisdictione distincta est. Idem dicendum, si quando approbaret Episcopus sub expressa conditione posterioris delegationis, a se vel ab alio Ordinario accipiendæ.

PROPOSITIO PRIMA

344. — *Ad validitatem absolutionis necessaria est approbatio.* Certum est.

Constat 1° *ex Conc. Trid.*, quod decernit « *Nullum* etiam *Regularem* Sacerdotem *posse* confessiones *secularium*, etiam *Sacerdotum*, *audire*, nec ad id idoneum reputari, nisi *parochiale Beneficium*, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias *idoneus judicetur*, et *approbationem*, quæ gratis detur, *obtineat* : privilegiis et consuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obstantibus. »

Insuper Inn. XII, an 1700, declaravit « Confessarios tam *seculares*, quam *regulares*, quicunque illi sint, *nullatenus posse audire* pœnitentes *sine approbatione* Episcopi *loci*, in quo ipsi *pœnitentes degunt* et *Confessarios eligunt*; alias *confessiones fore invalidas*, etiamsi agatur tantum de *venialium* confessione. » Hanc Constitut. Confirmavit Benedict. XIV, per Bullam *Apostolica.*

2° *Ratione.* Ad animarum curam, cum sit ars artium, utiliter exercendam, prærequiruntur scientia, pietas et prudentia; ergo, antequam quis deputetur ad talem eximiam artem exercendam, necesse est, ut ad hoc aptus jam ab auctoritate competente judicatus fuerit.

345. — *Quæritur* 1° quotuplici modo detur approbatio sacramentalis?

Resp. Duplici modo, scilicet, implicite seu per collationem parochialis beneficii, vel explicite seu per expressum judicium.

Et quidem 1. *implicite*, per parochialis beneficii collationem. Nam parochiale beneficium illud est, quod adnexam habet curam animarum ; ergo ille, cui tale munus committitur, eo ipso declaratur idoneus ad audiendas confessiones, quandiu beneficium retinet. Quamprimum autem parochus esse desiit, desinit quoque ejus approbatio, adeo ut sine nova approbatione nec licite, nec valide absolvere possit, nisi forte prius fuisset approbatus independenter a benefi-

cio parochiali. Hujusmodi approbationis modus semper fuit in usu; et ideo a Conc. Trid. non tam fuit introductus, quam retentus.

2. *Explicite,* per expressum judicium. Talis approbationis modus spectat jurisdictionem *delegatam*, atque fuit a Conc. Trid. introductus. Ante enim hoc Concilium, Parochi poterant delegare suam jurisdictionem etiam non approbatis ab Episcopo; et regulares Mendicantes jurisdictione sibi a S. Sede collata utebantur sine tali approbatione, saltem quando petita recusabatur.

346. — *Quæritur* 2° quinam confiteri possint *Regulares?*

Resp. Quoad Regularium confessiones, nihil innovavit Conc. Trid. Loquitur enim de confessione *secularium* tantum. Unde, sicut jure communi poterant ante Concilium, ita et nunc possunt Regulares confiteri cuivis Sacerdoti, etiam non approbato ab Episcopo, quem Superior secundum morem Ordinis eis constituerit.

Concilium enim noluit in hoc subjicere Regulares Episcopis pro confessionibus de peccatis suis, quia ipsi habent proprium et peculiarem modum quo gubernantur, et proprios prælatos a quibus Confessores recipere solent.

347. — *Quæritur* 3° quinam excipere possint confessiones *Monialium?*

Resp. Quæ pertinent ad Monialium Confessarios fuse expendimus in Institut. canonicis, Tract. 5, n. 333-340. Ex illis præcipua hic indicare tantum possumus. Videlicet,

I. Quoad Moniales *regulares*, seu quæ vota *solemnia emittunt:* 1° deputari debet confessarius ordinarius, et alius extraordinarius.

Ordinarius confessarius sit unus pro unoquoque monasterio, nec liceat unicuique moniali peculiarem confessorem pro libito sibi deligere. Ita Benedict. XIV, Bulla *Pastoralis*, 5 aug. 1748. Cæterum, ex decis. 22, mart. 1862, S. Congr. Regul. non probat, quod in constitutionibus prohibeatur, ne religiosa ad sacramentalem confessionem accedat plus

quam semel in hebdomada. Contrarium enim semper licet ex rationabili causa.

Alius confessarius ter aut quater in anno monialibus offeratur, ad quem omnes, etiam novitiæ, imo ipsæ personæ seculares, quæ vel educationis causa, vel alio titulo in eodem monasterio degunt, accedere debent, saltem ad monita salutaria capienda, si nolint eidem se confiteri. Benedict. XIV, *ibid.*

Toto tempore, quo durat ministerium Confessarii extraordinarii, Ordinarius confessarius accedere non debet ad monasterium.

Insuper, cuilibet moniali peculiarem confessarium postulanti, iste concedendus est 1. quando monialis graviter ægrotat; 2. quando monialis confiteri Ordinario confessario difficile potest, ob ingentem, quam experitur, repugnantiam: et id concedendum est pro tot vicibus, quot expedire judicabitur; 3. quando hoc interdum postulat aliqua monialis pro majori animi sui quiete, atque ulteriori in vita Dei progressu: modo id non petatur ex animi levitate, nec ex indiscreta affectionis singularitate. Benedict. XIV, *ibid.*

Tandem, in articulo mortis, vocandus est confessarius extraordinarius, vel parochus, vel alius Sacerdos, qui *Viaticum* et *Extremam Unctionem* administret, et *moribundis assistentiam præstet;* nec illa facultate potitur Ordinarius Confessarius absque *speciali* ad hoc licentia ab Episcopo concessa. Ita S. Congr. Regul., an. 1836, et 25 apr. 1860; Lucidi, t. 2, p. 308, n. 449.

2° Approbatio et deputatio Confessarii pro monialibus *non exemptis*, vel *exemptis*, sed *immediate S. Pontifici subjectis*, pertinet ad Episcopum loci. Ita Benedict. XIV, *ibid.*

Pro monialibus autem prælatis regularibus subjectis, Confessarii, sive ordinarii, sive extraordinarii, approbatio pertinet ad Episcopum; deputatio vero ad prælatum regularem, ex Conc. Trid., sess. 25, c. 10, et ex Benedict. XIV, *ibid.*

Cujusmodi approbatio *specialis* esse debet ad confessiones monialium excipiendas, et pro unoquoque earumdem mo-

nasterio, ex Clement X. Constitut. *superna*, 21 jul. 1670. Ex consuetudine vel lege fundationis, superiorissa precari potest Episcopum, ut confessarium, quem ipsa proponit, audito suo consilio, domo religiosæ deputet; vel etiam, ex justa causa, recusare deputatum confessarium sive Ordinarium, sive extraordinarium, et alium petere.

At moniales, quæ *extra monasterium per accidens* versantur, cuilibet confessario pro fidelibus approbato se confiteri possunt.

3° Ad monialium confessiones excipiendas deputari non debent Vicarii generales, nec earum superiores in foro externo, nec parochi, si cura parœciæ exinde aliquod detrimentum patiatur, nec religiosi. Isti tamen possunt esse confessarii extraordinarii.

Prælali regulares monialibus sibi subjectis confessarium ordinarium designant ex suo ipsorum ordine; extraordinarium autem ex alio regulari ordine deputare possunt. Imo, semel saltem in anno, in confessarium extraordinarium deputare tenentur vel secularem Sacerdotem, vel religiosum alterius Ordinis; atque, si id negligant, ad diœcesanum Episcopum devolvitur jus talem deputationem perficiendi. Benedict. XIV, *ibid.*

II. Quoad moniales, quæ vota tantum *simplicia* emittunt, *cum clausura* aut *sine clausura*, præfatæ dispositiones, pro monialibus regularibus primum statutæ, vim suam retinent, ac servandæ sunt, sive ex motivo illorum decretorum, sive ex recentioribus declarationibus S. Congr. Regul., quæ id expresse præscribunt, etiam pro ordinibus monialium a S. Sede nondum approbatis.

Sed etiam moniales, quæ non habent sacellum privatum, in quo confessarius determinatus audiat earum confessiones, sed ecclesiam parochialem, sicut cæteri, frequentant, possunt, ex jure communi hodie vigenti, extra piam propriam domum peragere sacramentalem confessionnem penes quemlibet Sacerdotem ab Ordinario pro fidelibus approbatum. S. Pœnitent. 22 apr. 1872.

De jure Confessarii monialium in eis permittenda *Communione*, dictum est in Tract. *de Euchar.*, n. 136.

Ex decreto S. Congr. Conc., 26 mart. 1678, non licet ut confessarii singuli exhibeant superiori aut superiorissæ nomina eorum, qui ad suos pedes gratia sacramentalis confessionis accedunt.

Tandem, caveat ordinarius Monialium Confessarius, ne se tanquam superiorem monasterii gerat, cum ipsi talis superioritas nullo modo competat; sic S. Congr. Episc., 7 sept. 1797.

PROPOSITIO II

348. — *Ad Episcopos pertinet approbare Confessarios.* Certum est.

Constat ex Conc. Trid., n, 344; et ex Innoc. XII, solus approbationem dare potest Episcopus *loci in quo ipsi pœnitentes degunt* et *Confessario eligunt, ibid.* Idem potest Vicarius generalis, ut verius et communius censent Fagnanus, Sanchez, Sylvius et alii.

Hoc verum est, saltem si agatur de jurisdictione delegata simpliciter. Si vero quis habeat jurisdictionem *ordinariam*, vel etiam, juxta plures, duntaxat *quasi-ordinariam* seu *mandatam*, potest *suos subditos* absolvere etiam in aliena diœcesi, absque approbatione Episcopi loci, ex dictis, n. 319, 324.

349. — Episcopus autem denegare nequit approbationem personæ dignæ eam petenti. In hoc enim procedit non per per viam gratiæ, sed ut judex et per justitiam. Ita Suarez, *de Pœnit.*, disput. 28, sect. 5, n. 5, Elbel, Lacroix, Bouix.

Nec Episcopus sine causa revocare potest approbationem semel datam. Nam, qui semel tanquam idoneus approbatus est, non est tanquam indignus rejiciendus, nisi constet factum esse indignum. Aliunde, ut jam notatum est, non hic agitur de gratia seu favore, sed de justa sententia ex justitia debita. Vide Institutiones canonicas, Tract. 5, n. 304.

Potest autem Episcopus approbationem limitare quoad locum, tempus, genus personarum, ex Innoc. XIII, Bulla *Apostolici muneris*, et Benedict. XIV. Instit. 86, n. 9.

Porro justa adest causa approbationem limitandi, si nunc

sit necessitas habendi plures Confessarios, quæ postea cesset; vel si major in Sacerdote desideretur scientia ad approbationem perpetuam; vel si prudenter timeatur ne, habita semel approbatione perpetua, studium aut castitatem negligat; vel si probandus sit quomodo se gerat in excipiendis confessionibus, an principia generalia bene applicet in praxi, etc.

350. — Episcopus etiam approbare potest quemlibet idoneum Sacerdotem in sua diœcesi actu existentem, et in eadem confessiones auditurum, etsi transeundo tantum. Constat ex praxi universali et communi Theologorum sententia.

351. — *Quæritur* an Parochus advocare possit Parochum *ejusdem diœcesis* ad confessiones audiendas in sua Parochia?

Resp. affirmative. Licet enim Parochus, vi sui officii approbationem specialem habeat tantum pro parœcia sua, tamen ex consuetudine fere universali, approbatus censetur ad excipiendas confessiones in universa diœcesi, nisi Episcopus aliter decernat. Sed consulendæ sunt consuetudines locorum propriæ.

An idem dicendum sit de Parocho *diversæ diœcesis*, controvertitur. Alii affirmant, quia, aiunt. beneficium parochiale inservit pro approbatione universali; ita Suarez, Vasquez, de Lugo, etc.

Alii negant, quia ex Conc. Trid. Parochus approbatur tantum a suo Episcopo, pro sola ejus diœcesi, et juxta ejus voluntatem. Hæc sententia, inquit S. Ligor., n. 415, magis firmata fuit ex declaratione Congreg. S. Conc., 1707, ubi respondit « Parochum unius diœcesis vocatum a Parocho alienæ diœcesis, in ista posse, absque licentia Episcopi, audire confessiones *quoad subditos, non vero quoad alienos*. »

ARTICULUS II

De Officio Ministri in ipsa collatione, vel post collationem Sacramenti pœnitentiæ.

§ I

De officiis Ministri in ipsa collatione Sacramenti Pœnitentiæ.

352. — Præter officium *ministri*, quod pro Pœnitentia sicut et pro aliis sacramentis Sacerdoti competit, et de quo dictum est in Tract. *de Sacram. in genere*, n. 106, et seq., duo sunt alia officia, judicis scilicet et medici, huic Sacramento propria, et quæ, ut efficaciter impleantur, speciales in Ministro dotes requirunt. De illo duplici officio et de his dotibus dicemus in triplici numero.

NUMERUS PRIMUS

De Officio Judicis.

Duo incumbunt omni judici, nempe, causam instruere, et sententiam proferre. Unde

PROPOSITIO PRIMA

353. — *Confessarius pœnitentem interrogare debet, quoties judicat aut dubitat illum non integre sua peccata confiteri.* Certum est.

Etenim « Sacerdos sit discretus et cautus; more periti medici, *diligenter inquirens* et peccatoris *infirmitates*, et *circumstantias peccati*, » ait Conc. Later. IV. — « Si pœnitens numerum, et species, et circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum Sacerdos *prudenter interroget.* » Ritual. Rom.

Et vero, Sacramentum Pœnitentiæ confertur per modum judicii, n. 50, 53 : atqui ad judicem pertinet curare, ut ante sententiæ prolationem causa sufficienter cognoscatur, discutiatur, examinetur; et ideo, si opus est, ipse debet inquirere.

Insuper Confessarius, quatenus minister Sacramenti, procurare debet, ut per integram confessionem digne ac rite suscipiatur; ut medicus autem pœnitentis, tenetur

convenientia et efficacia remedia præscribere, et ideo peccata et eorum causas integre cognoscere, per interrogationem, si necesse sit : *quod ignorat medicina, non curat.*

Itaque 1° Confessarius non tenetur interrogare pœnitentem nisi cum *ordinaria* sollicitudine. Pœnitens enim non tenetur se examinare nisi cum ordinaria diligentia, n. 252 : porro gravior esse nequit Confessarii obligatio, cum pœnitentem examinare non teneatur nisi secundario seu ipsius defectu.

2° Confessarius interrogare non debet pœnitentes, qui videntur sufficienter instructi pro sua conditione, et diligentes in confitendo peccata cum circumstantiis, juxta statum et capacitatem suam. A fortiori non necesse est ordinarie examinare eos, qui sæpe confitentur et raro peccant, ut sunt personæ devotæ, Religiosi, Ecclesiastici, nisi videatur ab eis omitti aliquid necessario explicandum. S. Ligor., n. 607.

PROPOSITIO II

356. — *Interrogatio debet esse moderata, discreta et opportuna.* Certum est.

Et quidem 1° *moderata,* seu Confessarius cavere debet, ne sit nimis anxius interrogando, atque exinde Sacramentum sibi et pœnitentibus onerosum flat. Sufficit enim, quod prudenter judicet pœnitentem nihil mortale omittere; nec requiritur ut semper judicium certum proferatur de peccati gravitate aut levitate, nec de animo aut conscientia, qua illud patratum est; cum generatim præsumi possit objectum peccati, ut secundum se malum est fuisse apprehensum, nisi circumstantiæ aliud suadeant. Unde « caveat ne curiosis aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat. » Ritual. Rom.

2° *Discreta,* id est, Confessarius debet interrogare cum magna prudentia, gravitate, pietate et modestia, ita ut nihil dicat de peccatis, quæ verisimiliter non fuerunt commissa, nec de iis ex quibus pœnitens discat peccare, aut scandalum ei creari possit; nec in iis, de quibus est interrogandum, *inverecunde* interroget.

Unde, circa peccata contra castitatem, cautissime inter-

roget Confessarius, ne juniores ea doceantur, quæ feliciter ignorabant; incipiat ergo semper a levioribus, quærendo, v. g., quot turpes cogitationes habuerint, quomodo his restiterint. Deinde, quoties obscena verba protulerint. Postea, quoties oscula vel tactus leves passi sint, aut fecerint : in quibus si innocentes reperiantur, non erit ultra progrediendum.

Si autem rei inveniantur circa cogitationes et desideria, paulatim ulterius examinandi erunt circa oscula, turpes aspectus et tactus : in quibus si iterum rei sint, interrogandi erunt de opere consummato contra castitatem, et specialiter de pollutione voluntaria, quam opere carnis comprehendi plerique non intelligunt.

Similiter, si negent cogitationes turpes, et peccata cordis, cum tamen externum fateantur, signum est peccata interna sufficienter iis nota non esse; unde aptis interrogationibus juvanda est illorum ignorantia, aut verecundia. Præterea, ut disponantur ad detegenda graviora crimina, præsertim contra castitatem, quæ, præ pudore, non audent confiteri, juvat eos interrogare an socii ad turpia eos allicere tentaverint, quoties consenserint. Idem, a personis junioribus alterius sexus, quæ turpia confiteri verentur, caute inquirendum est an turpes cogitationes in mentem venerint, quoties eis consenserint, an se ab aliquo tangi passæ sint, etc.

Denique, quoad personas conjugatas, absque gravi causa nunquam mentionem faciat de debito conjugali; ita S. Pœnitentiaria, 1842; sed satis erit, ubi causa quærenda est, ex muliere postulare num debitam marito fidem et obedientiam in omnibus præstiterit.

In dubio igitur, an in tali casu interrogare possit aut debeat Confessarius, pro parte negativa standum erit; juxta regulam ab omnibus admissam : *Multo melius est in pluribus deficere, quam in uno superabundare ratione integritatis confessionis, in materia luxuriæ.*

Juvat interdum, interrogando rusticos, mulieres ac pueros circa peccata communiter nota, et apud ejusmodi personas usitata, quærere, non utrum ea commiserint, sed

quoties ea commiserint, et, si hæreant ac dubitare videantur, numerum majorem iis indicare, v. g., an centies juraverint, etc.; sic enim interrogati facilius respondent, et conscientiam magis aperiunt, ut docet experientia.

3° *Opportuna*, id est, fieri debet tempore quo convenit, scilicet, aliquando ante confessionem, aliquando in ipsa confessione, et aliquando post confessionem.

Ante confessionem inchoatam, quandoque expedit quasdam interrogationes præmittere, sed paucas, ne pœnitens offendatur : v. g., a quo tempore non est confessus? an absolutus fuerit? an pœnitentiam impleverit? an circa vitam præteritam sit quietus? Cæteræ quæstiones circa conditionem, statum, ætatem, ignorantiam, etc., convenientius, data occasione, in decursu confessionis fient.

Attamen, quando satis videtur instructus pœnitens vel Confessario notus est, aut frequentem habet usum confessionis, vel saltem ab ultima confessione longum non intercessit tempus, illas interrogationes facere non expedit, sicuti nec quando dubitatur an pœnitentem possint offendere; tunc enim in decursu confessionis erunt potius faciendæ.

In ipsa confessione. Licet enim expediat, ut pœnitens omnia peccata sua ordinarie sit confessus, antequam interrogetur de illis in particulari, eumque Confessarius patienter audire debeat, sine interlocutione, increpatione, interrogatione, imo sine suspirio, exsecratione, si fieri potest, et sine ullo tædii, horroris, admirationisque signo; necessarium tamen est aliquando brevem interrogationem interponere : 1. de *numero*, quoties peccatum mortale, quod confitetur, admiserit, vel quanto tempore ei fuerit assuetus, et quoties in die vel hebdomada circiter commiserit; 2. de *circumstantiis necessariis*, v. g., an sit solutus, an conjugatus, si contra castitatem peccaverit, etc.; 3. de *obligationibus peccatum consequentibus*, v. g., restituendi bona vel famam, sese cum inimico reconciliandi, dimittendi occasionem peccandi, habitum corrigendi.

Ratio cur hæc tunc inquiri debeant, est partim ne molestum sit pœnitenti eadem postea repetere, partim ne Con-

fessarius obliviscatur interrogationis postea faciendæ, præsertim si longior sit confessio.

Post auditam confessionem : quia si pœnitens non videatur integre confessus, interrogandus est solum de his quæ omisit, vel non satis explicuit : idque maxime observandum est, si pœnitens sit honestus, bene institutus, aut doctus, ne scilicet indiscretis et inutilibus interrogationibus fatigetur et offendatur absque necessitate. Si tamen pœnitentem, quantumvis doctum, officio suo in re gravi deesse Confessarius sciat vel dubitet, de eo debet interrogare pœnitentem, etiamsi peccatum illud non confiteatur.

Quod si pœnitens rudis sit, nec nisi a longo tempore confessus, totaque ejus confessio sit sine ordine et declaratione circumstantiarum, perinde erit interrogandus ac si non esset confessus, percurrendo Decalogum, præcepta Ecclesiæ, peccata capitalia, et peccata hujusmodi hominibus magis communia, sive contra Deum, id est, contra fidem, spem, charitatem et religionem ; sive contra proximum, id est, contra charitatem et justitiam ; sive contra seipsum, id est, sobrietatem, abstinentiam et castitatem ; n. 257, 258.

357. — *Quæritur* quid agere debeat Confessarius si *dubitet de sinceritate* pœnitentis, aut si *certus sit* peccatum a pœnitente reticitum aut negatum esse?

Resp. 1° Si *dubitet* tantum post diligentem interrogationem, Confessarius pœnitentem absolvere tenetur. Tunc enim putare licet, quod ille vel non sit talis peccati reus, vel ejusdem fuerit oblitus, vel alteri confessus, vel quod habeat justam causam reticendi ; et in tali casu verum est axioma in hoc tribunali receptum : *Credendum est pœnitenti tam pro se, quam contra se dicenti.* Pœnitens enim in sacro tribunali reus est simul et testis, accusator et advocatus ; et aliunde in dubio verax semper præsumendus est. Ita Suarez, Layman, S. Ligor., n. 631, et alii communiter.

2° Si vero confessarius *moraliter certus sit* peccatum a pœnitente reticitum aut negatum esse, distinguendum est,

scilicet, vel illud sciat extra confessionem, vel ex sacramentali confessione alterius.

Si prius, non debet absolvere pœnitentem negantem, modo non adsit prudens dubium an fuerit alteri confessus, vel justam habeat causam tacendi. Ita Suarez, de Lugo, Layman, Billuart, S. Ligor., *ibid.* Regula enim, *Credendum est pœnitenti*, etc., valet quidem in re dubia, non in re moraliter certa.

Si posterius, Confessarius non potest specialiter pœnitentem de peccato illo interrogare, sine expressa licentia alterius personæ, ob periculum revelationis; sed eum interroget tantum generatim, sicut alias fecisset aut facere debuisset, nisi tales sint interrogationes, quæ specialiter talibus personis fieri soleant. Si autem negaverit pœnitens, Confessarius nihil reponat, sed hortetur duntaxat generaliter ad conscientiam cum omni fiducia aperiendam, modo id possit citra suspicionem.

An vero talis pœnitens omnino negans, sit absolvendus, controvertitur. Juxta de Lugo, absolutio danda est absolute; juxta Elbel, sub conditione; juxta Suarez, Croix, Viva, S. Ligor., n. 631, Scavini, etc., nullo modo absolvat Confessarius, sed tantum aliquid oret ad occultandam adstantibus negationem absolutionis.

358. — *Quæritur* quandonam absolutio debeat concedi, aut differri, aut denegari?

Resp. 1. Absolutio *concedi* debet *ex justitia* et sub *gravi* omni pœnitenti rite confesso et disposito. In ipso enim confessionis actu initus est quidam quasi-contractus sacer, vi cujus pœnitens rite confessus et legitime dispositus habet jus ad Sacramentum suscipiendum.

Et vero, si sine justa causa denegari posset absolutio, pœnitens forsan cogeretur successive apud plures Confessarios rite iterari suam confessionem, quin certus esset de absolutione obtinenda; ideoque ei onus intolerabile imponeretur. Præterea hoc exigit finis institutionis Sacramenti et tribunalis Pœnitentiæ, quod misericordiæ impertiendæ causa a Christo institutum est.

2. *Differri* potest absolutio ad breve tempus, etiam pœnitenti rite disposito, sine ejus consensu, quando Confessarius judicat id utile esse ad ejus emendationem. Nam Confessarius non est tantum judex, sed et medicus; ac proinde, si ut judex tenetur absolvere, potest ut medicus absolutionem differre, imo debet, quando judicat tale remedium animæ pœnitenti notabiliter esse profuturum. Dilatio enim absolutionis non est ejusdem denegatio.

3. *Deneganda* est omnino absolutio in omni casu, etiam extremæ necessitatis, pœnitentibus certo indispositis. Pœnitentibus certo *dubie* dispositis absolutio neganda est extra casum gravis necessitatis : posita autem tali necessitate, absolutio sub conditione impertiri potest, aut etiam debet. Hæc constant ex dictis, n. 103, 104, 154, 155, et seq.

NUMERUS II

De Officio Medici.

Confessarius non est tantum judex ad causam cognoscendam et ferendam sententiam, sed etiam medicus ad animas variis peccati morbis eripiendas, ut divinæ gratiæ restituantur, et in ea perseverent, atque in dies crescant. Unde

PROPOSITIO

359. — *Confessarius debet causam morbi cognoscere, morbum sanare, relapsum præcavere.* Certum est.

Et quidem 1° *causam morbi cognoscere.* Ut enim infirmitatibus pœnitentis remediis opportunis occurrat Confessarius, non sufficit ipsius peccati notitia, sed etiam cognoscenda est origo et causa omnium pœnitentis spiritualium morborum. Unde investigare debet morbi originem et gravitatem, interrogando de peccati consuetudine, de occasionibus, de tempore, de loco, de personis cum quibus, quo rerum concursu. S. Ligor., *praxis Confes.*, n. 6.

2° *Morbum sanare.* Cognita morbi origine et gravitate, Confessarius moneat et corrigat pœnitentem, eumque omni studio disponat ad absolutionem per verum actum doloris et propositi, ei suaviter et fortiter proponendo illa contri-

tionis motiva, quæ talem pœnitentem efficacius movenda videbuntur.

3° *Relapsum præcavere*, nempe assignando remedia tum pro intellectu, tum pro voluntate.

1. Pro *intellectu*, doceat pœnitentem ea omnia, quæ scire debet et aliunde scire potest. Unde, si pœnitens sit in ignorantia *vincibili* circa aliquam obligationem, de ea moneat Confessarius; nullum enim periculum datur in admonitione facienda, cum pœnitens peccare supponatur. Si vero sit in ignorantia invincibili, monendus est pœnitens, quando fructus ex admonitione speratur; secus vero, si non speretur, saltem generatim loquendo. Nam, ex una parte, admonitio non prodesset, et ex altera ei obesset, siquidem admonitus in posterum formaliter peccaret. Ita S. Ligor., n. 610, et alii communiter.

2. Pro *voluntate*, assignet remedia sive generalia, sive particularia.

Generalia sunt : 1. oratio pia et amor erga Deum; 2. invocatio frequens B. Mariæ Virginis, Sancti Angeli custodis et Sancti protectoris; 3. frequentatio Sacramentorum, et confessio statim ac mortale aliquod commissum est; 4. consideratio veritatum æternarum, præsertim mortis et finis ultimi; 5. recordatio Dei præsentis, cum urget tentatio; 6. examen conscientiæ vespertinum cum animi dolore et proposito; 7. oratio mentalis et piæ lectiones, præsertim Sacerdotibus et pœnitentibus perfectioni christianæ incumbentibus.

Particularia ea sunt, quæ unicuique vitio curando specialiter conveniunt : v. g., illi qui aliquo odio tenetur, insinuetur ut quotidie commendet Deo illum quem odit, recitando pro ipso Orationem Dominicam. Vide quæ diximus, n. 283.

Attendat præcipue Confessarius ad cujusque pœnitentis indolem, temperamentum, ideoque ad vitium in unoquoque capitale seu *prædominans*, ut omni conatu hoc vitium impugnetur, atque foveatur constans virtutis oppositæ exercitium. Hoc modo adeo necessarium *Directoris* officium feliciter adimplebit, ad maximum animarum juvamen et processum.

Ut autem efficaciter foveatur exercitium illius virtutis vitio in unoquoque capitali oppositæ, Confessarius ducat pœnitentes ad perfectionem per gradus et ordinate, ita ut prius discant operari recta intentione, et actiones ordinarias recte peragere; atque ideo eos doceat perfectionem cujusque in eo sitam esse, ut opera ordinaria bene peragant, v. g., ut bene orent, Missæ intersint, omniaque officia proprii status non solum adimpleant, sed præsertim ea ex motivo supernaturali et auxilio gratiæ obeant, juxta illud : *Omnia in gloriam Dei facite;* I Cor. 10, ỳ 31. Vide Institut. canonicas, Tract. 6, n. 4-49.

NUMERUS III

De dotibus in Confessario requisitis ad officia Judicis et Medici rite adimplenda.

PROPOSITIO

360. — *Ut Confessarius recte officia judicis et medici adimpleat, in eo requiruntur scientia competens, prudentia non vulgaris, particularis bonitas, paterna charitas.* Certum est.

Et quidem 1° *scientia competens,* qua, scilicet, possit per seipsum dubitationes in casibus communiter accidentibus solvere, et de difficilioribus sciat saltem dubitare : porro, ex dictis in decursu præsentis Tractatus, patet Officia Ministri, Judicis et Medici in Confessario præsupponere cognitionem semper actualem Theologiæ sive dogmaticæ, sive moralis, sive asceticæ; et ideo graviter errant ii, qui scientiam Theologicam facilem et vix aliqua attentione dignam reputant, dictitantes sensum communem sufficere ad solvendos fere omnes casus, et ad dirigendos pœnitentes in viam perfectionis christianæ.

Nec minus se decipiunt, qui sentiunt experientiam supplere scientiam. Profecto non supplet, sed eam juvat tantum; cum experientia sine scientia non inserviat nisi ad fucum Confessario faciendum, et ad eum in errores innumeros inducendum[1]. Confessarius igitur quilibet sedulo et

1. « La science est tenue de subir le contrôle de l'expérience, et l'expérience est obligée, à son tour, de se justifier devant la science et la raison. » Guizot.

constanter Theologiæ studio incumbere tenetur. S. Ligor., *Hom. Apost.*, n. 100.

2° *Prudentia non vulgaris*, tum in *interrogando*, tum in *dignoscenda* et *excitanda contritione* pœnitentis, tum in *pœnitentiis* salutaribus injungendis *ac remediis* utilibus præscribendis, tum in *absolutione danda*, *differenda*, *aut neganda*, denique in servando inviolabiliter *sigillo*. Magna certo circumspectione et prudentia opus est, ut Confessarius rationem habeat *ætatis*, *conditionis*, *status*, *sexus*, ac diversæ dispositionis pœnitentium, quia alioquin plus obesset ejus scientia, imo et zelus, quam prodesset. Quot revera infelices pœnitentes, ob incautam interrogationem, aut ineptam Confessoris directionem, animam perdiderunt! Tales Confessarii non sunt *salvatores*, sed *homicidæ* animarum.

3° *Bonitas singularis*, id est, non solum status gratiæ, sed insuper specialis omnium virtutum praxis, quæ Ministrum Pœnitentiæ decet, cui tanquam nutrici duplex alimentum opus est, unum ad sui, alterum ad prolis sustentationem.

Revera, Confessarius omnia peccatorum ulcera tractare debet, quin se deturpet; cum mulieribus et adolescentibus sæpe versari, eorum confessiones de iis rebus, de quibus magnopere erubescunt, excipiendo, quin sibi aliquid damni evenisse sentiat; omnes, ut dux sanctitatis, ad vitam gratiæ perducere, et in ea confirmare et consummare. Quapropter a S. Pio V dictum est : *Habeantur boni Confessarii, et cito habebitur omnium Christianorum omnimoda reformatio!* Nonne igitur ad tot tantaque officia adimplenda bonitate singulari opus est? « Quam certe nunquam assequetur ille, cui *oratio* non est *familiaris*, nec meditatio quotidiana. » S. Ligor., *Praxis Confess.*, *Introduct.*

4° *Paterna charitas*. In tribunali enim Pœnitentiæ Confessarius vices gerit optimi omnium Patris, nempe ipsius Christi, et ideo a pœnitentibus dulcissimo *Patris* nomine appellatur. Illud autem quod in vero patre imprimis eminet, est insignis et inexhausta charitas. Sit igitur Confessarius indutus *viscera misericordiæ* Christi Jesu, *qui non venit vo-*

care justos, sed *peccatores;* atque sciat studiose, patienter et mansuete cum peccatoribus agere, omnia pro filiis spiritualibus sustinendo, juxta illud : *Ego autem libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus;* II Cor. 12, ỷ 15; nec istorum unquam immemor : *Sæpe plus erga corrigendos* agit *benevolentia*, quam *austeritas;* plus *exhortatio*, quam *comminatio;* plus *charitas*, quam *potestas*. » Conc. Trid., sess. 13, c. 1, *de Reform.*

§ II

De Officio Ministri post collationem Sacramenti Pœnitentiæ.

Duplex est obligatio Confessarii post illius Sacramenti collationem, alia *per accidens*, seu obligatio reparandi defectus commissos ; alia *per se*, seu obligatio servandi sigillum.

NUMERUS PRIMUS

De obligatione reparandi defectus commissos in collatione Sacramenti Pœnitentiæ.

361. — *Quæritur* an et quosnam defectus corrigere teneatur Confessarius?

Resp. 1° Error circa *valorem* Sacramenti cum gravi culpa aut gravi negligentia commissus, reparandus est etiam cum gravi incommodo Confessarii, supposito gravi damno pœnitentis : v. g., si Confessarius non protulit formam absolutionis, vel sine intentione, aut sine potestate sufficiente absolvit ; vel si absolvit non subditum, aut non rite dispositum, sive quia id non advertit Confessarius, sive quia non est ausus negare absolutionem.

Ratio est, quia Confessarius tenetur ex officio et ex quasi contractu cum pœnitente inito, rite ipsi administrare Sacramentum. Si autem error sit inculpabilis vel leviter culpabilis, obligatur quidem ex justitia Confessarius, sed cum minori incommodo.

Multis modis potest defectum corrigere. 1. Quidem si defectus sit solum ex parte Confessarii, procurando ut pœnitens eidem Confessario sequentem confessionem faciat ; qua facta, dummodo Confessarius ipse saltem confuse me-

minerit præcedentis confessionis, quæret ab eo an de præteritis peccatis doleat, et an ea confiteatur quantum necesse est; tuncque poterit eum absolvere a peccatis tam præteritæ quam præsentis confessionis.

2. Si spes non sit revocandi pœnitentem, vel si absque scandalo aut alio incommodo revocari non possit, et ipse nondum abierit, sed eo solum spatio distet, quo homines voce communi solent cum hominibus loqui : plures dicunt eum posse absolvi, dummodo certum sit esse rite dispositum ; sed hoc non est passim usurpandum, n. 96.

3. Si hæc non sufficiant, petita et obtenta a pœnitente licentia cum eo loquendi de re necessaria ad præcedentem confessionem pertinente, monendus erit de errore qui contigit : si autem licentiam illam concedere nolit pœnitens, aut si sine scandalo vel incommodo gravi peti non possit, tunc Confessarius ad nihil aliud tenebitur, nisi forte pœnitens in extremis positus aliam confessionem non sit facturus.

2° Si absolutio fuit quidem *valida*, sed tamen admissus est aliquis defectus *non essentialis*, neque cum alterius damno conjunctus ; v. g., si Confessarius omisit interrogare de numero vel circumstantiis peccatorum, vel de habitu aut occasione peccati, tunc, regulariter, tenebitur tantum agere pœnitentiam de peccato amisso. Quod si ad eum redierit pœnitens, facile poterit in sequenti confessione corrigere defectum prioris. Si vero Confessarius positive decepit pœnitentem, dicendo, v. g., declarandum non esse numerum vel circumstantias speciem mutantes, tenebitur pœnitentem monere modo supra dicto.

3° Si defectus conjunctus est cum *damno tertiæ personæ*, v. g., si Confessor culpabiliter, hoc est, ex malitia, vel ex ignorantia vincibili, aut ex negligentia considerandi, *ad restitutionem debitam non obligavit* pœnitentem, tenetur eum postea monere : et, si id Confessor negligat, tenebitur ipse restituere, quando *positive* consuluit pœnitenti ne restitueret, vel eum *induxit* ad non restituendum ; tunc enim est causa positiva damni, ac proinde ex justitia tenetur illud compensare, si pœnitens moneri amplius non possit, aut monitus restituere amplius non valeat.

Probabilius autem non tenetur restituere Confessarius, si monitionem tantum *omittat*, etiamsi graviter peccet, quia Confessarius non tenetur ex justitia impedire damnum ejus, cui debetur restitutio. Tract. *de Justitia*, n. 224.

NUMERUS II

De obligatione sigilli.

Dicendum habemus de illius obligationis 1° existentia, 2° subjecto, 3° objecto, 4° modo vario illam violandi.

I. — *De existentia obligationis sigilli Sacramentalis.*

Per *sigillum* hic intelligitur *arctissima obligatio servandi secreta ea, quæ accepta sunt per confessionem sacramentalem*, ducta metaphora a sigillo quo litteræ muniuntur, ut arcana iis contenta tegantur.

PROPOSITIO

362. — *Strictissima est obligatio inviolabiliter servandi secreta ea, quæ per confessionem sacramentalem accepta sunt.* Certum est.

Constat ex triplici præcepto hanc obligationem imponente. 1. Est *præceptum naturale* servandi secretum et famam proximi, ac reverentiam Sacramento debitam, ne odiosum reddatur ac inutile.

2. Est *præceptum divinum* ipsi Sacramento intrinsecum, et necessario consequens ex ejus institutione; unde S. Thomas, Suppl. q. 11, a. 3, dicit *quod sigillum confessionis competit Sacerdoti, in quantum est minister hujus sacramenti :* tale autem præceptum divinum habemus ex Traditione Ecclesiæ, et communi SS. PP., et Doctorum consensu. Unde etiam sequitur *nullo jure humano* dispensari posse circa hanc obligationem.

3. Est *præceptum ecclesiasticum*, quod sub gravissimis pœnis prohibet sigilli confessionis violationem. S. Gregorius, relatus tit. de Pœnit., dist. 6, cap. 2, sic habet : « Sacerdos ante omnia caveat, ne *de his qui ei confitentur peccata, alicui recitet,* non propinquis, non extraneis. Nam, si hoc fecerit, *deponatur*, et omnibus diebus vitæ suæ igno-

miniosus peregrinando pergat. » « Caveat omnino Sacerdos, ne *verbo*, aut *signo*, aut *alio quovis modo aliquatenus* prodat peccatorem ; sed si prudentiori consilio indiguerit, illud, absque ulla expressione personæ caute requirat ; quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a sacerdotali Officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum. » Conc. Lateran. IV.

Et vero, violatio sigilli triplicem ordinarie includit malitiam : primam *sacrilegii* omnino inseparabilem, et semper mortalem ; non enim hic datur levitas materiæ, et revelatio vel minimi peccati est gravissima injuria contra Sacramentum ; secundam *injustitiæ*, contra pactum tacitum fidelitatis : unde et revelans teneretur ad compensationem damni secuti ; tertiam *detractionis* injustæ, cum obligatione reparandi famam proximi.

363. — Hinc 1° *in nullo prorsus casu* illud sigillum violari potest, et propter *nullum finem*, quantumlibet bonum, honestum aut utilem, nec pro tuenda Confessoris ipsius vita, nec pro bono spirituali aut temporali ipsius pœnitentis, nec pro Republica ipsa, tuenda aut conservanda a quolibet malo spirituali vel temporali, saltem *sine expressa et omnino voluntaria* pœnitentis *licentia ;* nam per hujusmodi sigilli inviolabilem fidelitatem melius reipublicæ mederi potest Confessor.

Ratio est, quia ex inviolabili sigilli observatione pendet confessionis usus, ac proinde ipsius Religionis Christianæ conservatio, quæ alioquin periclitaretur : cui malo, nullum malum quantumlibet magnum sit, nullum bonum, quamvis maximum, potest nec debet preponderare.

Unde 1. Confessarius, qui audiendo Confessiones ita peccavit, ut peccatum suum confiteri non possit, quin manifestet pœnitentis confessionem, nec potest, nec debet peccatum illud suum confiteri, donec habeat copiam Confessoris, cui pœnitens sit ignotus. Obligatio enim sigilli præponderat obligationi integre confitendi.

2. Confessor interrogatus an aliquid noverit, quod per solam confessionem ipsi notum est, *potest ac debet negare etiam cum juramento,* si opus sit, se quidquam scire, vel audivisse. Si interrogetur autem de impertita absolutione, respondeat : *Functus sum meo officio ;* vel : *sunt-ne interrogationes faciendæ?* S. Ligor., *Hom. apost.*, n. 148. Quod enim scit Confessarius ut *Dei loco tenens*, humano commercio inservire non potest, alioquin divina cum hmanis confunderentur, n. 374.

Unde parentes, magistri, heri, interrogantes de absolutione data filiis vel subditis, remittendi sunt ad ipsos pœnitentes. Similes quæstiones facere solent Moniales curæ infirmorum in nosocomiis addictæ, ut sciant an necessaria ad viaticum ministrandum parare debeant; similiter ad infirmos sunt remittendæ ; vel melius petenda est ab infirmo licentia Moniales vel alios monendi. Sufficiat ipsi dicere : monebo, etc,

3. Confessor, qui ex pœnitentis confessione novit instare grave damnum, vel alicui particulari, vel ipsi reipublicæ, debet quidem obligare pœnitentem, ut per se vel per alium, si possit, periculis illis obviet : et, si nolit, debet illi negare absolutionem. Pœnitentem tamen reum talis delicti manifestare non potest Confessor, sed id solum facere quod poterit sine ullo periculo manifestandi pœnitentem, aut vel minimam suspicionem contra ipsum excitandi. Melius enim, ut diximus, poterit Confessor mederi malo reipublicæ per sigilli inviolabile secretum, sine quo reus nullus peccatum confiteretur.

364. — Hinc 2° non licet *ullo modo* violare illud sigillum, id est, 1. nec signo, nec verbo, nec facto, nec dicto, nec scripto, nec ullo alio modo significandi quæ audita sunt in confessione ; 2. neque *ante,* neque *post* pœnitentis *mortem;* neque aliis, quamvis ab ipso pœnitente vel aliter culpam in confessione declaratam rescivissent, neque ipsi pœnitenti extra tribunal Pœnitentiæ, et veluti extra claustrum sacramenti ; 3. neque *directe* et expresse revelando, neque *indirecte*, n. 371.

II. — *De subjecto sigilli.*

PROPOSITIO

365. — *Præter Confessarium, obligatione sigilli tenentur ii omnes, qui sive immediate, sive mediate aliquid acceperunt ex confessione sacramentali.* Certum est.

Hæc obligatio naturali et divino jure fundatur, sicut obligatio ipsius Confessarii, scilicet, justitia, charitate et religione. 1° Justitia quidem et charitate, ut patet. 2° Religione etiam; nam notitia ad eos pervenit ex confessione sacramentaliter facta, adeoque hujusmodi revelatio esset contra reverentiam Sacramenti, et redderet odiosam ipsam sacramentalem confessionem contra intentionem Christi. Ita communiter.

Hinc tenetur obligatione sigilli 1. interpres adhibitus; item qui scripsit rogatus alicujus confessionem. 2. Qui scriptam confessionem invenit ac legit. quamvis multi sentiant eum teneri solum arctissima obligatione secreti naturalis. 3. Qui casu, vel dedita opera, audivit pœnitentis peccata: item, is cui sacrilege, aut etiam sine advertentia, et inculpate a Confessore revelata essent; item, is cui, de licentia pœnitentis, declaratum est peccatum ad petendum consilium. 4. Obligatione sigilli tenetur laicus qui, fingens se esse Sacerdotem, excepit alterius confessionem. 5. Etiam, juxta plures, Confessor qui, extra confessionem, de peccatis a pœnitente consulitur, v. g., qua ratione sint declaranda; hæc enim petitio est veluti confessionis inchoatio; item, ex probabiliori sententia, etiam ille Superior, a quo extra confessionem, per se, vel per alium, pœnitens petit licentiam necessariam ut absolvatur a peccatis reservatis. 6. Denique, pœnitens ipse, licet proprie non sigillo, sed secreto naturali tantum, non potest tamen sine aliqua contra sacramentum irreverentia, temere et absque necessitate, vel utilitate, loqui de rebus in sacramento Pœnitentiæ, velut in asylo, depositis, præsertim contra famam aut voluntatem justam Confessoris.

366. — Si quis secretum alicui committat *sine ullo or-*

dine ad confessionem, etiamsi talis commissio facta sit sub obligatione sigilli sacramentalis, hinc tamen non oritur proprie sigillum, sed tantum obligatio secreti naturalis, gravior aut levior, pro rei exigentia : hæc autem obligatio differt ab obligatione sigilli, quia sigillum confessionis in omni omnino casu viget; et hæc obligatio secreti naturalis nulla est, quando revelatio necessaria est pro bono communi reipublicæ vel alia gravissima causa.

III. — *De objecto sigilli.*

PROPOSITIO

367. — *Objectum sigilli sunt omnia, quæ accepta sunt per confessionem.* Certum est.

Id est, per confessionem factam ex intentione sacramentali, seu *in ordine* ad absolutionem recipiendam, sive absolutio data sit, sive non : imo sive pœnitens integre se confessus sit, sive non, sive absque contritione etiam scienter sit se confessus, ut aliquo modo satisfaceret Ecclesiæ præcepto, vel ut a Confessore juvaretur et curaretur. In his enim casibus confessio non desinit esse sacramentalis.

Itaque sub sigillo confessionis cadunt 1. omnes peccatorum circumstantiæ, etiam post absolutionem declaratæ; nam unum moraliter sunt cum peccatis accusatis ad quæ referuntur; imo etiamsi dubium esset, utrum in ordine ad confessionem declaratæ fuissent, necne.

2. Peccata complicis, etsi absque necessitate cum peccato essent revelata, quia ex intrinseca confessionis occasione dicta sunt.

3. Pœnitentiæ impositæ, nisi forte sint valde leves seu ex iis, quæ pro levissimis culpis imponi solent.

4. Defectus manifestati per confessionem ad explicandam peccati rationem, v. g., si pœnitens dicat se sacros Ordines cum irregularite suscepisse, ex eo quod sit illegitimus, etc. S. Ligor., n. 640.

Confessio autem, ficte facta, ad illudendum Confessori, vel ad eum pervertendum aut alliciendum ad peccatum, aut ad furandum ei aliquid, non est sacramentalis, ideoque

non inducit *per se* obligationem sigilli. Vix tamen, aiunt Doctores, Confessarius revelare posset quæ sic agnovisset, propter periculum ne haberetur ut violator sigilli; et si hujusmodi criminis argueretur, difficile probare posset confessionem non fuisse serio factam.

368. — *Quæritur* an defectus *naturales*, aut *bona opera* et *virtutes* pœnitentis cadant sub sigillo?

Resp. Quoad *defectus naturales*, qui ex modo confitendi pœnitentis percipiuntur, v. g., quod sit rudis et tardioris ingenii, molestæ indolis, etc., non licet Confessori de his loqui, nisi vel aliunde hos noverit, vel sint publice noti; quanquam et tunc præstat de his altum servare silentium, ne simplices offendantur, et a confessione retrahantur.

Bona vero pœnitentis *opera, virtutes,* etc., etsi proprie non cadant sub sigillo confessionis, nec eorum revelatio odiosam reddat confessionem, *ordinarie* tamen, ex intentione pœnitentis, cadunt sub obligatione secreti naturalis, saltem durante vita pœnitentis; nam, isto defuncto, obligatio cessare videtur, nisi forte manifestationem expresse prohibuerit. Confirmatur assertio pluribus exemplis. Caute tamen etiam in his casibus agendum est; et melius tacetur, nisi qui laudatur defunctus virtutis sit adeo præcellentis, ut in alios, de quibus silet Confessarius, nulla possit redundare suspicio.

Unde, generaliter, illud omne censendum est confessario lege sigilli graviter prohibitum, quod posset in confessionis odium sive pœnitentem ipsum, sive etiam alios inducere.

IV. — *De vario modo violandi sigillum.*

Duplici modo violari potest sigillum, nempe, 1. *directe*, revelando expresse aliquid ex sola confessione cognitum, v. g., si dicatur : Petrus hoc fecit, etc.; 2. *indirecte*, si, aliquid dicendo, faciendo aut omittendo, inde detegatur, vel in suspicionem veniat confessio pœnitentis. Itaque

369. — I. Secretum confessionis *indirecte* violat 1. qui

unum præ aliis, quos audivit, laudans, dicit eum sola venialia commisisse; quia alii inde facile in suspicionem culpæ mortalis adducuntur.

2. Qui de peccato pœnitentis per solam confessionem cognito, loquitur cum aliis qui hoc aliunde norunt, etiamsi audientes non advertant illud ex confessione acceptum esse.

3. Qui dicit se non absolvisse talem, eum remisisse ad tale tempus, vel nondum absolvisse; quia longa confessio denotat ordinarie multa peccata, aut indispositionem pœnitentis, nisi sciretur esse confessionem generalem, aut a longo tempore resumptam, ita ut pœnitens hoc non ægre ferret. Item, qui de Titio cognito ut fure, dicit eum sua furta cum contritione magna sibi confessum esse.

4. Qui alta voce, aut alio modo a circumstantibus intelligibili, arguit pœnitentem ; quia est gravamen pro tali pœnitente, et alii possunt suspicari illum gravia peccata confessum esse; *a fortiori*, si nimis vocem extollendo, repeteret peccata pœnitentis, aut de eorum circumstantiis interrogaret.

5. Qui loquitur cum alio confessario de peccato alicujus pœnitentis, etiamsi is utrique eadem peccata confessus fuerit.

6. Qui, auditis paucorum confessionibus, dicit se tale peccatum audivisse, licet celata persona; singuli enim ex illa revelatione aliquid suspicionis contra se patiuntur. Item, qui peccata ex confessione cognita ita narrat, ut audientes possint cum fundamento conjicere vel suspicari quinam ea commiserint.

7. Qui narrans peccata alicujus personæ sibi extra confessionem cognita, addit aliquam circumstantiam cognitam ex sola confessione, vel qui utitur notitia confessionis ad rem magis *individuandam* aut *confirmandam*.

8. Qui diceret se in *tali monasterio* audivisse peccatum grave, etiamsi non nominaret personam ; quia singuli Religiosi illius conventus detrimentum patiuntur. A *fortiori* violaret sigillum, qui diceret in conventu illo talia peccata committi. — Secus autem, si diceret se audivisse pecca-

tum grave alicujus Religiosi in *genere*, quin nominaret ipsius Ordinem, quia neque est revelatio sigilli, neque redundat in gravamen pœnitentis, nec alicujus ordinis, cum inter varios ordines sint semper plures mali Religiosi. Sed a scandalo laicorum sedulo cavendum est.

9. Qui pœnitentem post confessionem oculo torvo aspicit, non eum alloquitur, sicut prius facere solebat, et ostendit verbis durioribus, gestibus, aut tota agendi ratione se recordari ejus peccatorum, de iis actu cogitare, et eum minoris quam antea facere. Ita Gury, n. 665.

370. — II. Non frangitur sigillum a Confessore, qui dicit talem pœnitentem esse confessum, vel bene confessum, nisi forte aliqua adsit circumstantia, propter quam pœnitentem nolit hæc sciri, v. g., quia posset in suspicionem venire criminis gravioris. Item qui dicit pœnitentem non fuisse absolutum, quia non habebat materiam absolutionis, vel quia confessionem generalem non compleverat, vel quia Confessor alio vocatus est.

371. — III. Potest aliquis loqui ex notitia extra confessionem acquisita, modo nihil addat amplius, aut nulla ratione certius significet, quam quod illud novit extra confessionem, in quo certe magna prudentia et circumspectione opus est : unde debet de auditis in confessione, licet aliunde notis, omnino tacere, citra gravem necessitatem. Quæ necessitas si occurrat, tunc optimum erit addere circumstantias unde novit, v. g., quia vidit, vel a tali audivit, ne simplices offendantur, existimantes eum loqui ex notitia per confessionem parta.

372. — *Quæritur* 1° an superiores uti possint notitia confessionis *ad gubernationem externam, si nullo modo appareat*, quod *ex illa notitia se dirigant?*

Resp. Negative. Constat auctoritate Clementis VIII, decreto de *casibus reservatis*, 1594 : « Tam superiores pro tempore existentes, quam Confessarii, qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, *caveant diligentissime*, ne ea

notitia, quam de aliorum peccatis, *in confessione habuerint*, ad *externam gubernationem utantur*, atque ita per quoscunque Regularium superiores observari mandamus. »

Constat etiam ex decreto S. Congreg. Inquisit., 18 nov. 1682, prohibente, « Ne quis publice, aut privatim doceat, aut defendat licere uti scientia ex confessione acquisita cum *gravamine* pœnitentis, *quamvis secluderetur quæcunque ejus revelatio*, et quamvis multo majus gravamen ejusdem pœnitentis ex non usu sequeretur; mandante etiam universis Pœnitentiæ ministris, ut a tali doctrina in praxim deducenda prorsus abstineant. »

Revera, talis usus cederet in gravamen pœnitentium, qui scirent talem doctrinam passim doceri, et proinde a confessione retrahi possint.

Unde Confessarius quilibet et Superior debet in similibus se gerere tanquam si nihil sciret; « *audita enim in sola confessione minus scit, quam quæ nescit*, » inquit S. Augustinus; et « ex *confessione scitum*, dicit S. Thom., est *quasi nescitum*, » Supplem.; et Scotus : « cum id sciat (Confessarius) ut *Dei locum tenens*, non potest uti *pro humano commercio;* alias divina confunderet cum humanis. »

373. — *Quæritur* 2° quandonam denegari possit schedula confessionis, et quomodo conficienda sit, cum conceditur?

Resp. 1. Schedula confessionis denegari non potest pœnitenti indisposito extra confessionem eam petenti. Tunc enim uteretur notitia confessionis ad exterius agendum, et quidem cum magno pœnitentis gravamine.

Similiter denegari nequit illa schedula pœnitenti non absoluto, si agatur de iis circumstantiis ubi solet dari, vel a superioribus pœnitentis exigitur, ut sæpe fit tempore paschali pro alumnis collegiorum, famulis, etc. Talis denegatio in illis circumstantiis idem esset ac indirecte dicere pœnitentem se non esse rite confessum.

2. Denegari potest autem extra præfatas circumstantias, seu quando non solet omnibus dari, vel a superioribus non exigitur. Tunc revera Confessarius nihil dicit, sed se habet mere negative. Et hoc magis urget, si privatim,

nemine videnti, se confessus fuerit pœnitens. Attamen Confessarius non raro potest etiam tali pœnitenti confesso quidem, sed clare indisposito, dare schedulam confessionis ob varia incommoda, quæ ex ejus denegatione sequerentur, præsertim quando agitur de contrahendo matrimonio.

Denegari potest etiam, quoties pœnitens *simulatam* confessionem facit, v. g., ad pœnam fugiendam, infamiam vitandam, aut schedulam arripiendam. Cum enim in hoc casu nulla adsit confessio, nullum frangitur sigillum per schedulæ denegationem; aliunde schedulam confessionis concedendo, falsum assereret, nempe, ipsos fuisse confessos.

3. Confessarius tradens schedulam confessionis, declarare non debet pœnitentem fuisse *absolutum*. Daretur enim comparatio cum pœnitentibus, qui non possent declarari absoluti, et proinde sequeretur indirecta confessionis revelatio.

Sic autem confici solet illa schedula : « *Ego infra scriptus testor me audivisse confessionem domini N. die tali, etc,* Vel brevius : *Audivi talem in confessione, die, etc.*

374. — *Quæritur* 3° an Confessario licitum sit extra confessionem loqui *cum ipso pœnitente* de auditis in ejus confessione?

Resp, Illicitum est, nisi adsit pœnitentis *licentia expressa, omnino voluntaria,* et *non revocata,* alioquin confessio redderetur pœnitentibus odiosa.

Hinc Confessarius communionem denegare nequit pœnitenti etiam occulte petenti, cui prius denegavit absolutionem, si hic ad sacram mensam accedat; quia tunc externe contra pœnitentem ageret ex ejus confessionis notitia. Ita S. Ligor., n. 658, et alii, contra plures.

Attamen Confessor potest licite in tribunali pœnitentiæ, et intra claustrum sacramenti, cum pœnitente loqui sine licentia de rebus auditis in præcedentibus ejus confessionibus, dummodo aliqua subsit causa, ad procurandam emendationem pœnitentis, ad dandum ei remedium, ad suspendendam absolutionem, etc.

Similiter extra tribunale, juxta omnes Theologos, uti

potest notitia confessionis 1. ad orandum pro pœnitente, vel benignius erga ipsum agendum. 2. Ad consulendos libros, vel sapientes, prudenter, secluso revelationis periculo. 3. Ad se dirigendum per experientiam ex confessionibus acquisitam, v. g., ad rigorem temperandum, et ad se dirigendum ex confessione unius ad alios prudenter interrogandos, et vel instruendos, nullam dando prioris confessionis suspicionem. 4. Ad reformandos proprios mores : ad corrigendos proprios defectus, aut ad melius fungendum suo officio, v. g., ad socordiam exuendam, vigilantius in subditos invigilandum, seclusa revelationis suspicione, etc., quia quisque tenetur defectus suos corrigere statim ac ad ea advertit; nec potest ullus pœnitens rationabiliter offendi, quod Confessarius ob audita in confessione vitam in melius mutet. S. Ligor., n. 657.

Sic absoluta de remedio peccati post Baptismum commissi tractatione, sane ejusdem summum momentum neminem præterit. Utinam Confessores in illo administrando sint *servi fideles* et *prudentes,* atque adeo æternam percipiant mercedem, de qua loquitur S. Jacob. 5, v 20 : « *Qui converti fecerit peccatorem* ab errore viæ suæ, *salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum!* »

FINIS TRACTATUS DE POENITENTIA.

TRACTATUS

DE INDULGENTIIS ET SUFFRAGIIS

DECRETUM CONC. TRID. DE INDULGENTIIS, *Sess. XXV.*

1. Cum potestas conferendi Indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate, divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit : sacrosancta Synodus Indulgentiarum usum, christiano populo maxime salutarem, et sacrorum Conciliorum auctoritate probatum in Ecclesia retinendum esse docet et præcipit; eosque anathema damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.

In his tamen concedendis moderationem, juxta veterem et probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit, ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur.

Abusus vero, qui in his irrepserunt, et quorum occasione insigne hoc Indulgentiarum nomen ab hæreticis blasphematur, emendatos et correctos cupiens, præsenti decreto generaliter statuit, pravos quæstus omnes pro his consequendis, unde plurima in christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse.

Cæteros vero, qui ex superstitione, ignorantia, irreverentia aut aliunde quomodocunque provenerunt, cum ob multiplices locorum et provinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas, commode nequeant specialiter prohiberi : mandat omnibus Episcopis ut diligenter quisque hujusmodi abusus Ecclesiæ suæ colligat, eosque in prima Synodo provinciali referat, ut aliorum quoque Episcoporum sententia cogniti, statim ad summum Romanum Pontificem deferantur, cujus auctoritate et prudentia, quod universali Ecclesiæ expediet, statuatur; ut ita sanctarum Indulgentiarum munus pie, sancte et incorrupte omnibus fidelibus dispensetur.

OBJECTUM, UTILITAS, ET DIVISIO TRACTATUS

2. — Dictum est in Tract. *de Pœnit.*, n. 119, 268, 270, 274, dimissa culpa, sæpe remanere reatum pœnæ temporalis exsolvendæ, atque hanc pœnam redimi posse in hac vita sive ex opere operantis seu per laboriosa pœnitentis opera, sive ex opere operato seu vi satisfactionis sacramentalis.

Sed insuper duo sunt alii modi, quibus solvi potest illa pœna, scilicet, communicatione passionis aut actionis *alterius* pœnitentis facta vel per auctoritatem *publicam*, et tunc dicitur *indulgentia;* vel per *privatam* voluntatem et potestatem, et tunc dicitur *suffragium.* Præsens igitur Tractatus, qui est quasi supplementum Tractatus de *Pœnitentia*, absolvetur in duplici capite [1].

CAPUT PRIMUM

DE INDULGENTIIS

Dicemus 1° de Indulgentiis in genere; 2° de Jubilæo.

ARTICULUS PRIMUS

De Indulgentiis in genere.

Septem erunt paragraphi : 1° de notione Indulgentiarum et earum multiplici divisione; 2° de thesauro Indulgentiarum et de potestate Ecclesiæ Indulgentias concedendi; 3° de iis qui in Ecclesia possunt Indulgentias dispensare; 4° de subjecto Indulgentiarum; 5° de operibus ad Indulgentias consequendas præmittendis; 6° de variis Indulgentiarum et altaris privilegiati effectibus; 7° de duratione, cessatione et suspensione Indulgentiarum.

1. Circa Tract. *de Indulg. et Suffrag.* consuli possunt *Decreta authentica S. Congreg. Indulg.*, ab anno 1668, ad an. 1863, 1 vol. in-8°; Suarez, S. Ligorius.

§ I

De notione et speciebus Indulgentiæ.

3. — *Quæritur* 1° quid sit *Indulgentia ?*

Resp. Indulgentia definitur : *Remissio pœnæ temporalis peccato remisso debitæ, coram Deo facta ab Ecclesia, extra Sacramentum, per applicationem satisfactionum Christi et Sanctorum.*

1. *Remissio pœnæ temporalis;* nam Indulgentia non tollit peccatum, nec pœnam æternam.

2. *Peccato remisso debitæ;* nam pœna temporalis non remittitur per Indulgentiam, quandiu peccatum manet.

3. *Coram Deo;* nam Indulgentia non liberat a pœnis quæ debentur jure externo, sive ecclesiastico, sive civili; sed ab iis quas homo justitiæ divinæ persolvere debet.

4. *Facta ab Ecclesia extra Sacramentum;* per quæ verba distinguitur Indulgentia a remissione pœnæ quæ fit per sacramenta, Missæ sacrificium et per suffragia.

5. *Per applicationem satisfactionum Christi et Sanctorum,* quod constabit ex mox dicendis.

4. — *Quæritur* 2° quotuplex sit Indulgentia ?

Resp. Multiplex est. 1. Alia est *partialis,* alia vero *totalis* seu *plenaria. Partialis* est ea, quæ ad partem pœnæ remittendam conceditur, ut indulgentia septem annorum; quod sic intelligendum est, ut Indulgentia tantum pœnitentiæ et pœnæ remittat, quantum, secundum pœnitentiales canones, per septem annos subeundum erat, et proinde tantum pœnæ Purgatorii, quantum correspondet illi pœnitentiæ prescriptæ in canonibus; n. 35.

Quare Indulgentia *septennis* exprimit remissionem pœnæ, quæ per septem annos peragi deberet. Indulgentia *quadragenæ* significat remissionem pœnitentiæ, quæ quadraginta diebus agi debuisset; hæc etiam quadragena, si arctior esset, ita ut pœnitens solo pane et aqua deberet esse contentus per quadraginta dies, *Carena* dicebatur, quia sic continebat carentiam omnium fere ciborum. Itaque Indulgentia *Carenæ* significat remissionem pœnæ, quæ per quadraginta

dies in jejunio cum pane et aqua esset persolvenda, et consequenter remissionem pœnæ Purgatorii, quæ tali pœnitentiæ correspondet.

Indulgentia quæ pro tertia, vel quarta parte peccatorum conceditur, significat remissionem Pœnitentiæ, quæ pro tanta parte pœnæ peccatis debitæ expianda fuisset necessaria.

Plenaria seu totalis Indulgentia est ea, quæ sine limitatione conceditur ad totam pœnam debitam *Coram Deo* remittendam. Hæc aliquando dicitur plena, aliquando plenior, et aliquando plenissima; verum inter Indulgentiam plenam, pleniorem et plenissimam, non est differentia ratione primarii effectus Indulgentiæ, seu ratione remissionis pœnæ; nam per plenariam, sicut plenissimam, tota pœna remittitur. *Plenissima* dicitur indulgentia Jubilæi ratione solemnitatis et privilegiorum ipsi adnexorum, certioris pœnitentiæ et uberioris gratiæ, quæ illud comittantur, ex dicendis n. 42.

Itaque Indulgentia cognoscitur esse plenaria, quando in ejus litteris apponitur hoc vocabulum, *Plenaria*, vel aliquid æquivalens; vel quando datur talis pœnarum remissio, ut nullum sit verbum quod vel implicite vel explicite Indulgentiam restringat ad certam quantitatem pœnæ; partialis vero esse intelligitur, quando est aliqua particula, implicite vel explicite restringens ad certam pœnæ quantitatem.

2. Indulgentia alia est *temporalis;* quæ pro certo et determinato temporis spatio conceditur, v. g., pro 24 vel 40 horis; alia *perpetua,* quæ sine temporis limitatione concessa est, et alligata vel personæ, vel loco, vel alteri rei, ut granis benedictis, et similibus rebus.

3. Alia est *realis,* quæ alicui rei materiali annexa est; ut, v. g., Rosario; alia est *personalis,* quæ directe personæ conceditur sine determinatione ad certam rem materialem; denique est *localis,* quæ loco sacro est annexa.

4. Indulgentiæ aliæ dantur *in vita,* aliæ *in mortis articulo.* Si in Litteris Pontificiis exprimatur mortis articulus *verus,* tunc Indulgentiam non lucratur nisi qui revera paulo post absolutionem acceptam moritur. Si vero dicantur tantum

in mortis articulo, satis communis est sententia, tunc Indulgentiam obtineri in mortis articulo *præsumpto*, quamvis mors non sequatur.

§ II

De Ecclesiæ potestate Indulgentias concedendi.

Waldenses et Wiclefitas secuti Lutherus et Calvinus, omnem Ecclesiæ abjudicant potestatem Indulgentias concedendi, easque ut inutiles et fraudes audacius irrident. Sit contra eos omnes

PROPOSITIO PRIMA

5. — *Exstat in Ecclesia thesaurus Indulgentiarum compositus ex satisfactionibus Christi et Sanctorum.* Certum est.

Et quidem 1° *ex satisfactionibus Christi.* Nam 1. Christi satisfactiones fuerunt superabundantes : valor quippe satisfactionum Christi infinite superat omnium peccatorum gravitatem, sicut docetur in Tract. *de Incarn.*, n. 203 ; ergo inexhaustæ Christi satisfactiones supersunt, et proinde sunt applicabiles ad pœnæ remissionem.

2. Christus infinitas satisfactiones obtulit pro peccatis omnium hominum, eorumque remissione : tamen plures sunt quibus, quoad hunc effectum, *de facto* non applicantur satisfactiones Christi ; ergo plurimum remanet de Christi satisfactionibus. Omnes tamen pro nobis et in nostrum bonum sunt exhibitæ : et sicut in familia, quod sponsus acquirit, id sponsæ et filiis reliquit ; ita quod Christus, Ecclesiæ sponsus, suis satisfactionibus comparavit, id Ecclesiæ sponsæ reliquit in utilitatem filiorum, nempe fidelium ; ergo, etc.

2° *Ex satisfactionibus Sanctorum.* Sunt enim opera satisfactoria, quæ in ipsis Sanctis nullum effectum remissionis pœnæ habuerunt.

Constat enim plurima opera pœnalia a B. Virgine peracta fuisse, quorum tamen fructum, quoad pœnæ remissionem, non percepit ; nam ipsa pœnam non meruit, cum nec mortaliter, nec venialiter unquam peccaverit. 2. S. Joannes Baptista magnam egit pœnitentiam ; erat tamen

vir sanctissimus, et ab ipso Christo plurimum laudatus. 3. Innumeri sunt in Ecclesia Sancti qui, cum parum peccaverint, multa tamen passi sunt, atque etiam martyrium.

Porro, si hujusmodi opera, cujus valor satisfactorius non fuit perceptus ab illis qui ea perfecerunt, non possunt aliis ad remissionem pœnæ applicari, sequitur illa opera, *sub respectu satisfactionis,* esse inutiliter facta et sine remuneratione remanere : quod repugnat; ergo illæ satisfactiones possunt applicari aliis ad effectum remissionis pœnæ, suntque in thesauro Ecclesiæ.

Sub respectu autem *meriti gratiæ* et *gloriæ,* illa eadem opera jam mercedem habuerunt.

6. — Equidem nullomodo Sanctorum satisfactiones necessariæ sunt, quasi non sufficiant Christi satisfactiones, quæ sunt inexhaustæ. Sed Christus voluit illorum satisfactiones aliis prodesse posse, tum quia hoc Sanctis honorificum est; tum quia satisfactiones Sanctorum vim illam desumunt a satisfactionibus Christi, qui sic semper omnia est in omnibus; tum denique quia Christus vult suas satisfactiones applicari tantum modo finito, proindeque his aliæ adjungi possunt.

Hinc propositio Synodi Pistoiensis, in qua asserebatur, « Scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et Sanctorum, et claræ notioni absolutionis a pœna canonica substituisse confusam, et falsam applicationis meritorum ; » quasi thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat Indulgentias, non sint merita Christi et Sanctorum, hæc inquam, propositio damnata est a Pio VI, *Bulla Auctorem fidei,*, n. 41, tanquam « falsa, temeraria, Christi et Sanctorum meritis injuriosa, jam dudum in art. 17 Lutheri damnata. »

7. — *Quæritur* ubinam sit thesaurus indulgentiarum? *Resp.* Est in mente Dei, qui recordatur satisfactionum Christi et Sanctorum, et qui efficaciter movetur ad misericordiam præstandam iis, quibus applicantur ab Ecclesia.

PROPOSITIO II

8. — *Potestatem habet Ecclesia Indulgentias concedendi.* De fide est.

Prob. 1° *Script. Et tibi dabo claves regni cœlorum... Quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis;* Matth. 16, v 19. Quibus verbis Christus promittit se daturum S. Petro potestatem solvendi quæcunque vincula spiritualia : atqui unum e vinculis spiritualibus est pœna temporalis, quæ retardat ab ingressu cœli, et quæ non solum in sacramento, sed etiam *extra sacramentum* tolli potest ; ergo data est Ecclesiæ potestas extra sacramentum solvendi ab illa pœna temporali, per Indulgentiarum concessionem.

II Cor. 2, v 10, 8. Paulus, cum audivisset Corinthium incestuosum doluisse de peccato et pœnitentiam inchoasse, ne forte nimia tristitia absorberetur, illi reliquum pœnæ condonavit *in persona Christi ;* ergo *extra sacramentum* potest Ecclesia pœnas temporales condonare, et consequenter Indulgentias concedere.

2° *Traditione et usu primitivæ Ecclesiæ.* Nam sæpe tunc contingebat, ut pœnitentes ab Ecclesia peterent relaxationem pœnæ, quam ut impetrarent, postulabant a Martyribus in carcere detentis litteras commendatitias, per quas ipsi Martyres suas satisfactiones, et pœnas petebant iis pœnitentibus *applicari* ad pœnæ relaxationem, sicut colligitur ex Tertull., lib. ad Marc., cap. 1 ; et ex S. Cypr., Epist. 11 et 14. Deinde S. Greg. Magn. populo Indulgentias concessit, sicut ipsi Hæretici fateri coguntur.

Ex Conciliis I Nicæno, generali, can. 12 ; item Ancyrano et Laodicæno, ubi declaratur quod Episcopus possit pœnitentibus Indulgentiam præstare, ut non teneantur integrum tempus statutum pœnitentiæ persolvere. Eamdem veritatem definierunt posteriora Conc. generalia, ut Later. I et IV, Viennense, et Trid., n. 1.

Revera hæretici non possunt assignare originem sententiæ Catholicorum circa Indulgentias, nisi ad Apostolos ascendant ; dicant enim quisnam sit auctor doctrinæ de In-

dulgentiis, quonam in loco, et quonam in tempore inceperit. Omnes quippe Catholici semper de Indulgentiis locuti sunt tanquam de re usitata et ubique recepta. Notissima enim res est a Waldensibus primum negatas fuisse Indulgentias.

9. — *Quæritur* an Indulgentia concedatur per modum absolutionis aut solutionis sive vivis, sive defunctis?

Resp. 1. Vivis conceditur per modum tum absolutionis, tum solutionis : absolutionis quidem, quia concessio indulgentiæ est quidam actus jurisdictionis, quam superior exercet in subditum pœnam remittendo ; solutionis vero, quia fit per applicationem alicujus pretii, scilicet, per satisfactiones Christi et Sanctorum. At 2. respectu mortuorum, concessio Indulgentiæ est *mera solutio*, non vere absolutio juridica ; quia defuncti non pertinent amplius ad tribunal ecclesiasticum, nec subduntur jurisdictioni Prælatorum.

§ III

De iis, qui in Ecclesia possunt Indulgentias concedere.

Ad hoc ut Indulgentia ab aliquo dari possit, duo requiruntur : 1° auctoritas in conferente, et 2° aliqua sufficiens causa. Itaque

PROPOSITIO PRIMA

10. — *S. Pontifex, Cardinales et Episcopi possunt Indulgentias condere*. Certum est.

Constat S. Pontificem, utpote totius Ecclesiæ caput, qui in universa Ecclesia primatum tenet veræ jurisdictionis, posse, proprio et divino jure, omnibus Christi fidelibus Indulgentias plenarias elargiri.

2° De Cardinalibus colligitur ex consuetudine, secundum quam constat illos posse concedere Indulgentias centum dierum.

3° Juxta omnes, Episcopi, etiam nondum consecrati, sed confirmati, ex potestate extraordinarie adnexa suæ dignitati, possunt, in dedicatione alicujus ecclesiæ, indulgentiam unius anni concedere; et in cæteris casibus indul-

gentiam 40 dierum; atque hujusmodi indulgentiæ conceduntur tantum pro vivis ac pro diœcesanis, etiam exemptis. Idem potest Archiepscopus pro omnibus diœcesibus suæ provinciæ. Ita Conc. Lateran. IV. Eamdem potestatem delegare potest Episcopus etiam non sacerdotibus, modo sint clerici; eamque ipse amittit, si sit excommunicatus vitandus.

At, ex, decis. S. Congr. Indulg. 12 jan. 1878, 1. Episcopus, vel alius quicunque Prælatus non potest, *nisi novæ conditiones adimplendæ præscribantur*, eidem actui pietatis, sive eidem pio sodalitio, cui a R. Pontifice jam indulgentiæ sive plenariæ, sive partiales concessæ sunt, alias indulgentias adjungere, nec crucibus, coronis, sacris imaginibus a Papa vel sacerdote legitima facultate munito benedictis, novas adnectere.

2. Nec potest omnino Episcopus fidelibus diœcesis non suæ indulgentias concedere, etiam si Ordinarius loci consenserit; nec tolerari potest hujusmodi praxis, etiam nihil aliud intendatur, nisi ut per majorem numerum Prælatorum indulgentias concedentium, summa dierum indulgentiarum eidem actui devoto adnexarum multiplicetur.

3. Nec potest Episcopus eidem rei, vel eidem actui pietatis, cui jam antecessor indulgentias adnexuit, novas indulgentias applicare.

4. Nec potest Episcopus *in partibus*, quamvis auxiliaris sit Ordinarii alicujus diœcesis, indulgentiam quadraginta dierum concedere, sicut diœcesanus.

5. Nec potest Episcopus, quin limites sui juris excedat, ad augendas indulgentias, eumdem pietatis actum in partes dividere, et, v. g., pro omni verbo Salutationis angelicæ quadraginta dies indulgentiarum concedere.

6. Delegatus Apostolicus consultius abstinebit in concedendis, virtute facultatum quas a S. Pontifice accepit, indulgentiis, a concurrendo cum uno vel altero Episcopis territorii delegationis suæ, ut idem objectum vel eumdem actum pietatis indulgentiis ditet.

7. Prælati, quibus privilegio apostolico data est facultas concedendi in quibusdam solemnibus festivitatibus per annum indulgentias plenarias, debent hac facultate uti per modum actus toties, quoties talis solemnitas occurrit; non vero possunt unica concessione eamdem indulgentiam extendere ad

omnes solemnitates periodo annorum recurrentium, aut in perpetuum. Vide *Institut. canonicas*, Tract. 4, n. 94.

Præter illos quos assignavimus, non sunt alii quibus hæc potestas competat; nam neque Abbatibus, neque Parochis, neque aliis Sacerdotibus convenit, licet tamen ex delegatione convenire posset.

PROPOSITIO II

11. — ***Superior sine justa causa non potest, sive licite, sive valide, Indulgentias concedere.*** Certum est.

Prob. ex Extravag. *Unigenitus*, ubi Clemens VI declarat Christum Ecclesiæ reliquisse thesaurum, sed salubriter et ex justis causis dispensandum. Idem habet Martin. V, supra citatus.

Et vero S. Pontifex est tantum dispensator thesauri Ecclesiæ, non dominus : non *licet* autem dispensatori, sine causa rationabili, largiri bona sibi commissa; alioquin potius esset dissipator, quam dispensator.

Nec potest S. Pontifex sine justa causa *valide* dispensare in iis, quæ sunt jure divino, ut patet de juramento et voto. In quibus dispensatio nulla est, si fiat sine justa causa : at concessio Indulgentiarum est quædam concessio et dispensatio in jure divino; nam tenetur peccator jure divino pœnam temporalem solvere. Aliud dicendum de *privilegiis* Indulgentiæ annexis, quæ, utpote de jure Ecclesiastico, a S. Pontifice semper valide conceduntur.

12. — *Quæritur* quænam causa requiratur ut Indulgentia possit legitime concedi?

Resp. Duo præsertim requiruntur : 1. ut concedatur Indulgentia ob pium aliquem *finem*, cujus assecutio sit magis Deo honorifica, et Ecclesiæ utilior, quam pœnitentialis satisfactio, quæ per Indulgentiam relaxatur. 2. Ut ad Indulgentiam illam percipiendam *opus* aliquod præscribatur, quod aptum sit et utile ad finem illum consequendum. V. g., quando, ut ordinarie fit, S. Pontifex aliquas preces et alia pietatis opera præcipit ad indulgentias lucrandas *secundum suas intentiones* perficienda, id est, « pro Ecclesiæ

catholicæ et Apostolicæ Sedis prosperitate et exaltatione, pro exstirpatione hæreseon, omniumque errantium conversione, pro christianorum principum concordia, ac totius populi pace et unitate, ac juxta mentem S. Pontificis pias ad Deum preces effundere. » Leo XIII, Encycl. *Pontifices*, 15 febr. 1879.

Cæterum, sicut Deus æternam condonat pœnam per minimum contritionis actum; sic S. Pontifex pœnæ temporalis reatum condonare potest per opus quodlibet a se præscriptum pro lucrandis indulgentiis; aliunde frustraneæ evaderent indulgentiæ, si ad earum valorem et consecutionem requireretur opus æquipollens eisdem indulgentiis.

De illa vero causa judicium esse debet penes ipsum qui concedit Indulgentias, ut notat Bellarm. ; nec subditorum est de hujusmodi causis temere judicare. Imo periculosum est quascunque Indulgentias, quibuslibet ex causis concessas, parvifacere.

§ IV

De Indulgentiarum subjecto, et ejusdem dispositionibus.

Indulgentiæ applicantur vivis, aut defunctis. Unde

PROPOSITIO PRIMA

13. — *Omnis et solus baptizatus fidelis est capax Indulgentiarum, prout per modum absolutionis applicantur*. Certum est.

1° Omnis *baptizatus fidelis*. Hi enim omnes sunt capaces Indulgentiarum, qui sunt Ecclesiæ subditi, seu sub ejus jurisdictione, et possunt esse participes bonorum spiritualium communium Ecclesiæ : atqui talis est baptizatus fidelis; ergo, etc.

2° *Solus* baptizatus fidelis. Nam cæteri omnes vel sunt Infideles, vel Catechumeni, vel Hæretici et Apostatæ, vel Excommunicati : atqui tales non possunt lucrari Indulgentias.

1. Non Infideles et Catechumeni; Ecclesia enim veram jurisdictionem non habet in Infideles et Catechumenos, quia non sunt baptizati.

Attamen Catechumeni possunt per modum *solutionis et suffragii* Indulgentias percipere; illas tamen recipere non possunt per modum *absolutionis*, neque prout communiter ab Ecclesia conceduntur. Nam in concessione Indulgentiarum SS. Pontifices solent declarare se illas distribuere baptizatis fidelibus, qui talia opera exercuerint, v. g., sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ susceperint; quæ proinde concessio non potest ad Catechumenos extendi.

2. Nec Hæretici et Apostatæ, quia illi sunt extra Ecclesiam et privantur bonis communibus Ecclesiæ, quæ per indulgentias applicantur.

3. Nec Excommunicati, quia Indulgentia est applicatio bonorum communium Ecclesiæ seu satisfactionum Christi et Sanctorum, prout Ecclesiæ thesaurum constituunt, a quibus privat excommunicatio.

PROPOSITIO II

14. — *Ad fructum Indulgentiæ percipiendum in hac vita, requiruntur status gratiæ et exsecutio operum injunctorum, cum intentione saltem virtuali lucrandi indulgentiam.*

1° *Gratiæ status.* Fructus Indulgentiæ est remissio pœnæ temporalis : atqui remissio hujus pœnæ non fit nisi supposito gratiæ statu, siquidem supponit remissionem peccati mortalis; ergo, etc.

Status autem gratiæ requiritur, eo instanti quo fructus seu remissio pœnæ percipiendus est, ut constat ex 1ª parte propositionis, id est, quando *ultimum opus* perficitur; et ideo non requiritur ut omnia opera præscripta fiant in statu gratiæ, quia SS. Pontifices in Bullis suis id communiter non postulant. S. Ligor., n. 534. Attamen, si, ad indulgentiam lucrandam, præscribatur absolutio sacramentalis aut communio, requiritur, juxta omnes, *condigna* absolutio sive communio.

2° *Exsecutio operum injunctorum,* ut infra n. 22, et seq.

3° *Cum intentione saltem virtuali lucrandi Indulgentiam;* et hoc certum est, si indulgentia concedatur cum intentione sibi proponenda; *multo probabilius* autem et *practice tenendum* in aliis casibus; quia hanc intentionem *positivam,* sal-

tem virtualem, exigit finis ab Ecclesia intentus in concessione Indulgentiarum, quæ dantur ad excitandam pietatem, et quia in hac materia non valet probabilitatis usus.

Unde praxis piorum fidelium est ab initio cujusque diei elicere intentionem lucrandi omnes quascunque indulgentias adnexas omnibus actibus et operibus, quæ intra eamdem diem perficient, et easdem sibi aut talibus vel talibus animabus in Purgatorio detentis applicandi.

15. — *Quæritur* 1° utrum fructus Indulgentiæ habeatur, si opus injunctum fiat cum aliquo peccato mortali aut veniali?

Resp. Distinguendum est, scilicet : vel peccatum est mere *extrinsecum* operi injuncto, v. g., si quis ex bono fine et debitis circumstantiis ecclesiam visitet, et interea mendacium proferat; vel peccatum est operi injuncto intrinsecum, ita ut illud afficiat quatenus finis aut circumstantia, v. g., si quis jejunet vel det eleemosynam ex vana gloria. Si prius peccatum non impedit quin opus sit aptum ad fructum indulgentiæ consequendum, cum se habeat uti mere accidens ad illud opus : si posterius, opus injunctum est eo ipso peccaminosum ex parte finis aut alicujus circumstantiæ, et ideo nedum aptum sit ad obtinendam pœnæ remissionem, e contra ipsum novam pœnam meretur.

15². — *Quæritur* 2° an peccatum *veniale* sit obex ad lucrandam indulgentiam?

Resp. Negative. Etenim peccatum mortale remitti potest, quin remittantur omnia venialia, et unum veniale, quin alia remittantur venialia, ex dictis in Tract. *de Pœnit.*, n. 170, 171; ac proinde, remisso mortali, aut aliquo veniali, si ex hoc vel illo remaneat pœna luenda, hæc per indulgentiam remitti potest, etiamsi aliud peccatum veniale non remittatur. S. Ligor., lib. 6, n. 534, etc.

16. — *Quæritur* 3° quid requiratur ad lucrandam indulgentiam plenariam, et an *partialiter* tantum lucrari possit?

Resp. 1. Ut integer fructus plenariæ indulgentiæ percipiatur, requiritur et sufficit ut omnis voluntarius affectus erga quodlibet peccatum etiam veniale sit retractatus. Et quidem requiritur, quia, remanente culpa, eo ipso remanet expianda pœna tali culpæ debita; sufficit autem, eo quod, sublata culpa, jam nihil obstat quin tollatur pœna per legitimam applicationem satisfactionum Christi aut Sanctorum.

2. *Partialiter* lucrari potest indulgentia plenaria, quando integre non lucratur, nempe, ob affectum ad aliquod veniale : tum quia, ex dictis, n. 15[2], remanente aliqua culpa veniali, nihilominus tolli potest pœna aliis peccatis jam remissis debita; tum quia S. Pontifex non præsumitur quod indulgentiæ plenariæ concessionem restringat ad casum, in quo integraliter lucratur; alioquin illa indulgentia plerumque nihil prodesset, imo potiores essent ordinarie indulgentiæ partiales quam plenariæ : quod sensui communi repugnat. S. Ligor., n. 534.

17. — *Quæritur* 4° an sufficiat opus determinatum implere per alium?

Resp. Id sufficit respectu quorumdam operum, non autem respectu omnium : sunt enim quædam opera personalia, quæ non possunt dici esse alicujus, nisi ipse ea exsequatur, v. g., jejunium. Alia vero sunt quæ possunt dici esse alicujus, quamvis ipse illa per alium ut instrumentum efficiat v. g., eleemosyna. Atqui hæc opera possunt impleri per alium, non vero priora, nisi forte contrarium in Bullis exprimatur.

17[2]. — *Quæritur* 5° an quisque lucrari possit indulgentias pro alio quolibet christiano *vivente*, per modum *solutionis* seu *satisfactionis*, n. 9?

Resp. *Affirmative*, si ab Ecclesia hoc modo concedatur indulgentia; sed de facto ordinarie non conceditur indulgentia vivis applicabilis, ne eorum pigritiæ faveat.

PROPOSITIO III

18. — *Animæ in Purgatorio detentæ possunt per Indulgentias juvari.* Certum est.

Constat 1° *ex decretis* SS. Pont. Sixti IV adversus Petrum de Osma, et Leonis X, in Bulla contra Lutherum, ubi hanc veritatem stabiliunt.

2° *Ex praxi Eccl.*, ex qua constat antiquum morem fuisse ut Indulgentiæ defunctis applicarentur; suntque multæ pro animabus Purgatorii Indulgentiæ a SS. Pontificibus ab antiquis temporibus concessæ. Aliunde contraria sententia a synodo Pistoiensi asserta, damnata est Bulla *Auctorem fidei*, tanquam « falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in Romanos Pontifices, et in praxim et sensum universalis Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem hæreticali nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in art. 22 Lutheri. »

19. — *Quæritur* autem 1° quænam sint conditiones ut Indulgentiæ defunctis applicari possint, et quomodo illis prosint?

Resp. 1° Ut Indulgentiæ defunctis applicari possint, duæ requiruntur conditiones, nempe, ut tanquam illis *applicabiles* in Rescripto S. Pontificis specialiter concedantur: ut adsit intentio talem applicationem faciendi.

In concessionibus Indulgentiarum ordinarie dicitur « easdem Indulgentias applicabiles esse *etiam* animabus in purgatorio detentis; et, ex decis. S. Congr. Indulg., 15 janv. 1839, vox *etiam* exclusive tantum accipienda est, ita ut Christifidelis ad libitum aut *tantum* pro se, *aut* pro defunctis *tantum* indulgentiam lucrari possit et valeat. Attamen Pius IX, 25 apr. 1875, declaravit indulgentiam Jubilæi illius anni *cumulative* pro se *et* pro defunctis lucrari posse.

Cæterum, Indulgentia applicari nequit defunctis per modum *absolutionis*, n. 9, sed tantum per modum suffragii, id est, Deum deprecando ut benigne velit talem applicationem acceptare et animabus Purgatorii applicare; vide Tract. de *Euchar.*, n. 197. Nam S. Pontifex jurisdictionem

non habet in animas defunctorum, et ideo eas absolvere a pœnis velut per sententiam non potest. Unde

2° Disputant auctores an indulgentia *infallibiliter* prosit animabus Purgatorii, quibus applicatur. Alii affirmant, quia Christus dedit Ecclesiæ potestatem clavium, his verbis : *Quodcunque solveris*, etc. : porro concessio Indulgentiæ pro defunctis est vere actus clavium, cum procedat ab auctoritate apostolica; et aliunde clavis semper aperit, positis debitis conditionibus; ergo Indulgentia semper est efficax et infallibilis tam pro defunctis, quam pro vivis, modo adsint requisita. Ita Suarez.

Alii negant; quia nulla adest promissio divina, vi cujus Deus censeatur Indulgentiam oblatam certo acceptare. Revera, ex usu Ecclesiæ, multis annis continuis pro eisdem animabus celebrantur sacra etiam in altaribus privilegiatis, seu quibus inhæret privilegium Indulgentiæ plenariæ : porro inanis esset illa praxis, si statim in primo sacro illis applicato liberarentur. Ita S. Ligor., n. 534, Billuart, *Append.*, art. 6.

Quidquid sit, certum est Indulgentias defunctis, ut plurimum saltem, prodesse; alioquin inutile quid ageret Ecclesia eas ipsis applicando : quod absque impietate dici nequit.

20. — *Quæritur* 2° an applicatio *specialis* facienda sit *certis* animabus determinatis, vel generalis sufficiat?

Resp. Si quis velit restringere applicationem suam, tunc animas quasdam determinare debet.

Sed, ut in genere prosit illa applicatio, sufficit quod fiat omnibus animabus in Purgatorio degentibus; suffragia enim sunt divisibilia, et ideo in omnes animas distribui possunt. Constat aliunde ex praxi Ecclesiæ, quæ jubet Missas celebrari pro defunctis in genere, præsertim die secunda novembris. Item, quando fiunt collectæ in ecclesiis pro *animabus Purgatorii*, Missæ inde celebrandæ pro omnibus in genere applicari debent. Pius est usus applicare Indulgentias animabus majori auxilio indigentibus. Quoad Indulgentiam altaris privilegiati, vide n. 36.

21. — *Quæritur* 3° an requiratur status gratiæ ad lucrandum Indulgentias pro defunctis?

Resp. Controvertitur. Alii communius affirmant, quia nemo potest alteri applicare Indulgentiam, nisi prius suam fecerit; suas autem Indulgentias facere nequit ille, qui in statu peccati mortalis versatur, n. 14; S. Ligor., n. 534.

Alii negant, quia opus ponitur tanquam conditio, qua posita, S. Pontifex applicat defuncto Indulgentiam, seu satisfactiones Christi et Sanctorum. Ita Suarez, Billuart, etc, Prior sententia tutior est et omnino commendanda, ita ut fideles prius cum Deo reconciliari curent, quam pro aliis satisfacere satagant.

Animæ in Purgatorio detentæ plurimum juvantur, non solum per Indulgentiarum applicationem eis factam, sed etiam per sacrificium Missæ. Tract. *de Euchar.*, n. 201, 245, et per suffragia, ut infra, n. 58.

§ V

De operibus ad indulgentias consequendas præmittendis.

Dicemus 1° de necessaria exsecutione operum injunctorum ad consequendas indulgentias generatim sumptas; 2° de specialibus operibus ad quasdam particulares indulgentias lucrandas.

NUMERUS PRIMUS

De necessaria exsecutione operum injunctorum ad consequendas Indulgentias generatim sumptas.

PROPOSITIO

22. — *Ad consequendas Indulgentias prærequiritur exsecutio operum injunctorum.* Certum est.

Indulgentiæ enim tantum valent quantum sonant, juxta commune axioma; ergo, quando Indulgentia datur sub conditione alicujus operis peragendi, necessarium est *tale opus* adimplere.

« Quod si aliquod ex operibus injunctis, sive per inscitiam, impotentiam, vel quacunque alia causa vel omnino vel in parte *notabili* non servetur aut prætermittatur, in-

dulgentiæ minime acquiruntur. » Ita S. Congr. Indul., 18 febr. 1835.

Lucratur vero indulgentia, qui *minimam* tantum operis præscripti partem prætermittit; atque pars minima *respective* sumenda est. Sic, in Rosario, omissio unius *Pater* et *Ave* minima videtur. S. Ligor., lib. 6, n. 524.

23. — *Quæritur* 1° quænam sit conditio infirmorum et surdorum mutorum quoad opera perficienda pro lucrandis indulgentiis?

Resp. 1° Ex decreto 18 sept. 1862, a S. Pontifice confirmato, *infirmi*, qui nec e domo egredi possunt, nec frequentius recipere sacram Eucharistiam, exceptis tamen illis qui in communitate morantur, acquirere possunt omnes et singulas indulgentias plenarias jam concessas vel in posterum concedendas, pro quarum acquisitione præscripta est sacra communio et visitatio alicujus ecclesiæ vel publici oratorii in locis in quibus vivunt, dummodo vere pœnitentes confessi, ac cæteris omnibus absolutis conditionibus, si quæ injunctæ fuerint, loco communionis et visitationis, alia pia opera a respectivo confessario injungenda, fideliter adimpleant.

Hujusmodi commutatio in sola confessione fieri potest, juxta Benedict. XIV, Constit. *Inter præteritos*, § 63. Attamen fieri potest etiam extra actum sacramentalis confessionis saltem pro Jubilæi operibus, ex decis. S. Pœnitent. pro Jubilæo an. 1865; vide n. 48.

2° *Surdi-muti* possunt lucrari indulgentias quibus adnexæ sunt orationes *vocales*, modo sequentia servent, ex benigna concessione Pii IX, 15 mart. 1852, scilicet : 1. si ecclesia aliqua visitanda sit, satis erit ut in eam adeundo surdimuti mente et affectu Deum orent; 2. si publicæ preces habendæ sint, non aliud requiritur, nisi ut fidelibus adunatis pia mente conjungantur; 3. si orationes privatæ sint recitandæ, a Confessario commutationem in alia quævis opera obtinere poterunt.

25. — *Quæritur* 2° utrum ad fructum Indulgentiarum percipiendum requiratur *confessio sacramentalis?*

Resp. Distinguendum est : scilicet, vel agitur de indulgentia *partiali*, vel de *plenaria*.

Si prius, nunquam requiritur confessio sacramentalis. In Indultis autem, quibus partiales indulgentiæ conceduntur, adhibetur clausula : *corde saltem contrito*. Quæ porro clausula non inducit veram conditionem, ita ut actus contritionis sit pars operis injuncti, sed duntaxat meram dispositionem requisitam pro iis, qui sunt in statu peccati mortalis, non vero pro iis, qui sunt in statu gratiæ. Ita S. Congr. Indulg., 17 dec. 1870.

Si posterius, id est, si agatur de plenaria indulgentia, requiritur confessio sacramentalis, quando in Bullis Indulgentiarum injuncta est, vel quando quis habet tantum peccati mortalis attritio, ita ut sine sacramento Pœnitentiæ statu gratiæ maneret destitutus, eo præcise tempore quo quis indulgentiam lucrari debet.

Itaque in Bullis vel nulla fit mentio confessionis sacramentalis, vel confessio disjunctive exprimitur hoc modo, *contritis aut confessis :* et tunc confessio non est necessaria, sufficitque contritio perfecta in his, qui habent peccatum mortale (nisi Eucharistia sit recipienda); vel in Bullis præscribitur confessio sacramentalis, et tunc necessaria est; sed si peccata confessa venialia sint, non requiritur *absolutio*. Ita S. C. Ind., 14 dec. 1841. Cæterum, ex Rescriptis variarum concessionum, ad plerasque indulgentias plenarias requiritur confessio.

Quæ autem expleri potest etiam in pervigilio festivitatis, pro qua concessa est indulgentia, scilicet, a primis vesperis usque ad occasum solis ejusdem diei festi, ex decreto 19 maii 1759.

Idem dicendum est de aliis indulgentiis spatio unius diei lucrandis, quæ, videlicet, conceduntur non ratione festivitatis occurrentis, sed alia qualibet ex causa ; quemadmodum usu venire solet pro sextis feriis mensis martii, oratione quadraginta horarum, aliisque casibus similibus quibuscunque. Ita ex decreto 6 oct. 1870.

Sed etiam communio ad indulgentiam lucrandam requisita, peragi potest die, qui immediate præcedit sequentem

pro quo concessa est indulgentia. Ita ex decretis 12 jun. 1822, et 6 oct. 1870.

Imo, ex Indulto 9 dec. 1763, in perpetuum concesso, fideles qui *semel saltem in hebdomada*, ad sacramentum Pœnitentiæ accedere, nisi legitime impediantur, consueverunt, omnes quascunque indulgentias in hebdomada occurrentes consequi possunt, dummodo in statu gratiæ permaneant. Excipiuntur indulgentiæ jubilæi, tam ordinarii, quam extraordinarii, aliæque ad instar jubilæi concessæ, pro quibus paragenda est confessio tempore in earum concessione præscripto ; ita in eodem Indulto ; vide, n. 53.

Item pro fidelibus, qui, *ob inopiam confessariorum*, nequeunt frequenter confessione sacramentali expiari, sufficit confessio peracta *infra hebdomadam* ante festivitatem, tum ad lucrandam indulgentiam festivitati annexam, ex decret. 12 jun. 1822, tum ad lucrandas omnes et quascunque indulgentias, excepta indulgentia Jubilæi ut supra, occurrentes infra illam hebdomadam, a die confessionis usque ad festivitatem, ex decret. 15 dec. 1841, 4 dec. 1843. *Per festivitatem* hic intelligitur festivitas sive de præcepto, sive non, imo dies quælibet, qua quis sibi proponit lucrari indulgentiam plenariam. Proinde hæc duo locum non habent, quoties non verificatur conditio, *ob inopiam confessariorum* : et confirmatur decreto 12 mart. 1855. Ita contra Scavini, Bouvier, Gousset, Gury, qui contrarium asserunt vel supponunt.

Tandem, Episcopi non pauci, præsertim in Gallia, obtinent a Curia Romana extensionem illius privilegii *certo tempore* renovandi, ad eos qui *bis* tantum *in mense* confitentur, licet adsit copia confessarii.

In quonam sensu sumi debeant verba : *infra hebdomadam, semel saltem in hebdomada, infra duas hebdomadas, bis in mense*, S. Congr. Indulg., 23 nov. 1878, respondit : « Confessio præscripta per *singulas hebdomadas* peragi debet *quolibet decurrente septem dierum spatio*. — Confessio præscripta *infra duas hebdomadas* peragi debet *quolibet decurrente quatuordecim dierum spatio*. »

Alia autem opera, præter confessionem et communio-

nem, præscripta ad lucrandam plenariam alicui diei affixam, non possunt anticipari seu pridie fieri, nec proinde illa indulgentia pridie lucrifieri, ex decis. S. Cong. Indulg., a S. Pontifice approbata, 12 jan. 1878.

Ex eadem decisione, quando in decretis aut Brevibus non habetur clausula : *A primis vesperis usque ad occasum solis,* indulgentiæ lucrandæ incipiunt a media nocte ad mediam noctem.

26. — *Quæritur* 3° an per opera *alias præcepta* satisfieri possit obligationi opera ad Indulgentiam lucrandam injuncta prestandi?

Resp. Generatim hoc fieri nequit, nisi expresse dicatur in Indulto, quo conceditur indulgentia. Opus enim ad lucrandam indulgentiam requisitum, quatenus sponte susceptum, distinguitur ab opere vere præscriptum. Aliunde confirmatur decisione 29 maii 1841, qua dicitur per preces obligatorias, v. g,, Horas canonicas, non posse satisfieri precibus a S. Pontifice prescriptis ad lucrandam indulgentiam plenariam.

Attamen, ex decisione 10 maii 1844, communio pascalis sufficit ad lucrandam qualemcunque indulgentiam plenariam, modo non sit concessa in forma jubilæi; n. 54. Similiter, si jubilæo extraordinario, in quo jejunia præscribuntur, occurrat tempus quadragesimale, tunc per eadem jejunia utrique obligationi satisfit, ex decis. S. Pœnit., 1865, 26 febr. 1879, n. 52.

Insuper Romæ viget praxis imponendi pro pœnitentia sacramentali opera, quibus adnexæ sunt indulgentiæ, et hujusmodi usus a S. Pontifice implicite comprobari videtur.

27. — *Quæritur* 4° utrum, repetitis operibus injunctis, quis possit *eadem die diversas,* aut *pluries easdem* indulgentias lucrari?

Resp. 1. Quoad Indulgentias *diversas*, eodem die lucrari possunt, sive agatur de plenariis aut de partialibus, sive de personalibus aut de localibus indulgentiis, dummodo pro-

gentias titulo variarum confraternitatum, eas cognoscant.

Requiritur tamen ut moribundus secum habeat res quibus affixæ sunt indulgentiæ, scilicet, rosaria, cruces, etc., eo sensu quod res illæ debent esse saltem in lecto, vel juxta moribundum appensæ, licet ille nec videat, nec tangat, nec sciat aut recordetur se habere.

2° Indulgentia *plenaria* in articulo mortis per *solam benedictionem Apostolicam* concessa, plura requirit ex parte sive Sacerdotis, sive infirmi.

Ex parte Sacerdotis requiritur 1. ut sit delegatus ad illam benedictionem impertiendam, et quidem pro loco in quo dat illam benedictionem; « nec requiritur ut illa subdelegatio fiat *singulis speciatim* sacerdotibus et *in scriptis*, licet tamen *hoc sit consultius;* » ita S. Congr., 15 nov. 1878. 2. Ut, si ægrotus voluerit confiteri, audiat illum et absolvat : si confessionem ægrotus non petat, excitet illum ad actum contritionis. 3. Ut adhibeat formulam a Benedict. XIV præscriptam, quæ non est tantum directiva, sed præceptiva, et hoc quidem sub pœna nullitatis, ex decis. Congr. 6 febr. 1841.

Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque *confiteor* dicendi, neque præmissarum precum recitandarum tempus suppetat, statim Sacerdos benedictionem ei impertiatur, id est, incipiat a verbis : *Dominus noster*, etc., juxta Breviarum Romæ impressum 1843, vel, ut ait Catalanus, dicat hanc benedictionem : *Benedicat te omnipotens Deus, Pater, et Filius et Spiritus Sanctus, Amen;* vel, juxta præfatum Breviarium, utatur hac formula : *Indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti.*

Si benedictio apostolica immediate post Viaticum et Extremam Unctionem impertiatur, *Confiteor* ante applicationem Indulgentiæ repetendum est; ac proinde necesse est tribus vicibus recitare *confiteor,* quando administrantur Viaticum, Extrema Unctio, ac indulgentia in articulo mortis impertitur, ex decis. Congr., 6 febr. 1841.

Ex parte infirmi requiritur 1. mortis articulus, per quem intelligitur non quidem agonia, sed evidens ac immi-

nens mortis periculum; et multo utilius et securius Indulgentia applicatur, dum infirmus propria dispositione ad illam se præparare potest. Dubium est an valide concedatur illis, qui quidem tam graviter infirmantur, ut extrema Sacramenta ipsis ministrentur, sed tamen morti non sunt ita proximi, ut in articulo mortis constituti dici possint. Unde in hoc casu *differenda est Indulgentia*, si Sacerdos delegatus, periculo magis urgente, facile accedere, aut advocari possit; si sit vero magna distantia, mox applicari consultum est.

2. Requiritur etiam, præter statum gratiæ, et intentionem saltem virtualem, n. 14, actus contritionis et charitatis, susceptio mortis de manu Domini æquo ac libenti animo, confessio et sacra communio; et, si id facere nequiverit, saltem contritus devote invocet nomen Jesu ore, si potuerit, sin minus corde. Imo, juxta plures, invocatio nominis Jesu saltem corde requiri videtur etiam in iis, qui Sacramentum Pœnitentiæ et Viaticum recipiunt. Cæterum, ex rubrica benedictionis, impertienda est illa benedictio etiamsi infirmi linguæ cæterorumque sensuum usu sint destituti, aut in delirium vel amentiam inciderint.

An sufficiant confessio et communio in infirmitate ministrata; vel an infirmus, qui ab aliquibus diebus est confessus et communicavit, iterum, si possit, confiteri et communicare teneatur ad lucrandam Indulgentiam, non constat; unde tutius certo erit, iterum confiteri et communicare, si commode fieri possit.

Quæ benedictio apostolica *iterari* potest in *diverso* mortis articulo, non autem in eodem articulo, etsi aliquo tempore perdurante. Unde, si cesset mortis articulus et infirmus convalescat, et deinde quacunque de causa in novum mortis periculum reincidat, licet ex eodem morbo, potest iterari illa benedictio.

Iterari etiam potest, si prior applicatio invalida fuerit defectu conditionum requisitarum; et, cum inter illas conditiones gravis infirmitas numeretur, si data fuerit, stante dubio de mortis articulo, applicatio sub conditione repetenda est.

30. — *Quæritur* 3° quid requiratur ad consequendas Indulgentias pro visitatione *quatuordecim stationum viæ Crucis* concessas ?

Resp. Nihil aliud requiritur, quam, divini nostri Redemptoris passionem meditando, ex una ad aliam stationem se conferre, in quantum multitudo personarum prælaudatas stationes visitantium, vel capacitas loci in quo eædem sunt exactæ, permittat, ita tamen ut semper adsit *aliqualis corporis motus*. S. Congreg., 23 sept. 1829, 30 sept. 1839, 26 feb. 1841. Attamen, ex S. Congr. decreto, 22 jan. 1878, fideles non lucrantur indulgentias viæ crucis, quando non visitant quatuordecim stationes *uno eodemque die*, et etiam *uno tractu*, sed interposito majori minorive inter stationes intervallo.

Præterea, vi Indulti a Clement. XIV emissi, qui, legitime impediti, non possunt ad ecclesiam se conferre pro visitatione stationum viæ crucis, nihilominus lucrantur indulgentias pro tali visitatione concessas, quoties utuntur crucifixo ad hoc ex speciali facultate benedicto, atque recitant quatuordecim *Pater* et *Ave*, et etiam sex *Pater, Ave* et *Gloria*. Imo Pius IX, in Brevi, 18 dec. 1877, concessit quod, ex speciali facultate, viginti *Pater* et *Ave*, et sex *Gloria* in aliud opus commutari possint pro illis qui, gravi morbo prostrati, illas orationes recitare nequeunt. Vide n. 32, 39.

Tandem, ex decis. S. Congr., 20 jun. 1879, 1. Parochi consensus in scriptis redactus non requiritur pro erectione stationum viæ crucis in hospitalibus, ecclesiis, capellis ac domibus Congregationum sororum, de jure haud exemptis a parochiali jurisdictione, sed de facto, juxta morem in Gallia vigentem, administratis independenter a parocho, per Capellanum nominatum ab Episcopo ; 2. sub nullitatis pœna consensus Ordinarii requiritur pro singulis casibus, et pro unaquaque stationum erectione ; 3. pro validitate benedictionis crucium stationum viæ crucis, sufficit ut benedictio *post* ipsarum affixionem impertiatur. Vide *Acta S. Sedis*, t. 12, p. 118, 122 ; 4. ex decreto 31 jul. 1883, convalidantur viæ crucis stationes hucusque invalide erectæ.

31. — *Quæritur* 4° quid requiratur ad lucrandum indulgentias pro *recitatione Rosarii* concessas?

Resp. 1. Quando pro Coronis B. M. V. de licentia Sedis Apostolicæ applicata fuit benedictio cum indulgentiis S. Birgittæ nuncupatis, fideles illas Coronas recitantes non tenentur meditari quindecim mysteria Domini Nostri Jesu Christi, ut Indulgentias percipere valeant. Nec datur etiam hæc obligatio, si benedictio respiciat Indulgentias consuetas, quæ citantur in subsequenti *nota*.

2. Datur præfata obligatio, si Coronæ benedicantur cum Indulgentiis pro recitatione Rosarii.

3. Quando requiritur meditatio mysteriorum, sufficit meditatio mentalis eodem tempore, quo recitantur Oratio Dominicalis et Salutationis angelicæ; pro personis idiotis sufficit tantum recitatio Rosarii absque mysteriorum meditatione. Tria illa responsa dedit S. Congreg. 1 jun. 1839.

4. Fideles qui non uno tractu, sed diversis temporibus, intra tamen ejusdem diei spatium, recitant quinque denaria Rosarii B. M. Virginis, non acquirunt indulgentias ipsis concessas pro *recitatione quotidiana unius coronæ;* confratres autem Rosarii lucrantur indulgentias ipsis concessas pro recitatione integri Rosarii infra hebdomadam, licet in plures quam tres partes dividantur quindecim denaria. Ita ex decis. S. C. Indul., 22 jan. 1878.

5. Ex decreto Pii IX, 22 jan. 1858, ad lucrandam indulgentiam pro recitatione Rosarii, vel saltem recitantibus concessam, sufficit ut, si plures Rosarium in communi recitent, una sola persona Rosarium manu teneat; dummodo tamen fideles illi omnes *cæteris curis semotis,* se componant pro oratione facienda una cum persona, quæ tenet coronam[1].

1. Hic breviter et gallico idiomate recensemus indulgentias annexas piis operibus, quæ præ cæteris sunt in usu.

La confession, la communion et une visite à l'église pour y prier selon l'intention du S. Pontife, sont requises pour les indulgences *plénières* relatées ci-après, quand nous ne mentionnons pas une exception. La visite à l'église n'est pas nécessaire pour les indulgences plénières accordées aux malades.

I. Prières. — *Veni creator,* etc.; *Veni Sancte Spiritus, et emitte cœlitus,* etc. Indulgence de 100 jours chaque fois qu'on récite l'une de ces deux prières; de

32. — *Quæritur* 3° quibusdam *rebus applicari possint* Indulgentiæ.

Resp. Applicari non possunt imaginibus sive impressis.

300 jours le dimanche de la Pentecôte, et durant l'octave; plénière une fois le mois, si la récitation a lieu chaque jour du mois.

Magnificat. Indulgence de 100 jours à gagner seulement une fois par jour.

Soit loué et remercié à tout moment le très-saint et très-divin Sacrement! Indulgence de 100 jours, si on dit cette prière une fois le jour, ou au son de la cloche annonçant que le S. Sacrement est exposé, ou que la bénédiction se donne dans l'église, ou à chacune des deux élévations pendant la Messe; de 300 jours, si on la dit le jeudi de chaque semaine, tous les jours de l'octave de la Fête-Dieu; plénière, une fois tous les mois pour ceux qui l'ont récitée tous les jours du mois. — Une indulgence de 2 ans si, pendant l'élévation on adore N. S. J. C., en faisant une prière, ou d'un an, si, au son de la cloche annonçant la Messe paroissiale, on adore à genoux N. S. J. C. en faisant une prière.

Soient loués Jésus et Marie, maintenant et toujours : 50 jours d'indulgence soit pour celui qui salue en disant : *Soient loués*, etc., soit pour celui qui répond : *Maintenant et toujours.*

Pange lingua, avec le verset *Panem de cælo*, et l'oraison, *Deus, qui nobis*, etc. Indulgence de 300 jours, si on récite cette hymne une fois le jour; plénière le Jeudi-Saint, la Fête-Dieu, ou un jour de l'octave, et un autre jour à volonté dans l'année, si on la récite au moins dix fois chaque mois.

Litanies de la Sainte Vierge. Indulgence de 300 jours chaque fois qu'on les récite; plénière, les jours de fêtes de la Sainte Vierge pour ceux qui les disent tous les jours.

Angelus. Indulgence de 100 jours chaque fois qu'on récite à genoux, au son de la cloche, ou à peu près à l'heure où l'on est accoutumé à le sonner; plénière une fois par mois, si on le récite durant le mois une fois chaque jour. Le *Regina cæli*, avec le verset et l'oraison, pendant le temps pascal, remplace l'*Angelus*, qui suffit sans verset et oraison.

Salve Regina, Sub tuum, etc. Si on récite la première prière le matin, et la deuxième le soir, pour honorer la sainte Vierge, les Saints et leurs images, indulgence de 100 jours chaque jour; de 7 ans et 7 quarantaines chaque dimanche; plénière deux fois par mois, à gagner le dimanche, à toutes les fêtes de la sainte Vierge, le jour de la Toussaint, à l'heure de la mort. Ajoutez le verset *Dignare me*, etc., pour le *Salve*, et *Benedictus Deus in Sanctis suis, amen*, pour le *Sub tuum*.

Stabat. Indulgence de 100 jours chaque fois qu'on le récite pour honorer les douleurs de la Sainte Vierge.

Memorare. — *Doux cœur de Marie, soyez mon salut!* Indulgence de 300 jours chaque fois qu'on récite une de ces deux prières; plénière, une fois le mois, pour chacune de ces prières, si on les dit une fois par jour pendant le mois.

Angele Dei qui Custos es mei, me tibi commissum pietate superna illumina, custodi, rege et guberna. Amen. Indulgence de 100 jours chaque fois qu'on récite cette prière; plénière chaque mois, si on la récite une fois le jour durant le

sive depictis, nec crucibus, crucifixis, parvis statuis, numismatibus (médailles) ex stanno, plumbo, marmore vel ex fragili alia materia facilisque consumptionis confectis;

mois; le 2 octobre, pour ceux qui l'auront dite toute l'année, le matin et le soir; à l'heure de la mort, pour ceux qui l'auront dite souvent pendant la vie.

Pater noster, Ave Maria. Indulgence de 100 jours à gagner une fois par jour, par ceux qui récitent ces prières; de 300 jours, chaque fois qu'on dit trois *Pater* et trois *Ave* pour les agonisants, en mémoire de l'agonie et de la Passion de N. S., et des douleurs de Marie au pied de la croix; et indulgence plénière, une fois le mois, si on les dit de la même manière chaque jour durant un mois.

De profundis. Indulgence de 100 jours, si on récite à genoux après l'*Angelus* du soir, ce psaume avec les versets et répons; plénière une fois l'an, si on a pratiqué cette récitation pendant toute l'année.

Da pacem Domine, etc., avec verset, répons et oraison. Indulgence de 100 jours chaque fois qu'on dit cette prière; plénière, une fois le mois, si on la dit tous les jours pendant un mois.

II. Exercices de piété. — *Oraison*. Indulgence plénière, chaque mois, à ceux : 1° qui font chaque jour au moins un quart d'heure d'oraison mentale; 2° qui enseignent fréquemment aux autres la manière de faire oraison; 3° qui souvent s'en font instruire; de 7 ans et 7 quarantaines à ceux qui expliquent aux autres la méthode d'oraison, ou assistent à cette explication.

Communion. Indulgence de 5 ans pour ceux qui communient le dimanche et jours de fêtes; de 10 ans, chaque fois, pour ceux qui communient une fois le mois et aux fêtes de N. S., de la sainte Vierge, de S. Jean-Baptiste et de tous les SS. Apôtres; plénière, au jour de la fête du patron de la paroisse.

Actes de foi, d'espérance et de charité. Indulgence de 7 ans et 7 quarantaines chaque fois qu'on les récite; plénière, une fois le mois, à ceux qui les récitent fréquemment durant le mois; et à l'heure de la mort, pour ceux qui les ont récités fréquemment durant la vie.

Prône. Indulgence de 7 ans et 7 quarantaines chaque fois que l'on fait le prône, ou qu'on y assiste; plénière aux fêtes de Noël, de l'Epiphanie, de Pâques, de la Pentecôte, des SS. Apôtres Pierre et Paul, si on fait ou si on assiste au prône ces jours-là.

III. Dévotions particulières. — *Chemin de la Croix*. Indulgences accordées aux fidèles, qui visitent en personne les Saints-Lieux de Jérusalem : elles sont applicables aux défunts. Il est défendu de les spécifier en détail.

Crucifix indulgencié pour le chemin de la croix. Mêmes indulgences que pour le Chemin de la Croix à ceux qui, ne pouvant suivre les stations établies dans une église ou chapelle, disent, sans interruption notable, 14 *Pater* et *Ave*, un pour chaque station; puis 5 *Pater*, *Ave*, *Gloria*, en l'honneur des cinq plaies de N. S.; et à la fin un *Pater*, *Ave*, *Gloria*, selon les intentions du S. Pontife, en tenant à la main un crucifix bénit à cet effet par qui de droit.

Oraison des quarante-heures, pendant les trois derniers jours qui précèdent le Carême. Indulgence plénière à ceux qui visitent le S. Sacrement dans l'église où il est exposé.

bene vero rebus *solidis*, neque ferro, vitro solido, ligno exceptis, ut olim. Insuper imagines et icones benedicendæ repræsentare debent Sanctos vel jam canonizatos, vel in

Visite des reposoirs les Jeudi et Vendredi Saints. Indulgence de 10 ans et 10 quarantaines pour chaque visite faite avec le ferme propos de se confesser; plénière, si à la visite on ajoute la communion le Jeudi-Saint ou le jour de Pâques.

Fête-Dieu. Indulgence de 200 jours pour le jeûne la veille de cette fête avec la confession; de 400 jours pour l'assistance à la Messe, ou aux Vêpres le jour de la Fête avec la confession; de 200 jours à ceux qui ayant communié, accompagnent la procession du S. Sacrement le jour de la Fête, ou tout autre jour de l'octave, ou qui assistent à la Messe ou aux Vêpres le jour de l'octave.

Heure-Sainte, c'est-à-dire, une heure d'oraison en actions de grâces de l'institution de l'Eucharistie, le Jeudi-Saint, le jour de la Fête-Dieu, tous les jeudis de l'année. Indulgence de 300 jours chaque jeudi; plénière le Jeudi-Saint, le jour de la Fête-Dieu.

Mois de Marie. Indulgence de 300 jours pour chaque jour du mois à ceux qui, en public ou en particulier, honorent la sainte Vierge par quelque acte de vertu; plénière une fois dans le courant du mois.

IV. Œuvres de zèle et de charité. — *Catéchisme*. Indulgence de 7 ans et 7 quarantaines, chaque fois, à ceux qui expliquent le catéchisme ou qui assistent à cette explication, pourvu qu'ils se confessent et communient; de 3 ans aux fêtes de la Sainte Vierge, pour les enfants qui ne sont pas encore admis à la communion, pourvu qu'ils se confessent; plénière le jour de Noël, de Pâques, des SS. Apôtres Pierre et Paul, à ceux qui ont l'habitude de faire le catéchisme ou d'y assister; de 7 ans, chaque fois, aux maîtres d'école qui, tous les dimanches et jours de fêtes, conduisent les écoliers au catéchisme et le leur apprennent; de 100 jours, chaque fois qu'ils le font dans les classes, les jours ouvriers; même indulgence pour les pères et les mères qui font le catéchisme à leurs enfants ou à leurs domestiques; pour ceux qui, pendant une demi-heure, étudient la doctrine chrétienne pour s'instruire eux-mêmes, ou pour l'enseigner aux autres.

Œuvre de la Propagation de la foi. Indulgence *plénière* deux jours de chaque mois au choix des associés; aux fêtes de l'Annonciation et de l'Assomption ou un jour de leur Octave; le jour où un associé assiste à la commémoration qu'une division (décurie) célèbre pour ses associés défunts (ces jours-là les autels où se fait l'Office, sont privilégiés, et les indulgences se gagnent sans autres œuvres); à l'article de la mort; le 3 mai et 3 décembre ou un jour de l'Octave de ces fêtes. Les enfants peuvent suppléer la communion par une autre bonne œuvre, au choix du confesseur. — Indulgence de 100 jours chaque fois qu'un associé récite le *Pater* et l'*Ave* avec l'invocation à S. François-Xavier, ou qu'il donne en sus de l'aumône hebdomadaire une autre aumône pour la même fin, ou qu'il exerce toute autre œuvre de charité ou de piété.

Œuvre de la Sainte-Enfance. Indulgence plénière aux fêtes de la Présentation, des SS. Anges Gardiens, de S. Joseph, de S. François-Xavier, de S. Vincent-de Paul, sous les conditions de la confession et de la communion, ou de la con-

Martyrologio Romano descriptos. Ita S. C. Indulg., 14 maii 1853.

Indulgentia concessa pro cruce, cadit solum in crucifixum, ita ut possit ex una cruce in aliam transferri crucifixus absque periculo amittendi indulgentiam ipsi collatam. Ita S. C. Indulg., 11 apr. 1840.

Hujusmodi cruces esse debent ligneæ sub pœna nullitatis indulgentiæ ; nec sufficit appositio totidem crucium lignearum ad partem adversam crucium ferrearum, sed requiritur quod cruces ligneæ ita stationibus superponantur, ut ab omnibus conspici possint. Ita S. C. Indul., 15 nov. 1878.

Ad scapularia autem conficienda ut lucrentur indulgentiæ his adnexæ, necessario et exclusive 1. adhibenda est materia ex lanea textura proprie dicta ; 2. coloris præscripti, ita ut ornamenta intexta vel acu picta ex lana, sed

fession pour les enfants, avec une prière pour l'accroissement de l'œuvre ; deux indulgences plénières, dont l'une, à gagner depuis Noël jusqu'à la Purification ; l'autre, applicable aux défunts, à gagner depuis le deuxième dimanche après Pâques jusqu'à la fin du mois de mai.

Acte héroïque de charité envers les âmes du Purgatoire, ou vœu d'appliquer, par l'entremise de Marie, aux âmes du Purgatoire, tout ce qu'il y a de *satisfactoire* dans les œuvres que l'on fait (ce vœu n'oblige pas sous peine de péché). — Autel privilégié tous les jours de l'année pour les prêtres qui ont fait ce vœu ; indulgence plénière, applicable aux défunts, pour les simples fidèles qui ont fait cette offrande, toutes les fois qu'ils communient et visitent une église en y priant selon l'intention du Pape ; tous les lundis, pour ceux qui entendent la Messe pour les défunts, sous la condition de la visite et d'une prière. Enfin ceux qui ont fait ce vœu peuvent appliquer aux défunts toutes les indulgences qui ne leur sont point applicables en vertu des concessions.

Rosaire, chapelet. Indulgence de 100 jours pour chaque *Pater* et pour chaque *Ave*; plénière une fois par an à ceux qui auront récité le chapelet tous les jours de l'année ; de 10 ans et 10 quarantaines à ceux qui, conjointement avec d'autres, récitent le chapelet ; plénière le dernier dimanche de chaque mois à ceux qui récitent avec d'autres le chapelet trois fois par semaine.

Tiers-Ordre de S. François. Les tertiaires gagnent toutes les indulgences plénières et partielles de toutes les basiliques, de toutes les églises et sanctuaires de Rome, de Jérusalem, de la Portioncule et de S. Jacques en Galice, chaque fois qu'ils récitent, en état de grâce, en quelque lieu que ce soit, 6 *Pater*, 6 *Ave* et 6 *Gloria Patri* pour la prospérité de l'Eglise et selon les intentions du Souverain-Pontife. Les autres indulgences plénières accordées aux tertiaires sont presque innombrables ; on les trouve énoncées dans les manuels sur la règle de l'Ordre.

diversi coloris, non prævaleant quoad colorem diversum; 3. formæ oblongæ et in angulum rectum ; 4. tot sint panniculi, alii aliis superimpositi, et duplici funiculo tam a pectore quam ab humeris pendentes, quot sunt scapularia per modum unius gestanda. Ita S. Congr., 18 aug. 1868.

33. — *Quæritur* 6° quanam formula utendum sit ad applicandas rebus indulgentias?

Resp. 1. In coronis aliisque pietatis objectis benedicendis cum applicatione indulgentiarum, quas S. Pontifex impertiri solet, consueta Ecclesiæ forma substantialiter consistit in solo signo crucis super iisdem efformando ab eo, qui ad effectum indulgentiarum facultatem benedicendi habet : et hoc significant hæc verba in Indulto ordinarie inserta : *In forma Ecclesiæ consueta;* et idem verum est, etsi hujusmodi verba desint in Indulto. Ita ex decis. S. Congreg. Indulg., 7 jan. 1843. Pro coronis autem Rosarii S. Dominici, et pro coronis septem B. V. Mariæ dolorum omnino adhibenda est formula benedictionis in Rituali Romano descripta, simulque aspersio cum aqua benedicta. Ita eadem S. Congreg., 29 febr. 1864.

2. Pro scapularibus requiruntur et sufficiunt benedictio et impositio sacri habitus, ac receptio ad Confraternitatem a Sacerdote facultatem habente. Idem scapulare semel benedictum valide potest pluribus per vicem imponi; sed necesse est ut primum scapulare, quod deinceps adscriptus induere debet, sit benedictum.

Ex decis. S. C. Indulg., 27 maii 1857, qui rite semel adscripti in sodalitate scapularis B. M. V. de Monte-Carmelo, postea habitum sacrum sodalitatis dimiserunt, non tenentur ad novam sacri habitus receptionem a potestatem habente, si velint indulgentias prædictæ sodalitati a SS. Pontificibus concessas lucrari; sed sufficit ut habitum sacrum ipsi denuo resumant simpliciter.

33². — *Quæritur* 7° an absentes piis sodalitatibus adscribi possint, ita ut lucrentur indulgentias illis sodalitatibus concessas?

Resp. *Negative*, ex decis. S. C. Indul., 28 ap. 1761, 13 apr. 1878. Cujusmodi autem decisionis sensum explicavit ipsamet S. Congr. per urbis et orbis subsequentem declarationem a S. Pontifice approbatam, 26 nov. 1880. Videlicet :

1. Sodalitates pro certa tantum diœcesi vel regione canonice erectæ, non possunt adscribere fideles, qui extra limites hujusmodi localibus sodalitatibus constitutos commorantur, et qui ideo non solum absentes, sed et extranei dici possunt.

2. Quoad sodalitates universales, requiritur adscribendorum personalis præsentia coram quocunque, qui quocunque in loco delegatam vel subdelegatam legitime habeat adscribendi facultatem, nec sufficit moralis, interpretativa, vel repræsentativa præsentia per litteras aut alio quovis modo per interpositas etiam personas.

3. Collegia strictiori sensu, seu propii nominis, *Confraternitates* et sodalitia quæ ad illas in organica sui constitutione magis accedunt, solent, pro sodalitium inscriptione, aliquam habere formam, v. g., publicam candidatorum petitionem ac præsentationem, probationem aliquam ac novitiatum, vel saltem impositionem habitus, scapularis, cincturæ, quæ ex sui natura personalem præsentiam requirunt : non possunt absentes adscribere. Attamen illarum sodalitatum moderatoribus aut delegatis conceditur, ut in casibus *singularibus* dispensare possint a statuta forma inter præsentes, ac absentes etiam per *singularem* exceptionem rite adscribere.

4. Quoad sodalitia, pias uniones, pia opera, et cujuscunque sint nominis societates, quibus nulla est forma ac cæremonia pro adscriptione inter præsentes : possunt absentes adscribi per litteras, vel interpositas personas, qui eas repræsentant. Convalidantur omnes adscriptiones hucusque invalidæ.

§ IV

De effectibus Indulgentiarum, et speciatim de altaris privilegiati efficacia et conditionibus.

NUMERUS PRIMUS

De effectibus Indulgentiarum.

34. — *Quæritur* 1° quid remittatur per Indulgentias?

Resp. Indulgentiæ non remittunt peccatum veniale aut

mortale, sed duntaxat peccati pœnam. Ratio est quia Indulgentiæ dantur ad supplendum locum satisfactionis temporalis, quæ respicit remissionem pœnæ, non autem peccati.

Quare, quando in Bullis Indulgentiarum legitur concedi absolutionem *a culpa et pœna*, id de culpa intelligitur ratione sacramenti Pœnitentiæ, cujus susceptio plerumque præscribitur in Indulgentiis, et per quod peccatum tollitur. Quando vero S. Pont. ait in Bullis se absolvere a peccatis vel condonare peccata omnia, vel dimidiam aut quintam partem peccatorum, loquitur tantum de peccatis ratione pœnæ, non vero ratione culpæ, quæ remissa supponitur ante susceptionem fructus Indulgentiæ.

35. — *Quæritur* 2° quænam pœnæ remittantur per Indulgentias?

Resp. 1° Indulgentiæ *non tollunt* pœnas in foro externo contentioso, civili aut ecclesiastico debitas, quia illæ non infliguntur ad remissionem pœnæ peccati, sed ad bonum reipublicæ, v. g., ut deterreantur facinorosi a peccatis; nec omnino eximunt ab onere Deo satisfaciendi per pœnitentias congruentes peccatis, et peccatorum facultati ac infirmitati proportionatas. Ratio est 1. quia divinum extat præceptum faciendi dignos fructus pœnitentiæ; et quia *personalis* satisfactionis maxima sunt emolumenta, ut dictum est in Tract. *de Pœnit.* n. 119 : unde non ad fovendum teporem fidelium, sed ad supplendam eorum impotentiam et infirmitatem conceduntur Indulgentiæ. 2. Saltem pœnitentia sacramentalis a Confessario injuncta pars est sacramenti, quæ ideo necessario debet impleri.

Perperam vero quis inde concluderet inutiles esse Indulgentias. 1. Quia satisfactiones, quæ infirmitati nostræ proportionatæ sunt, sæpe non adæquant nec remittunt totam pœnam peccatis debitam. 2. Qui ante peractam satisfactionem moritur, satisfaciendi retinens propositum, si diutius viveret, integram pœnæ temporalis condonationem ex vi plenariæ Indulgentiæ consequitur.

2° Per Indulgentias *remittuntur pœnæ canonicæ sive injunctæ, sive injungendæ;* id patet ex Bullis Indulgentiarum.

Per pœnas autem canonicas intelliguntur illæ, quæ ab antiquis canonibus injunguntur : quamvis enim pœnæ illæ non sint amplius in usu, tamen si in particulari casu injungerentur, vel forent injungendæ, remitterentur per Indulgentias; n. 4.

3° Per Indulgentias *remittuntur pœnæ temporales in foro divino debitæ;* id patet ex his quæ diximus, n. 4, 8; ostendimus enim Ecclesiæ datam fuisse potestatem ad solvendum vinculum pœnæ, quod ab ingressu cœli retardat.

NUMERUS II

De altaris privilegiati efficacia, et conditionibus.

36. — *Quæritur* quænam sit indulgentia altari privilegiato adnexa, et quænam ejus conditiones?

Resp. 1° Per indulgentiam altari privilegiato adnexam, si spectetur mens concedentis et usus potestatis clavium, intelligenda est indulgentia plenaria, quæ animam statim liberet ab omnibus Purgatorii pœnis; si vero spectetur applicationis effectus, intelligenda est indulgentia, cujus mensura divinæ misericordiæ beneplacito et acceptationi respondet, n. 19. Ita S. Congreg., 28 jul. 1840. Vide *Analecta*, 1866, col. 2040, 2166.

2° Hujusmodi privilegium est *reale* vel *personale;* si prius, inhæret ipsi altari; si posterius, ipsi personæ celebrantis alligatur, ubicunque celebret. Unde missa ad altare privilegiatum recitata, est *per se* privilegiata, nec oportet ut vel offerens eleemosynam, vel sacerdos applicare intelligat privilegium, ex decis. S. Congr., 12 mart. 1855. Intentio autem saltem implicita illud privilegium applicandi requiritur, si hoc sit personale.

Reale privilegium inhæret altari, non vero lapidi, cui alter pro necessitatæ vel opportuniate suffici poterit, ita ut, diruto altari, privilegium non pereat, sed reædificato altari sub eodem titulo, reviviscat. Imo non perit privilegium, etsi altare in alio ecclesiæ loco erigatur, modo sub eodem titulo maneat; similiter reviviscit privilegium, si ecclesia destructa reædificetur in eodem loco. Ita ex decis. 16 febr. 1846, 20 aug. 1847.

Die secunda novembris, et etiam in ecclesiis, in quibus fiunt orationes quadraginta horarum, quæcunque sit dies per annum, omnia altaria sunt hisce diebus privilegiata. ex decis. 19 maii 1761, et rescripto Pii VII, 12 maii 1817.

In eadem ecclesia unum tantum esse potest altare privilegiatum, nisi ex gratia speciali duobus aut pluribus in eadem ecclesia altaribus adnectatur illud privilegium.

3° Qui celebrat in altari privilegiato pro *singulis diebus*, debet semper uti paramentis nigris vel ex rationabili causa violaceis, diebus non impeditis, ut indulgentiam privilegii consequatur; si vero dies sit impedita, lucratur nihilominus indulgentiam, qui celebrans pro defuncto, Missam legit de festo occurrenti. Ita S. Congreg., 11 apr. 1840, 11 mart. 1851.

Idem verum est, quando sacerdos celebrans in altari privilegiato. legit missam de festo semiduplici, simplici, votivam, vel de feria non privilegiata, ratione vel expositionis SS. Sacramenti, vel stationis ecclesiæ, vel alterius solemnitatis. Ita ex decreto S. Congreg. a S. Pontifice confirmato, 11 apr. 1864.

Qui vero celebrat in altari privilegiato pro *aliquot diebus* in hebdomada, ad lucrandam privilegii indulgentiam, exspectare debet festa semiduplicia, si occurrant in hebdomada, atque uti paramentis nigris; et hoc etiam servandum est ab illo, qui habet privilegium personale. Ita S. Congreg. Indulg., 29 febr. 1864. Vide *Acta S. Sedis*, t. 1, p. 626.

Ex decis. S. Congr. Rit., 18 dec. 1878, licet cantare Missam *de Requie* tribus diebus ritus duplicis, *etiamsi in hebdomada festa ritus inferioris inveniantur;* insuper die ritus duplicis *plures* missæ *de Requie* cantari valent in *eadem* ecclesia. Vide *Revue des scien. eccl.*, sept. 1879.

4° Indulgentia altaris privilegiati semper de facto seu ex *mente* concedentis et *usu* potestatis clavium, datur pro una tantum anima, non pro pluribus in una eademque missa, ex decis. S. Congr., 29 febr. 1864, 14 juin 1880. Idem verum est etiam die secunda novembris; vide *Acta S. Sedis*, t. 13, p. 139. Itaque, si missa offeratur simul pro pluribus

defunctis, iis omnibus prodesse potest fructus ipsius Missæ; et uni tantum ex illis defunctis applicanda est indulgentia altaris privilegiati Si vero nulli ex illis defunctis definite applicetur, præfata indulgentia nihilominus una ex eis' animabus, quæ Deo placuerit, illius indulgentiæ effectum consequi poterit, ex decis. S. Congr., 14 juin 1880. An vero Ecclesia non potuisset, si voluisset, concedere eamdem indulgentiam pro pluribus simul animabus applicandam in una eademque missa, hic non expenditur. Vide *Acta S. Sedis*, ibid., p. 135.

5° An vero indulgentia altaris privilegiati applicari non possit nisi defuncto, *pro quo et ipsa Missa celebratur :* 1. *affirmative* respondendum est, quoties in Brevi concessionis, ut plurimum fit, inseruntur hæc verba : « Ut quandocunque sacerdos aliquis missam defunctorum... *pro anima... ad præfatum altare celebrabit, anima ipsa indulgentia consequatur...*

2. Idem verum est, si fundator aut stipem erogans imponat onus celebrandi in altari privilegiato; nec in hoc casu justitiæ satisfaceret sacerdos, applicando aliam indulgentiam defunctis, pro quibus applicare debuerat indulgentiam altaris privilegiati; ita ex decis. S. Congreg., 16 febr. 1852. Attamen eadem S. Congr. decrevit, 22 febr. 1847, ut Sacerdos, qui *bona fide* frustrasset defunctum indulgentia altaris privilegiati, posset satisfacere eidem applicando aliam indulgentiam plenariam.

3. Tandem, si præfata verba desint in Brevi concessionis, nec a stipem erogante imponatur onus celebrandi in altari privilegiato, controvertitur an offerri possit sacrificium pro uno, et indulgentia altaris privilegiati applicari pro altero; ac proinde semper tutior pars eligenda est, applicando illam indulgentiam eidem defuncto, pro quo et ipsa missa celebratur.

6° Sacerdos qui Missam celebrat, v. g., pro defuncto, eidemque applicat indulgentiam altaris privilegiati, potest eodem die, vi sacræ communionis in missæ sacrificio peractæ, lucrari aliam indulgentiam plenariam, vel sibi, vel defunctis applicabilem, si ad hanc lucrandam præscribatur

sacra communio, ex decis S. C. Indulg., 10 maii 1844. Sed valde dubium est an pro eodem sacrificio Sacerdos pluries lucrari posset ipsam altaris privilegiati indulgentiam, ratione diversorum titulorum ipsi concessam.

7° Tandem indulgentia altaris privilegiati vivis etiam applicabilis est, quoties, ut aliquando fit, conceditur *pro vivis et pro defunctis*.

Ut autem a persona vivente lucretur hujusmodi indulgentia, distinguendum est : 1. si privilegium altaris sit *reale*, lucratur indulgentia duplici modo, nempe, vel visitando altare privilegiatum, ibique orando juxta S. Pontificis intentionem, dummodo orans receperit sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ; vel missam in altari privilegiato celebratam applicando personæ viventi, confessæ et communicatæ.

2. Si vero altaris privilegium sit *personale*, sufficit ut persona vivens sit in statu gratiæ et celebret in altari privilegiato, aliasque conditiones adimpleat, si in Indulto recenseantur. Vide *Analecta*, V, série 8, col. 2060.

Ex decis S. C. Indulg., 30 sept. 1852, Indulto altaris privilegiati personalis gaudere possunt singulis anni diebus sacerdotes, qui omnia propria meritoria opera, dum in terris morantur, ac singula eorum suffragia, cum ex hac vita decesserint, defunctis fidelibus singulari pietati offerunt, atque in eorum cedunt utilitatem.

§ VII

De Duratione, Cessatione, Suspensione Indulgentiarum, de interventu Ordinarii quoad indulgentias a S. Sede concessas.

37. — I. *De Duratione*. Indulgentia conceditur vel ad tempus præfixum et determinatum, vel expresse in perpetuum duratura, vel indefinite, nullo temporis aut durationis facta mentione. 1. Si *ad tempus* concedatur, prout, juxta hodiernum Romanæ Curiæ stylum, solent Indulgentiæ pro festivitatibus concedi ad septennium, certum est, eo elapso tempore præfixo, Indulgentiam cessare. Licet autem Indulgentiarum Brevia nonnisi a die publicationis de licen-

tia Ordinarii factæ suum sortiantur effectum, attamen initium temporis præfixi, non a die receptionis vel publicationis est computandum, sed a die dati Brevis, ut declaravit S. C. Indulg., decreto anni 1711, a Clem. XI approbato.

2. Indulgentiæ quæ in *perpetuum* vel *indefinite* conceduntur, in perpetuum valent, ex decis S. Congr., 22 jan. 1755, et 14 febr. 1842; et ideo jam propugnari nequit opinio eorum, qui olim contendebant indulgentiam *in perpetuum* concessam valere duntaxat ad 20 annos, quando pro solemnioribus generatim festivitatibus anni conferuntur.

38. — II. *De cessatione.* Certum est Indulgentias non cessare per mortem Superioris concedentis, nisi in ipsa concessione contrarium exprimatur.

Cessant autem 1. per expressam concedentis aut successoris revocationem, iis qui Indulgentia gaudent notificatam ; imo etiam, ex probabiliori sententia, juxta stylum sufficienter Romæ duntaxat promulgatam ; 2. per destructionem loci, v. g., templi, vel rerum, vel numismatum, quibus annexæ erant Indulgentiæ, prout fatentur omnes. Non amittuntur autem, si res per successivas reparationes totaliter renovaretur, siquidem eadem moraliter remaneret. 3. Amittuntur Indulgentiæ, si rei mobilis, cui adnexæ sunt, dominium in alium transferatur, sive per donationem, sive per venditionem. Ecclesia enim intendit tantum concedere Indulgentias personæ, pro qua res aliqua fuit benedicta, vel pro primo qui ea utitur. Et ita præcaventur abusus, qui secus irreperent, si Indulgentiæ possint de uno ad alterum tranferri ac donari.

Non amittuntur vero, si per traditionem non transferatur rei dominium, id est, si res altari solo commodato tradatur ; modo tamen commodans non intendat beneficium Indulgentiæ commodatario indulgere, ut constat ex decisione S. Cong., 14 maii 1853.

Antiquæ sodalitates, quæ, in Gallia, post Concordatum an. 1801, noviter ac canonice erectæ non fuerunt, privilegia et indulgentias ipsis concessas amiserunt, ex decis. S. C. Indul., 22 febr. 1847, 20 jan. 1858.

39. — *Quæritur* 1° an cessent Indulgentiæ viæ Crucis adnexæ, 1. si cruces vel tabulæ tollantur pro murorum dealbatione, pro iisdem pictura exornandis, aliave de causa, quamvis deinde et cruces et tabulæ suis locis restituantur; 2. si non omnes, sed nonnullæ tantum supradictis de causis amoveantur; 3. si omnes cruces cum tabulis per mensem circiter amoveantur; 4. si intra ejusdem ecclesiæ ambitum contrectentur de loco ad locum, ut æque distent, cum in prima erectione cruces et tabulæ ita inter se adhæsere, ut nullus exstet symetricus ordo?

Resp. Negative, ex decis. S. Congr. 21 mart. 1836; vide n. 30.

40. — *Quæritur* 2° an aliquando transferatur indulgentia?

Resp. Translato festo in cujus die conceditur Indulgentia, ipsa transfertur, quando festum transfertur quoad solemnitatem tantum et externam celebrationem, non tamen quoad officium et Missam; et idem verum est de indulgentia adnexa processionibus, precibus triduis aut novendialibus, quæ fiunt ante, vel post, vel per octavam illorum festorum. Cum vero transfertur tantum officium cum Missa, non autem solemnitas et exterior celebratio festi, non transfertur indulgentia. Ita ex decreto 9 aug. 1852. Vide *Acta S. Sedis.*, t. 1, p. 489.

41. — III. *De suspensione.* Juxta stylum a Sixto IV introductum, SS. Pontifes, durante Jubilæi ordinarii anno sacro, Bullis suis alias Indulgentias suspendunt, imo et sub excommunicatione latæ sententiæ prohibent prædicationem vel annuntiationem illarum : « Ne scilicet propter illas, inquit Sixtus IV, populorum forsan concursus ad Basilicas Romanas retardari, aut ipsius anni Jubilæi celebritas minui vel intermitti possit cum animarum non modico detrimento. »

Jam vero, Bened. XIV, Brevi 24 maii 1749, ab illa suspensione præservat sequentes Indulgentias : 1° Indulgentias quas Benedictus XIII concessit fidelibus Salutationem angelicam recitantibus mane, aut meridie, seu vespere, ad campanæ pulsum. 2° Omnes Indulgentias pro articulo mortis, et facultates eas impertiendi seu communicandi. 3° Indulgentias concessas fidelibus SS. Eucharistiæ sacramentum, cum ad in-

firmos defertur, devote comitantibus, et iis qui visitant SS. Sacramentum expositum. 4° Indulgentias Altarium privilegiatorum pro fidelibus defunctis, aliasque pro iis solis concessas. Item et servat facultatem a Bened. XIII cuique concessam, quaslibet alias Indulgentias suspensas applicandi pro defunctis. 5° Indulgentias a Legatis a latere, Nuntiis Apostolicis et Episcopis concessas. Cæteras omnes Indulgentias, tam plenarias quam partiales, suspendit, durante Jubilæi anno, S. Pontifex Benedictus XIV.

Cæterum 1. Indulgentiarum suspensio locum habet duntaxat, durante sacro Jubilæi anno, non autem tempore Jubilæorum, quæ per orbem conceduntur; constat tum ex verbis Bullæ Sixti IV modo laudatis, tum ex citato Brevi Benedicti XIV. 2. Indulgentia ad septennium concessa, probabilius per octennium, durat, quando occurrit sacer Jubilæi annus, qui non computatur, cum eo durante fuerit suspensa.

41 ². — IV. *De interventu Ordinarii quoad indulgentias a S. Sede concessas.* Ex decis. S. C. Indulg., 31 aug. 1844, valent et lucrari possunt, antequam eas publicari, aut exsecutioni mandari permiserit, aut eas recognoverit, aut in sua diœcesi promulgaverit Episcopus, 1° indulgentiæ *locales*, quæ, scilicet, alicui ecclesiæ, altari affiguntur; 2° indulgentiæ, privilegia et facultates *personales*, quæ, nempe, alicui personæ privatæ conceduntur, v. g., indulgentia concessa alicui pro articulo mortis, Indultum personale altaris privilegiati, facultas benedicendi coronas B. M. V., cum applicatione indulgentiarum; 3° indulgentiæ, quas SS. Pontifices concessere in Bullis seu rescriptis jam publicatis et ab auctoribus probatissimis citatis.

Qui autem a S. Sede obtinet facultatem erigendi stationes viæ crucis, debet exhibere illam facultatem Ordinario, etiamsi nulla mentio facta sit in concessionis rescripto; secus vero quoad alias facultates, v. g., altaris privilegiati personalis, benedicendi cruces, numismata,, nisi aliter dispositum sit in obtentis concessionibus. Ita S. C. Indulg., 6 febr. 1844.

ARTICULUS II

De Jubilæo.

Dicemus 1° de notione et speciebus Jubilæi ; 2° de privilegiis quibus fruitur ; 3° de operibus ad Jubilæum præmittendis.

§ I

De notione et speciebus Jubilæi.

42. — *Quæritur* 1° quid sit Jubilæum?

Resp. Quoad nomen, Jubilæum significat 1. vel quinquagesimum, a voce hebræa *Jobel*, quia apud Hæbreos annus Jubilæi anno quinquagesimo recurrebat; vel, ab eadem voce, significat sonum tubæ, quo indicebatur quinquagesimus annus; vel idem sonat ac *germinare*, a voce *jubal* aut *jobal*, quia anno quinquagesimo terra non colebatur et incolæ fructibus sponte germinantibus vescebantur.

Quoad rem, Jubilæum in genere est *Indulgentia plenaria solemnis, gravioribus de causis concessa, certa quædam habens adjuncta privilegia*; atque « eo spectat peculiare Jubilæi beneficium, ut expientur animi labes, pœnitentia et caritatis opera exerceantur, precationum officia adhibeantur impensius; et ita Pater cœlestis plebis suæ humilitatem respiciat, et conversis in melius rebus, optatatam suorum miserationum lucem ac solatium adducat. » Ita Leo XIII, Bulla *Pontifices*, 15 febr. 1879.

Unde Jubilæum non differt nisi *accidentaliter* ab indulgentia plenaria, scilicet, ratione solemnitatis et privilegiorum ipsi adnexorum, et etiam ratione uberrimarum et extraordinariarum gratiarum, quæ illud comitantur. Has enim gratias omnino speciales arguunt miri et stupendi effectus, quos Jubilæum producere solet, etiamsi non fiant solemnes fidelium adunationes, nec divinum verbum prædicetur. Propterea indulgentia Jubilæi dicitur *plenissima*. n. 4.

43. — *Quæritur* 2° quotuplex sit Jubilæum?

Resp. Jubilæum est majus vel minus, generale vel particulare.

1. *Majus* Jubilæum regulariter occurrit omni anno vigesimo quinto, qui *annus sanctus* vocatur; et idcirco dicitur etiam *ordinarium* Jubilæum, eo quod sit jure fixum et determinatum. Scilicet, Jubilæus annus ita dicitur ab analogia cum Jubilæo legali, de quo legitur Levit. 25; hoc enim

anno, servi peccati redeunt in libertatem filiorum Dei ; debita pœnæ temporalis relaxantur ; merita bonis operibus comparata, ac per subsequens peccatum mortificata, reviviscunt, et ita peccatores ad pristinam possessionem revertuntur ; vacant quoque Christiani a servilibus peccati operibus : merito igitur annus ille sanctus habetur et nuncupatur.

Jubilæum centesimo quocunque anno recurrente celebrandum decrevisse primus legitur Bonifacius VIII, an. 1300. Clemens VI, an. 1350, Constit. *Unigenitus*, annum sacrum ad normam Jubilæi mosaici reduxit ad 50 quemque recurrentem annum. Urbanus VI, in memoriam 33 annorum quos Christus in terris egisse vulgo creditur, statuit, anno 1390, ut deinceps annus Jubilæus recurreret quovis anno 33. Tandem Paulus II, anno 1470, Jubilæum reduxit ad an. 25 : quam dispositionem confirmavit Sixtus IV, an. 1473, eamque nunc observat Ecclesia.

Incipit vero sacer ille annus a primis vesperis Nativitatis Domini, quæ præcedunt annum 25, 50, 75 et 100 cujusque seculi, ac terminatur ad primas ejusdem festi vesperas anni proxime sequentis : interimque toto illo anno suspenduntur fere omnes aliæ indulgentiæ, ut diximus, n. 41. Verum quia plerique fidelium Romanam peregrinationem ad effectum Jubilæi hujus, suscipere non possunt, solent SS. Pontifices, elapso anno sacro, Jubilæi ordinarii gratiam ad omnes per orbem fideles, spatium duorum mensium vel plurium consequendam, extendere.

2. *Minus* Jubilæum illud est, quod concedi solet a singulis SS. Pontificibus post suam exaltationem, et interdum in aliis circumstantiis, ubi graviores causæ requirunt. Jubilæum est istud, quod dicitur *extraordinarium*, duabus hebdomadis ordinarie perseverat.

3. *Generale* Jubilæum est illud, quod conceditur universo orbi, ut semper est Jubilæum *majus*, et quandoque etiam Jubilæum *minus ;* sed concedi solet Urbi seu Romæ soli, antequam orbi concedatur.

4. *Particulare* illud est quod conceditur alicui provinciæ, civitati, vel loco particulari, ut est Jubilæum Ecclesiæ Aniciensi concessum, quoties festum Annuntiationis B. Virginis in diem sacrum Parasceves incidit.

§ II

De Privilegiis Jubilæo adnecti solitis.

Tria sunt hujusmodi privilegia, nempe, facultas eligendi Confessarium, absolvendi a reservatis et a censuris, vota et opera Jubilæi commutandi.

44. — Notandum est 1° Bullas Benedict. XIV de Jubilæo, ex decis. S. C. Indulg., 15 mart. 1862, habere vim legis, nisi expressa apponatur exceptio.

2° Licet privilegia Jubilæo adnexa, a S. Sede procedant, ea tamen non concedi exercenda, nisi dependenter ab Episcoporum consensu. Unde 1. potest Episcopus non omnibus indiscriminatim Confessariis, alias approbatis, specialem committere potestatem vi Jubilæi concessam. 2. Sacerdos pro aliqua duntaxat Parochia, vel certo loco determinato approbatus, non potest, etiam tempore Jubilæi, extra locum sibi limitatum confessiones excipere; quia qui pro uno duntaxat loco est approbatus, non ideo pro aliis locis approbatus censeri potest. 3. Si restringeret Episcopus Parochi jurisdictionem ad solos ejus parochianos, aliorum confessiones iste non posset audire.

PUNCTUM PRIMUM

De facultate eligendi Confessarium.

45. — Hoc privilegio, juxta Bullarum tenorem, *cuique fidelium conceditur, ut quem voluerit, eligat Confessarium ex approbatis ab Ordinario.*

Quædam difficultas superesse potest quoad confessiones Monialium et regularium. Porro constat 1. Confessarium cujus approbatio restricta esset et limitata ad confessiones secularium, Monialium confessiones excipere non posse; 2. Moniales quemlibet inter approbatos Confessarium eligere posse, si istud expresse concedat Episcopus; secus, si expressive verbis contradicat, prout reipsa contradicere solent Episcopi plurimi.

Si vero mentem nec S. Pontifex, nec Episcopus verbis expressis aperirent, sed rem totam ex generalioribus Bullæ

terminis dijudicandam relinquerent, tunc, ex probabiliori sententia, et sola in praxi tenenda, Moniales sicut et Novitiæ saltem in Jubilæis ordinariis, quorum, ex Curiæ stylo, Bullæ iis minus expresse favent, hoc solo donantur privilegio ut, quem voluerint, ex approbatis ad Monialium confessiones Confessarium possint eligere.

Regulares, ad effectum Jubilæi pro nutu suo confiteri possunt vel Confessariis Ordinis sui, vel cuilibet seculari per Episcopum approbato.

PUNCTUM II

De facultate absolvendi a reservatis et a censuris.

46. — Circa privilegium istud, quod Confessarios immediate spectat, hæc speciatim sunt observanda.

1° Confessarii potestate absolvendi a censuris per Bullas Jubilæi concessas valide *uti non possunt extra sacrum Pœnitentiæ tribunal et sacramentum;* quia talis potestas non confertur nisi in ordine ad absolutionem a peccatis et prout est dispositio ad illam. Istud certo tenendum est, saltem quando clausulam Bulla continet, quod absolutio conferatur, « auditis confessionibus, vel pro foro pœnitentiali tantum. »

2° Pœnitens *valide absolvi potest, ex vi Jubilæi, ab omnibus peccatis et censuris reservatis sive a jure, sive ab homine, iis etiam in quæ liberius ex spe futuri Jubilæi incidisset;* sed ad hoc necesse est, ut se confiteatur cum animo et voluntate Jubilæum consequendi, atque ideo omnia injuncta opera præstandi; quia extraordinaria hæc potestas Confessariis non conceditur nisi *ad effectum Jubilæi*, ut expressis verbis habent Bullæ; et ut declaravit S. Congreg. 1 jun. 1869. Qui tamen cum tali animo confessus, ex animi levitate deinceps opera non impleret, vere absolutus remaneret, et liber a reservatione etiam oblitorum, modo inculpabiliter; quia absolutio non datur sub conditione, sed absolute. Si quis vero jam vi Jubilæi a censuris et casibus reservatis absolutus, iterum sub reservatione recidat, ab ea absolvi nequit vi Jubilæi, ex decis. S. Congreg. 1 jun. 1869, 26 febr. 1879.

3° *Virtute Jubilæi, Confessarius pœnitentem, quem non*

satis dispositum judicavit, et in aliud tempus absolvendum remisit, potest ab omnibus reservatis tempore Jubilæi confessis aut inculpabiliter omissis, eo transacto; absolvere; constat apud omnes; tum quia prima vice reservationem tollere potuit, tum quia justis de causis potest prorogare tempus ad effectum Jubilæi. Utrum vero possit etiam tunc absolvere a reservatis in quæ, transacto Jubilæi tempore, pœnitens incidisset, disputant Theologi. Itaque in praxi tutius est adire Superiorem, a quo specialis obtineatur facultas.

4° Conceditur navigantibus et iter agentibus, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, eamdem Indulgentiam, iis omnibus observatis quæ præscribuntur ad Jubilæum, consequi valeant.

5° *Reservatio censuræ vel peccati non tollitur per Confessionem nullam et sacrilegam tempore Jubilæi factam,* quia specialis ex vi Jubilæi non conceditur potestas nisi in gratiam vere pœnitentium.

Si vero confessio, quamvis sacrilega, facta fuerit cum intentione lucrandi postea Jubilæum, vel si confessio fuerit inculpabiliter nulla, controvertitur an nihilominus tollantur censuræ et reservatio peccatorum.

6° *Confessarius, tempore cujuslibet Jubilæi absolvere non potest complicem in peccato turpi,* ut constat ex Bulla Benedict. XIV, an. 1741. Vide Tract. *de Censur.*, n. 49.

PUNCTUM III

De facultate vota et opera Jubilæi commutandi.

47. — I. *Vota commutandi facultas* 1° ex vi Jubilæi exerceri non potest extra Pœnitentiæ sacramentum, ut definit Bened. XIV, Constit. *Convocatis*, § 25, et *Inter Præteritos*, § 63.

2° Exerceri potest erga eos solos, qui cum intentione lucrandi Jubilæum accedunt, et quidem nonnisi ex causa sufficienti, ac servatis regulis quæ circa voti commutationem præscribuntur in Tract. *de Decalogo*, n. 143.

3° Extendi non potest ad dispensandi potestatem; in Bullis quippe nunquam facta est mentio dispensandi potestatis.

4° Extenditur ad juramenta, et vota jurata, quia idem ex illis jus acquiritur Deo, quod relaxare Pontifex intendit, constatque de votis juratis ex Bulla Ben. XIV, anno 1751. Quidam tamen negant quoad juramenta.

5° Commutari non possunt vota perpetuæ castitatis et religionis S. Pontifici reservata, nisi in iis casibus in quibus eorum commutatio subjacet Episcoporum potestati; item nec vota quæ facta sunt in favorem tertii, nisi de illius consensu, nec quæ sunt peccati præservativa.

6° Potest Confessarius, etiam elapso Jubilæi tempore, illius saltem commutari vota pœnitentis, qui prius, eo durante, commutationem postulaverat. Non pauci theologi etiam asserunt, illum qui tempore jubilæi se fuerit confessus, posse deinceps a quolibet confessario votorum commutationem recipere, quamvis eam tunc non postulaverit. S. Ligor., n. 536.

48. — II. Omnis et solus confessarius ab Ordinariis locorum approbatus, potest *opera* vel eorum aliqua, ad Jubilæum lucrandum injuncta, in alia *moraliter æquivalentia* commutare, quando adest pro fideli aliqua *impossibilitas moralis* illa opera injuncta perficiendi. Hujusmodi facultatem exercere potest Confessarius etiam *extra actum confessionis sacramentalis*, ex decis. S. Pœnit. pro Jubilæo an. 1865; vide n. 23.

Quæritur an facultas dispensandi super irregularitatibus saltem *occultis* sit privilegium Jubilæo adnexum?

Resp. Negative, juxta communem sententiam. Attamen hujusmodi privilegium haud semel tempore jubilæi concessum est; et ideo de hac re attendendum est ad Bullam, qua quodque promulgatur jubilæum.

§ III

De operibus ad Jubilæum præmittendis.

Ea opera sex numerantur, scilicet, visitatio ecclesiarum, oratio, eleemosyna, jejunium, confessio et Eucharistiæ susceptio.

49. — 1° Circa *ecclesiarum visitationem* hæc notanda sunt : 1. non sufficit visitatio crucium aut alicujus calvariæ, ex decis. S. Pœnit. pro Jubilæo an. 1875.

2. In locis, ubi sunt plures ecclesiæ, ex his Ordinarius ad visitationes pro Jubilæo præscriptas, debet tres designare, et tres tantum, ex decis. S. Pœnit., 4 mart. 1879.

3. Ad hujusmodi visitationes designari possunt capellæ et oratoria, dummodo sint publico cultui addicta, et in eis soleat missa celebrari, ex decis. S. Pœnit. pro Jubilæis 1875, 1879.

4. Easdem visitationes perficere possunt fideles in ecclesia etiam extra propriæ parochiæ limites posita, modo non sit in aliena diœcesi, quam visitarent eo quod sit vicinior et commodior, juxta decis. S. C. Indulg., 24 maii 1826; vel etiam in aliena diœcesi, in qua aliquo tempore quis commoratur, ex decis. S. Pœnit. pro Jubilæo an. 1875; vel denique partim in diœcesi sui domicilii, et partim in alia diœcesi in quam se transfert, ibique novum acquisiturus est domicilium, ex decis. S. Pœnit. pro Jubilæo an. 1875.

5. Designatæ ecclesiæ visitandæ sunt in eo numero et iis vicibus, quæ præscribuntur, adeo ut si vel unam, etiam semel, quis omittat, Jubilæi gratia privetur, uti communiter docent auctores..

6. Illæ visitationes institui possunt pro libitu fidelium sive uno, sive diversis diebus; ita S. Pœnit., pro Jubilæo an. 1879.

7. Ecclesiæ visitari debent cum devotione, id est, aliquem religionis actum perficiendo. An requiratur devotio etiam in *itinere,* hoc sic innuere videtur Benedict. XIV, Constit. *Inter præteritos,* § 76 : « Ad injunctum visitationum opus adimplendum, *necesse est...* ut *tam in itinere,* quod ad basilicas habetur, quam *in easdem ingrediendo, modeste incedatur,* atque *in hisce aliquis religionis actus exerceatur.* »

8. Ad distinguendas numero visitationes, requiritur et sufficit, ut fideles ecclesia egrediantur, et rursus in eamdem ecclesiam ingrediantur. Si ecclesiam visitandam ingredi præ multitudine quis non possit, satis est si fiat oratio ante fores, vel prope, quia tunc in ecclesia moraliter præsens censetur, ex decis. S. Pœnit. pro Jubilæo an. 1875.

9. Ordinarius potest, quando processiones fieri nequeunt more solito, imminuere numerum visitationum; sicut potest eas imminuere quæ fiunt *processionaliter,* id est, « more solito, cum cruce, aliisque sacris indumentis; si aliquid obstet, fiant meliori modo quo potest, et etiam per turmas distinctas, quæ

indo conveniant in ecclesias designatas, ibique preces communes effundant. » Ita S. Pœnit. pro Jubilæo an. 1875.

10. Quando præscribitur in Bulla ut visitentur Altaria, sufficit ad illa se convertere orando in ecclesia.

50. — 2° Quoad *orationem*, in ecclesiis faciendam, 1. si nullæ in particulari preces injungantur, ut mos est in Jubilæis extraordinariis, unusquisque quas voluerit poterit emittere, et quidem vocales, ut tutius est : « Laudandus ille, qui spiritu et mente orat, *dummodo* tamen *vocales aliquas preces* orationi illi adjungat. » Benedict. XIV, in præfata Bulla, § 83.

Si vero aliquæ determinentur, prout vulgo fit in Jubilæis ordinariis, in quibus præscribitur Oratio dominica et angelica Salutatio quinquies in unaque statione recitanda, eæ necessario sunt emittendæ, surdis-mutis exceptis, n. 23. 2. Requiritur et sufficit quod oratio fiat implicite et in genere ob finem a Pontifice intentum; atque cum pio in Deum affectu et attentione, saltem virtuali, prout requiritur et sufficit ad Officium ecclesiasticum. Peccatum autem veniale, v. g., ex levi distractione, aut ex vanæ gloriæ motu, orationem concomitans, non privaret Indulgentiæ fructu, ut supra diximus, n. 15.

51. — 3° Quantum *ad eleemosynam*, 1. si præscribatur eleemosyna pro facultate cujusque eroganda, fieri debet secundum proprium statum, propriam conditionem, ut patet; adeo ut obolus qui in paupere sufficeret, in divite minime sit sufficiens. Si vero, juxta usitatam hodie formam, injungatur solum eleemosyna pro arbitrio prout charitas suggesserit, facienda, *quælibet minima sufficit*.

2. Ab eleemosyna facienda, per se non eximuntur pauperes, item nec Religiosi, nec uxores, nec filii familias; etenim, ex Jure, concessio sub conditione facta, deficiente conditione, pro non facta habetur; sufficit tamen quod Superiores nomine inferiorum stipem erogent; quod si forte nolit superior, et inferiores sint ad eleemosynam prorsus impotentes, opus illud commutabit Confessarius.

3. Utrum Jubilæum lucretur, qui eleemosynam famulo vel Confessario tribuit erogandam, si famulus aut Confessarius non eroget, controvertitur. Partem negantem sequuntur De Lugo, Bonacina, Viva, etc., quia, inquiunt, conditio non est impleta. Affirmantem tenent Sa, Vega, Paschaligus, etc., tum quia S. Pontifex, aiunt illi, specialius intendit eleemosynam prout *est actus virtutis misericordiæ*, quam prout est sublevatio pauperis, quando potissimum injungitur eleemosyna pro arbitrio facienda, et satisfieri potest per levissimam; tum quia dominus de facto abjicit dominium rei suæ, et per accidens est quod famulus eam retineat, nec ideo sublevetur pauper.

52. — 4° *Quoad jejunia*, 1. certo fieri debent stricte juxta præscriptum Ecclesiæ, non vero juxta locorum privilegia, et quidem feria 4, 6 et sabbato *unius ejusdemque hebdomadæ*, exceptis diebus quatuor temporum et vigiliis. Pro Jubilæo an. 1879, jejunium præscriptum adimpleri potuit etiam tempore Quadragesimæ, dummodo fieret, extra dies in litteris Apostolicis exceptis, id est, non feria 4, 6, sabbato, et in Cœna Domini, et adhiberentur cibi tantum esuriales, vetito usu, quoad qualitatem ciborum, cujuscumque Indulti; S. Pœnit. 26 febr. 4 mart. 1879; n. 26.

An pro Jubilæi jejunio *frustulum* tolerari possit, plures affirmant, tum quia sub hoc respectu jejunium Jubilæi non differt a jejunio aliis diebus ab Ecclesia præscripto; tum quia jejunium Jubilæi imponitur etiam juvenibus, quibus ideo facilius accommodatur frustuli ope.

2. Ad ea per se tenentur etiam juvenes, quamvis ecclesiastico jejunii præcepto nondum adstricti; atque major causa requiritur, ut illa jejunia commutentur ad effectum Jubilæi, quam ut dispensetur in jejuniis ecclesiasticis. In his enim utpote numerosis, qui grave nocumentum paterentur juvenes, non ideo tribus observatis semel jejuniis multum gravantur. Erga eos qui non sine magna difficultate possunt jejunare, ut artifices nonnulli, senes, pauperes, mulieres prægnantes aut nutrices, etc., poterit Confessarius in alia opera commutare jejunia.

53. — 5° Quantum *ad Confessionem*, 1. pro ipso Jubilæo vera sunt quæ diximus, n. 25. 2. Qui post confessionem incidit in mortale, priusquam omnia alia opera injuncta posuerit, tenetur ex vi clausulæ, *Vere contritis et confessis*, iterum confiteri, quia alias non haberet dispositionem a S. Pontifice requisitam, atque istud expresse declaravit pro Jubilæo anni sacri 1750, Benedictus XIV. Si vero solum recordetur peccati mortalis inculpabiliter omissi, idem dicendum esse affirmat Suarez; negat Viva.

« Una eademque confessione non potest satisfieri præcepto paschali et simul acquiri Jubilæum. » Ita S. Pœnit., an. 1875, 26 febr. 1879. pro Jubilæis illorum annorum.

54. — 6° Circa *Communionem peragendam*, 1. ea debet esse *digna* et *fructuosa*, ut omnes fere Theologi docent.

2. Benedict, XIV, Constit. *Convocatis*, pueris communionem in aliud pium opus commutari posse permittit. Quoad autem adultos, generatim loquendo, facultas commutandi pia opera non intelligitur data circa confessionem, communionem, aut orationem in visitatione necessariam. Attamen communiter sentiunt auctores commutationem communionis vel prorogationem Jubilæi obtinere posse, qui communicaturus die ultima Jubilæi, a communione inopinato casu impediretur, n. 55.

3. « Una eademque communione non potest satisfieri præcepto paschali et simul acquiri Jubilæum. » Ita S. Pœnit. 26 febr. 1879, pro Jubilæo hujus anni; n. 26.

55. — *Quæritur* quandonam opera pro Jubilæo injuncta debeant aut possint impleri?

Resp. 1. Certum est ea necessario impleri debere tempore ab Ordinariis præfixo et determinato ad lucrandum Jubilæum. Unde, si excipias jejunia, ut supra, n. 52, non requiritur ut opera injuncta perficiantur in una et eadem hebdomada. Constat aliunde ex Bulla Pii IX pro Jubilæo concesso 20 nov. 1846.

2. Si finis immineat temporis ad acquirendum Jubi-

læum præfixi, nec amplius omnia possint impleri opera, sive ex ignorantia, sive voluntarie quis ea distulerit, ex probabiliori sententia, poterit, juxta consuetum magis Bullarum tenorem, Confessarius aut prorogare tempus ad effectum Jubilæi, aut opera commutare. Ordinarie in Bullis dicitur quod prorogatio fiat in aliud *proximum* tempus.

56. — Tandem Jubilæum pluries lucrifieri non potest, nisi hoc in Bulla aut Rescripto concessionis specialiter expressum reperiatur. Attamen S. Pœnit. de hac re interrogata, 1 jun. 1869, 26 febr. 1879, respondit *negative*, quoad absolutionem censurarum et reservatorum, in quæ jam absolutus de novo incidissset, ut supra, n. 46, 2°; *affirmative* vero quad ipsam indulgentiam Jubilæi nova operum injunctorum exsecutione iterum lucrandam.

CAPUT II

DE SUFFRAGIIS

Dicemus 1° de notione et existentia suffragiorum, 2° de modo quo operantur, 3° de conditionibus ut suum sortiantur effectum.

ARTICULUS PRIMUS

De notione et existentia suffragiorum.

57. — *Quæritur* quid sit suffragium?

Resp. Suffragium est *communicatio passionis aut actionis alterius personæ alicui facta per privatam voluntatem ad remissionem pœnæ temporalis pro peccato jam remisso exsolvendæ.*

Dicitur 1° *communicatio passionis aut actionis alterius personæ alicui facta ;* et in hoc cum indulgentia convenit suffragium. In utroque enim casu communicatur alicui effectus satisfactorius passionum aut actionum alterius personæ.

Dicitur 2° *per privatam voluntatem ;* in hoc discrepat suffragium ab indulgentia, quæ est applicatio effectus satisfactorii facta ab ipsa Ecclesia ; dum per suffragium persona

privata effectum satisfactorium sibi proprium alteri personæ ipsa communicat.

Dicitur 3° *ad remissionem pœnæ temporalis pro peccato remisso exsolvendæ;* quibus indicatur tum effectus suffragii, tum modus quo producitur, nempe, per modum solutionis, tum ejus discrimen sive ab oratione, quæ obtinet a Deo plura alia bona quam remissio pœnæ, et quidem non per modum solutionis, sed impetrationis tantum; sive a merito, cujus primarius effectus est gratia et gloria obtinenda.

Jam vero, negant Protestantes existere suffragium, vel quia remissa culpa, nullus superest pœnæ reatus; vel quia nemo ita abundat satisfactionibus, ut aliquid ad satisfaciendum aliis præbere possit. Contra sit

PROPOSITIO

58. — *Fideles per suas satisfactiones aliis possunt obtinere pœnæ temporalis remissionem.* Certum est.

Constat 1° *Script.* Etenim S. Paulus, Coloss. 1, ℣ 24, 25, ait : « Gaudeo *in passionibus pro vobis,* et adimpleo ea quæ desunt *passionum* Christi in *carne mea, pro corpore ejus quod est Ecclesia,* cujus factus sum ego minister secundum dispensationem Dei. »

Porro, in illis verbis, S. Paulus expresse declarat se sustinuisse passiones in carne sua, non solum ut conjunctæ Christi passionibus prodessent sibi, sed etiam universæ Ecclesiæ, pro qua Christus pati voluit et in seipso, et in membris suis, quæ ideo, dum hoc modo patiuntur, adimplent ea quæ desunt passionum Christi; ergo membra Christi seu fideles satisfacere possunt pro invicem.

2° *Traditione.* Etenim solebat Ecclesia in primis seculis aliquid de pœna remittere publicis pœnitentibus propter aliorum justorum intercessiones et satisfactiones, ut constat ex S. Cypriano, *Epist.* 11 : « Qui libellos a Martyribus acceperunt, inquit, prærogativa eorum *apud Deum* adjuvari possunt; auxilio eorum adjuvari *apud Dominum* in delictis suis possunt. »

Idem sic docet S. August., in Ps. 61 : « Patitur Christus

in membris suis, id est, in nobis ipsis, *ad communem hanc quasi rempublicam :* nam quisque pro modulo nostro exsolvimus quod debemus, et pro posse virium nostrarum quasi canonem passionum inferimus paritoria plenaria. » Porro « *paritoria*, ait S. Thomas, significat vas vel domus, ubi pariter multa inferuntur. »

3° *Ration. theol*. Ex symbolo existit Sanctorum communio, qua, scilicet, unusquisque sanctorum suis bonis actibus alios juvare potest : atqui satisfactorius fructus unum est ex illis bonis sanctorum, quæ aliis communicari possunt. Etenim, ex una parte, sæpe remanet, dimissa culpa, pœna temporalis exsolvenda, ex dictis in Tract. *de Pœnit*., n. 119, nec satisfactio Christi nos eximit ab obligatione satisfaciendi, ex probatis in Tract. *de Incarn*., n. 207 ; et, ex altera, fideles pro pœna temporali a seipsis debita non tenentur in hac vita Deo satisfacere, ex dictis in Tract. *de Pœnit*., n. 48 ; ergo fideles, sive superabundent satisfactionibus, necne, semper suas satisfactiones aliis communicare possunt.

Revera, sicut in corpore humano unumquodque membrum non in suam tantum, sed et in aliorum utilitatem operatur ; ita, in mystico Ecclesiæ corpore, membra viva non solum sibi mereri possunt, sed etiam aliis auxilium præstare.

ARTICULUS II

De modo quo operantur suffragia.

59. — *Quæritur* quotuplici modo concipi possit efficacia suffragiorum?

Resp. Triplici modo, scilicet, vel ex opere operato, vel per modum impetrationis, vel per modum solutionis.

Si 1um, pœna temporalis remittitur vi ipsius operis ; uti fit per sacramenta et Missæ sacrificium.

Si 2um, ratione bonitatis orationis, ab altero effusæ Deus, ex misericordia, vel alicui immediate condonaret pœnam temporalem, vel eidem largiretur auxilium, quo bene operaretur ad hujusmodi condonationem obtinendam.

Si 3um, solvitur vere pœna debita ab altero, satisfactione proprie dicta, ita ut, ex vi promissionis a Deo factæ, hæc satisfactio accipiatur sicuti ab ipso pœnitente perficeretur, et ita sit compensatio et vera *solutio* ab altero.

PROPOSITIO PRIMA

60. — *Fideles possunt unus pro alio vivo satisfacere per proprie dictam solutionem.* Ita communiter.

Prob. 1° *Traditione.* Talis est enim communis sensus Ecclesiæ, et fere omnium Theologorum doctrina.

2° *Ration. Theol.* Namque omnes consentiunt posse unum justum pro alio satisfacere : atqui *satisfacerè*, in sensu proprio, est debitum solvere ; ergo sancti per veram solutionem pro aliis possunt satisfacere.

Revera fideles in hac vita pro aliis satisfaciunt vel ex opere operato, vel per impetrationem, vel per veram solutionem : atqui non ex opere operato, juxta omnes ; nec per modum impetrationis tantum. Namque 1. sancti in patria pro nobis orant et remissionem pœnæ impretrant ; et tamen nunquam dicuntur satisfacere pro aliis in hujusmodi orationibus ; 2. ad satisfaciendum pro aliis requiritur status gratiæ in satisfaciente, non autem in impetrante pro aliis ; ergo satisfactio ab impetratione discrepat ; ac proinde veram solutionem significat.

Insuper, culpa non potest quidem remitti absque contritione illius, qui peccatum commisit, alioquin semper remaneret voluntas peccaminosa seu ipsum peccatum ; at reatus pœnæ non est essentialiter personalis, in eo sensu quod non possit ab alio solvi, ut patet exemplo Christi pro nobis satisfacientis.

61. — Hinc satisfactio, per modum suffragii alteri communicata, est vere de *condigno et ex justitia ;* unde pro satisfactionis oblatæ *gradu*, gradus pœnæ vere remittitur.

Idem valet, cæteris paribus, satisfactio oblata pro alio, quam peracta pro seipso ; dignitas enim seu valor talis operis, non sumitur ex relatione ad se vel ad alterum, sed ex conditione ipsius operis, et ex dignitate gratiæ unde procedit.

PROPOSITIO II

63. — *Suffragia vivorum prosunt aliquibus defunctis.* De fide est.

Constat 1° *Traditione.* Conc. Trid., sess. 25, definivit « animas (in Purgatorio) detentas fidelium *suffragiis*, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari; et infra : « Curent Episcopi ut *fidelium vivorum suffragia, orationes, eleemosynæ aliaque pietatis opera, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri consueverunt,* secundum Ecclesiæ instituta pie et devote fiant; et quæ pro illis ex testatorum fundationibus, vel alia ratione debentur, non perfunctorie, sed a Sacerdotibus et Ecclesiæ ministris, qui hoc præstare tenentur, diligenter et accurate persolventur. »

Confirmatur consensu omnium seculorum, cujus innumera testimonia suppeditant SS. Patres, Liturgiæ omnes, et ipsorum orientalum schismaticorum perpetua praxis.

2° *Ration. theol.* Eadem est conditio fidelium defunctorum ac viventium in terris; nam animæ defunctorum sine peccato mortali, *vivis uniuntur in charitate, et fiunt unum corpus unaque Ecclesia :* atqui generalis lex est membra unius corporis viventis posse et debere se invicem juvare; ergo, si illæ animæ adhuc in carcere detinentur et indigent aliqua remissione, possunt a vivis adjuvari.

64. — Hinc 1. *suffragia vivorum prosunt defunctis sicuti vivis*, id est, non solum per modum impetrationis, ut omnes Catholici fatentur, sed etiam per modum *veræ satisfactionis*, de *condigno* et ex *justitia*, ut supra dictum est.

65. — Hinc 2. *suffragia defunctis prosunt infallibiliter*, quia lex justitiæ non respicit specialia merita eorum, sed valorem ipsius satisfactionis, et unionem charitatis quæ facit hæc bona communicabilia, qualia ipsa sunt.

66. — Hinc 3. *omnes animæ in Purgatorio detentæ, sunt capaces suffragii percipiendi.* De suffragiis privatis satis constat; nam ad hæc sufficit unio charitatis, nec requiritur

character Baptismatis. De publicis quidem dubitari posset, cum Ecclesia non oret nisi pro suis membris; sed nihilominus intentione interna videtur includere omnes justos etiam non baptizatos, licet exterius eorum non vocet nomina; nam ad ipsam *vere* pertinent, et eos pari charitate amplectitur.

ARTICULUS III

De conditionibus ad efficaciam suffragiorum.

Dicemus de conditionibus ex parte offerentis, et ex parte ejus pro quo offeruntur suffragia.

67. — *Quæritur* 1° quænam requirantur conditiones ex parte offerentis suffragia?

Resp. Tres necessariæ sunt conditiones, nempe, status gratiæ, opus de se satisfactorium, et intentio satisfaciendi pro alio.

Et quidem 1. *status gratiæ, quando perficitur opus*. Opus enim in mortali factum nullum apud Deum valorem satisfactorium habere potest, nec a fortiori de condigno et ex justitia satisfacere.

Suffragia autem quæ offerentur *nomine Ecclesiæ* a ministro in peccato mortali existente, habent quidem vim impetratoriam, ob dignitatem principalis petentis seu Ecclesiæ; non vero vim solutionis seu satisfactionis proprie dictæ, eo quod opus non est satisfactorium nisi quatenus pœnale, nec pœnale est nisi quatenus personale; et quatenus personale non est satisfactorium, nisi persona a qua perficitur, sit Deo grata.

Quidam tamen Theologi sentiunt preces quæ fiunt nomine Ecclesiæ etiam a pravo ministro, adeo esse efficaces, ut immediate impetrent a Deo remissionem proportionatam pœnæ temporalis, haud secus ac per veram satisfactionem.

2. *Opus de se satisfactorium,* ita ut posset esse satisfactorium pro ipso offerente. Quod enim non valeret pro operante, non potest in alium transferri. Hujusmodi opera ad *orationes, jejunia, eleemosynas* reducuntur, ex dictis in Tract. *de Pœnit.*, n. 279.

Quid vero, si quis præscribat bonum aliquod opus, quod nisi post ejus mortem exsecutioni mandatur? Ille duplicem obtinere potest effectum : scilicet, satisfactionem proprie dictam per ipsum actum volendi et præcipiendi tale opus; insuper, dum opus, v. g., eleemosyna, perficitur, qui illam eleemosynam recipit, excitatur ad orandum et ad satisfaciendum, pro defuncto. Unde, qui implere omittunt hujusmodi præscripta opera, pia legata, etc., præter peccatum infidelitatis et erga pauperes injustitiæ, nocumentum ipsi defuncto inferunt.

3. *Intentio satisfaciendi pro alio*, alioquin satisfactio illius manet, qui eam perficit. Proinde suffragium per modum satisfactionis prodest proportionate ad numerum eorum, pro quibus offertur, cum hæc proportio sit de ratione omnis solutionis. Suffragium autem per modum impetrationis, pro pluribus, saltem in particulari nominatis et intentis, æque prodesse potest, quia ex Dei liberalitate, non ex justitia, efficaciam sortitur oratio.

68. — *Quæritur* 2° quænam requirantur conditiones ex parte ejus, pro quo offertur suffragium?

Resp. Tres requiruntur conditiones, scilicet, status gratiæ, remissio culpæ, et debitum pœnæ adhuc remanens.

Et quidem 1. *status gratiæ*. Qui enim in statu peccati mortalis jacet, nedum obtinere possit remissionem pœnæ temporalis, e contra dignus pœna æterna permanet.

2. *Remissio culpæ* venialis, si adsit, pro quo alter satisfacit. Quandiu enim culpa manet, manet intrinsece homo pœna dignus.

3. *Debitum pœnæ adhuc remanens*, alioquin nullus superest satisfactioni locus.

Ex his omnibus colligitur quanta sit communionis Sanctorum utilitas; quanta vis charitatis, et quam merito nos Apostolus adhortetur, dicens : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi*. Galat. 6, ℣ 2.

FINIS TRACTATUS DE INDULGENTIIS

TRACTATUS

DE PURGATORIO

OBJECTUM, UTILITAS, ET DIVISIO TRACTATUS

1. — Remissa culpa per Sacramentum Pœnitentiæ in re vel saltem in voto receptum, ordinarie remanet pœna temporalis exsolvenda. Quæ autem pœna redimitur in hac vita vel ex opere operato seu vi satisfactionis sacramentalis, vel ex opere operantis seu per laboriosa ipsius pœnitentis opera, vel per indulgentias aut suffragia. Hæc statuta sunt in Tract. *de Pœnit.*, *de Indulg.* et *Suffragiis.*

Si tamen, non obstantibus illis mediis, pœna hujusmodi temporalis, superveniente morte, exsolvenda supersit, per satispassionem temporalem post hanc vitam diluenda est; atque ideo locus in quo diluitur, ordinarie *Purgatorium* nuncupatur. Præsens igitur Tractatus est quasi complementum Tract. *de Pœnit.*, *de Indulgentiis* et *Suffragiis;* atque ejus momentum ex ejusdem objecto facile colligitur.

Tres erunt articuli : 1° de notione et existentia Purgatorii; 2° de ejusdem pœnis; 3° de obligatione et modo adjuvandi animas defunctorum [1].

ARTICULUS PRIMUS

De notione et existentia Purgatorii.

2. — *Quæritur* 1° quid sit Purgatorium?

Resp. 1. Quoad nomen, Purgatorium multis apud veteres Liturgias nominibus designatur; in illis enim passim voca-

1. Circa Tract. *de Purgatorio*, consuli possunt Collet, Allatius, Eustratius, quorum opera in Cursu Completo inserta sunt, tom. 18; Suarez, Bellarminus.

tur locus doloris et gemitûs, vel locus purgationis, vel ignis transitorius, vel via tenebrosa, locus profundus, quin et infernus. Innocentius IV, in Epist. ad Ottonem, Cardin. Tuscul., sanxit ut isto *Purgatorii* nomine appelletur locus, in quo post mortem mundantur animæ, quibus luendum aliquid superest. Unde

2. Quoad rem, Purgatorium definitur : *locus doloris*, in quo *Justorum animæ*, a corporibus separatæ, *diluunt pœnas temporales* peccatis suis debitas, donec *ab iis penitus mundatæ, transeant ad societatem Beatorum.*

Dicitur 1 : *locus doloris;* in hoc differt Purgatorium tum a vita viatoris, in qua non est tantum dolor seu satispassio : tum a vita gloriæ, in qua neque luctus est, neque clamor, neque dolor.

Dicitur 2 : *in quo animæ Justorum;* quibus indicatur subjectum illorum dolorum; unde in Purgatorio non sunt corpora; nec animæ, quæ in illo patiuntur, gratia et amicitia divina sunt destitutæ; et in hoc differt ab inferno, in quo detinentur Angeli et animæ omni gratia carentes, Deique maledictione obruti, et in quo, post resurrectionem, damnatorum corpora comburentur.

Dicitur 3 : *luunt pœnas temporales suis peccatis debitas;* quibus significatur finis et effectus illius doloris seu satispassionis; et in hoc Purgatorium iterum differt a vita viatoris, cujus finis proximus est satisfactio et meritum.

Dicitur 4 : *donec ab iis pœnis emundatæ transeant ad societatem Beatorum;* quibus innuitur illorum dolorum terminus, et Purgatorii discrimen tum ab inferno, in quo Angeli et damnati nocte ac die cruciabuntur in secula seculorum, ex dictis in Tract. *de Angelis*, n. 60; tum a loco, in quo in æternum detinebuntur parvuli sine Baptismo decedentes, et de quo dictum est in Tract. *de Gratia,* n. 244 et seq.

3. — *Scholium.* Per *Limbum* designatur ea inferiorum pars, in quam, *ante Christi ascensionem,* defunctæ animæ Justorum *jam plene purgatæ* deducebantur. Unde Limbus erat locus *quietis*, *refrigerii* et *consolationis*, in quo Justi

adventum Christi expectabant; et ideo jam non existit. Dicitur etiam Limbus *Patrum*, a Patribus et Patriarchis, qui in eo morabantur; vel *sinus Abrahæ*, Luc. 16, ℣ 22 : *sinus* quidem, a requie quæ illic habebatur; *Abrahæ* vero, quia ad sinum illum, sine merito fidei, perveniri non poterat : porro Abraham pater credentium est. Tandem idem locus vocatur aliquando *inferi* vel *infernus*, Ps. 15; nomen istud a situ desumptum est.

4. — *Quæritur* 2° quinam Purgatorii existentiam negaverint?

Resp. Multi recensentur Purgatorii hostes, inter quos Albigenses, Waldenses et Protestantes. Isti siquidem docuerunt nullum esse veniale peccatum, totamque pœnam mortali peccato debitam simul ac ipsum peccatum remitti, et ideo post hanc vitam esse tantum cœlum vel infernum[1].

Hujusmodi hæresis est consectarium systematis Protestantium circa naturam peccati originalis et justificationis, quod jam expositum et confutatum est in Tract. *de Gratia*, n. 132, 133, 134, 224, 227, 304, 325. Hodie vero plerique Protestantes confitentur Purgatorium, et rejiciunt infernum, ex dictis in Tract. *de Angelis*, n. 59.

Græci autem Purgatorium ejusque tenebras et labores minime negant, sed tantum Purgatorii ignem. Aliud porro est modum, aliud rei substantiam inficiari.

PROPOSITIO

5. — *Datur Purgatorium, in quo animæ Justorum, nondum plene expiatæ reatum pœnæ temporalis exsolvunt*. De fide est.

Prob. 1° *Script*. Dicitur enim in II Machab., 12, ℣ 43, 46:

1. Lutherus primum illibatam habuit Purgatorii fidem : *Ego*, aiebat in disputatione Lypsica, *qui credo fortiter, imo ausim dicere : scio Purgatorium esse, facile persuadeor in Scripturis de eo fieri mentionem*. At ille novator sensim et per gradus eo devenit, ut *fortiter crederet et sciret* non esse Purgatorium.

Calvinus, in libro 3 *Inst*. c. 5, docet Purgatorium « esse exitiale Satanæ commentum, quod Christi crucem evacuat, quod contumeliam non ferendam Dei misericordiæ irrogat, quod eamdem labefacit. »

« Judas, facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam, *offerri pro peccatis mortuorum sacrificium,* bene et religiose de resurrectione cogitans... *Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* » Ex his sequitur 1. non semper in vita expiari peccatorum reliquias; 2. posse hominem pie et sancte mori, et tamen debitum aliquod habere solvendum, vel ob venialia, quæ nondum dimissa sint, vel propter satisfactionem non plene expletam pro mortalibus aut venialibus remissis; 3. vivorum orationes et sacrificia prodesse defunctis, ut a peccatis solvantur.

Et vero, in allato textu, non agitur de defunctis, qui sunt in Paradiso, quia illi nullo indigent; nec de illis qui sunt in inferno, quia illi a peccatis solvi non possunt; ergo illi, de quibus agitur, sunt justi quidem, sed a peccatorum reliquiis per pœnam temporalem aut vivorum orationes et sacrificia absolvendi.

Idem SS. Patres et Theologi inferunt ex istis verbis : « Uniuscujusque opus manifestum erit. *Dies* enim *Domini declarabit,* quia in igne revelabitur... si cujus opus arserit, *detrimentum patietur;* ipse autem salvus erit; sic tamen *quasi per ignem;* » 1 Cor., 3, ℣ 13, 15. Unde sic : ignis, de quo hic agitur, non est ignis inferni, alioquin salvi non forent, qui illum patiuntur; nec ignis hujus vitæ tribulationum, siquidem ille ignis probabit *in die Domini,* seu, in die judicii, juxta loquendi modum consuetum in Scriptura; ergo, post hanc vitam, adest pro animabus quorumdam justorum ignis transitorius, seu Purgatorium.

2° *Traditione.* « Nemo potest a corpore egressus divinitatis particeps fieri, nisi maculas animo immixtas *Purgatorii ignis* abstulerit. Hoc prædicamus, dogma veritatis servantes, et ita credimus; hoc etiam *universalis Ecclesia tenet, pro defunctis exorans, ut a peccatis solvantur;* » S. Greg. Naz. *Orat. pro Mort.* S. Augustinus se pro matre sua Monica orare testatur, *Confess.,* lib. 9, c. 13.

Idem constat ex Liturgiis antiquissimis et precibus ac sacrificiis, ab Ecclesiæ exordio, in defunctorum solatium offerri solitis. Tandem hoc definitum est in Conc. Lugd. II.

a Græcis accepto, atque sic iterum declaravit Conc. Trid., sess. 6, can. 30 : « Si quis, post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, et reatum pœnæ æternæ deleri, ut nullus remaneat *reatus pœnæ temporalis exsolvendæ* vel in hoc seculo vel in futuro, *in Purgatorio,* antequam *ad regna cœlorum aditus patere possit* : anathema sit. »

3° *Ration. theol.* Ut admittatur Purgatorium, sufficiunt hæc tria : 1. ut sint peccata quædam venialia, aut, dimissa culpâ mortali, aliqua pœna temporalis supersit; 2. ut homo moriatur antequam remittatur veniale peccatum aut pœna temporalis ob peccatum sive veniale, sive mortale exsolvenda; 3. ut peccatum veniale et hæc pœna luenda sint antequam ad regna cœlorum pateat aditus : atqui constat 1. esse peccatum veniale, ex dictis in Tract. *de Peccatis,* atque ordinarie, dimissa culpa, aliquam pœnam temporalem remanere exsolvendam, ex statutis in Tract. *de Pœnit.*, n. 119; 2. proinde hominem mori posse antequam peccati venialis remissionem obtinuerit, pœnamque temporalem sive veniali, sive jam remisso mortali debitam solverit; 3. hanc pœnam persolvendam esse ante ingresum cœli, in quod *nihil inquinatum intrabit;* Apoc. 2, ỳ 27; ergo existit Purgatorium.

6. — *Obj.* 1° Machab. libri non sunt canonici; aliunde illorum scriptor errat, dum innuit orationem pro mortuis esse superfluam, si mortui non resurgant, et ideo animas sicut et corpora esse resurrecturas; demum verba, *Sancta ergo et salubris,* etc., sunt additio marginalis, in textum violenter intrusa; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Nam 1. in Tract. *de Locis theol.*, n. 78, 81, probatum est duos libros Mach. esse canonicos; et aliunde hujusmodi libros, quoad Judaicos ritus, ejusdem, ut minimum, auctoritatis sunt, ac profani scriptores quoad ritus Gentilium.

2. Non supposuit auctor animas cum corporibus mori et resurgere; sed, eo quod corpora olim resurrectura sint, conclusit animas esse immortales; et ideo, si ab omni labe necdum purgatæ sint, viventium precibus juvari posse.

3. Verba : *Sancta ergo,* etc., in nulla versione, nullo in exemplari desunt, sed, etiam demantur, stat tota vis argumenti.

Ad quid enim oblata sacrificia pro peccatis mortuorum, nisi ut hi ab illis solverentur? Id vero cum in reprobis locum non habeat, in purgandis locum habere debuit.

7. — *Obj.* 2° Venialia peccata, et omnis pœnæ reatus tollitur per non imputationem; ergo, etc.

Resp. Nego ant. Etenim, ut peccatum non imputetur, et sic dimittatur omnis pœna, saltem requiritur, juxta ipsos Protestantes, actus fidei de imputatione satisfactionum Christi nobis facta : atqui is actus sæpe deest, ut in his qui repentina morte abripiuntur, aut sine usu rationis vel cogitationibus aliis abstracti occumbunt; ergo veniale peccatum, et omnis pœnæ reatus non semper tollitur per imputationem. Quo igitur commigrant illi? Non sane in infernum, cum non habeant mortale peccatum; nec statim in cœlum, cum remaneat veniale peccatum, et pœna exsolvenda.

ARTICULUS II

De pœnis Purgatorii.

Quæstio moveri potest de illius pœnæ qualitate, gravitate et diuturnitate? Itaque

8. — *Quæritur* 1° quænam sit pœna purgatorii?

Resp. Duplex præcipua distinguitur pœna Purgatorii, pœna damni et pœna sensus.

1° *Pœna damni,* ea est quæ oritur *ex conscientia visionis intuitivæ pro illis animabus dilatæ, ob earum culpam.* Scilicet, 1. animæ in Purgatorio detentæ clare cognoscunt Deum esse summum bonum, seipsas a Deo infinite diligi, atque prædestinari ad illum aliquando facie ad faciem videndum, eoque fruendum; 2. unde hujusmodi animæ, gratia sanctificante vivificatæ, atque jam a corporis vinculis omnino absolutæ, Deum ex perfectissima charitate diligunt, et ex totis viribus ejus visionem intuitivam ac possessionem appetunt; 3. at simul non minus clare recognoscunt se ab illa visione et sui ardentissimi desiderii et amoris expletione ad tempus (et quidem incertum) removeri, ob propriam culpam; ac proinde, ex conscientia illius dilationis, tanto desiderio et amori adeo contrariæ, pœnam patiuntur suis debitis proportionatam.

Unde hujusmodi pœna damni *essentialiter* discrepat a pœna damni, qua in inferno cruciantur Angeli et reproborum animæ. Vide Tract. *de Angelis*, n. 68.

2° *Pœna sensus* est *dolor specialiter inflictus*, diversus a pœna directe consequente dilationem visionis intuitivæ. Communiter creditur animas in Purgatorio detentas experiri pœnam sensus. Hoc innuit S. Paulus, dicens eas salvari *quasi per ignem*, atque id admittunt Theologi, necnon et SS. Patres, qui de pœnis Purgatorii dixerunt.

Qualis sit autem illa pœna, non consentiunt auctores. Attamen sat communiter putant ignem Purgatorii esse ignem proprie dictum, quo purgantur animæ, sicut aurum in fornace. Quare pœna sensus in Purgatorio penitus discrepat a pœna sensus in inferno, qua cruciantur damnati, sed nullo modo purgantur. Vide Tract. *de Angelis*, n. 73, 74.

9. — *Quæritur* 2° quænam sit *gravitas* pœnarum Purgatorii?

Resp. Pœna damni gravior est pœna sensus; siquidem sanctæ illæ animæ, quæ omnia suis momentis æstimant, visionis Dei carentiam plus dolent quam quodvis aliud malum, cum quo bonum hoc posset consistere; ita ut mallent quodvis pati et hoc bono frui, quam boni hujus carentiam pati.

Pœna sensus, *in se* sumpta, sat communiter a SS. Patribus perhibetur ut gravior gravissima quacunque hujus vitæ pœna : « *Gravior* erit *ille ignis*, quam *quidquid* potest homo *pati in hac vita;* » S. August. *in Ps.* 37. — « Væ nobis, si dies implentur, et purgatio minime impletur; ut postea necesse sit illo nos igne *expurgari*, quo *nihil pœnalius, nihil acrius, aut vehementius in hac vita* excogitari potest; » S. Bernard., Serm. 6, *in Purif. B. Mariæ*, n. 5.

Dantur tamen in Purgatorio pœnæ gravissimis hujus vitæ pœnis leviores, ut probabilius putant Theologi. Namque multo probabilius est, ait Collet, nec omnes torqueri flamma, nec flammam hanc, quos torquet, semper in eodem gradu torqueri, sed defervescere et imminui, tum mensura tormentorum, tum ex viventium suffragiis : et

ideo quælibet Purgatorii pœna non est major maxima hujus vitæ pœna. Pœna enim, quæ ad finem vergit, debet adeo esse remissa, ut amplius minui non possit.

Cæterum pœna Purgatorii temperatur sive spe certissima liberationis, sive statu gratiæ et divinæ amicitiæ, sive pura divinam voluntatem adimplendi voluptate; atque ideo ex hac parte cum ingenti gaudio illas pœnas experiuntur Justorum animæ[1].

10. — *Quæritur* 3° quænam sit *diuturnitas* pœnarum Purgatorii?

Resp. Certum est pœnas Purgatorii non esse perpetuas, nec post ultimum judicium duraturas; unde concluditur homines circa finem mundi viventes, nonnisi breve Purgatorium esse passuros : sed pro illis doloris acerbitas tempus compensabit.

Similiter certum est pœnas Purgatorii non esse pro omnibus eodem tempore duraturas : existimat enim Ecclesia animas successive in cœlum recipi, quando purgatæ fuerunt.

11. — *Quæritur* 4° an animæ Purgatorii Deum *pro nobis orent?*

Resp. Affirmative, saltem probabilius; et ideo possunt utiliter a fidelibus invocari. Ita sentiunt Bellarm., Lessius, Suarez et alii. Et revera Clemens XI, in Bulla data anno 1780, erexit confraternitatem *sub invocatione animarum in Purgatorio*. Aliunde illæ animæ sunt in statu gratiæ, atque nostras necessitates, aut mediantibus Angelis, aut alio modo nobis ignoto, cognoscere possunt; ergo non re-

1. Comme l'âme a pour Dieu la plus pure affection, et qu'elle sait que la volonté du Seigneur ne la fait souffrir que pour la purifier, elle se conforme avec résignation à ce divin décret. Tandis qu'elle est dans le Purgatoire, elle ne voit rien qui ne déplaise à Dieu; elle ne songe à rien qu'à sa volonté; elle ne désire rien aussi vivement que d'être convenablement purifiée, afin de se présenter belle et radieuse devant la Majesté suprême. C'est pourquoi elle aime jusqu'à ses douleurs et s'en réjouit, parce qu'elles viennent de Dieu. Ainsi, au milieu d'un brasier ardent, elle jouit d'un contentement si complet, que l'intelligence humaine ne saurait le concevoir. » Sainte Catherine de Gênes, *du Purgatoire*.

pugnat quod pro nobis Deum exorent, et a Deo exaudiantur. Si autem eorum invocatio non sit frequens, nec ab Ecclesia commendata, est, ait S. Thomas, quia animæ Purgatorii potius videantur nostris indigere orationibus, quam pro nobis orare posse.

12. — *Quæritur* 5° utrum animæ Purgatorii quandoque viventibus *appareant?*

Resp. Animæ a corpore separatæ nullam jam *naturalem* actionem in mundum corporeum habent. Admittit tamen S. Thomas animas sive beatas, sive damnatas, sive in Purgatorio detentas, quandoque secundum dispositionem divinæ Providentiæ, conspectibus hominum præsentari; Suppl., q. 69, a. 3. Idem propugnant S. Aug., *de Cura pro mortuis;* S. Greg. Papa, *Dialog.* 4, c. 36, 40, 55. Equidem hoc non est impossibile; cum vero fieri nequeat sine miraculo, factum hujusmodi non debet nisi post prudens examen ex gravi motivo admitti. Vide Tract. *de Angelis*, n. 126 et seq.

ARTICULUS III

De obligatione et modo adjuvandi animas defunctorum.

13. — *Quæritur* 1° an viventes patientem Ecclesiam adjuvare teneantur?

Resp. Tenentur profecto et quidem plurimis titulis, scilicet, titulo humanitatis, cognationis, amicitiæ, religionis, imo et justitiæ erga semetipsos.

Namque 1. qui in Purgatorio patiuntur, ejusdem nobiscum naturæ sunt, eodem Patre Deo sati, eodem per ipsum limo compacti. Et vero, quis, modo necdum omnem exuerit humanitatis sensum, manum porrigere recuset ei, quem lacrymabili voce audierit perpetuo ejulantem : « *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei? Fuerunt* mihi *lacrymæ meæ panes die ac nocte*, dum dicitur mihi quotidie : *Ubi est Deus tuus?* » Ps. 41, ℣ 3, 4. Provide igitur et pie Apostolus ait : *Mementote vinctorum tanquam simul vincti.* Hebr. 13, ℣ 2.

2. Ex iis, qui languent in Purgatorio, plures indubie

sunt, qui ad viventes sanguine vel affinitate pertineant : avi, scilicet, patres, filii, conjuges, etc. Quin et raro contingit, ut non torqueantur causa nostri. Quo igitur ingrati animi sensu teneremur, ut, quos tradidimus flammis, hos inde eripere neutiquam coneremur ; atque dum eorum laboribus vescimur, nullam ipsis horum partem applicaremus ?

3. In purgantibus flammis languent etiam quandoque non pauci amici, nobis dum viverent, charissimi ; postulant autem amicitiæ leges, ut *non obliviscaris amici tui in animo tuo, et non immemor sis illius in opibus tuis ;* Eccl. 37, ℣ 6. Et quem misereat amici, nisi amicum his suppliciter invocatum : *Miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me !* Job, 19, ℣ 21.

4. Docet fides ex animabus purgandis, et Sanctis in cœlo regnantibus, et Justis in terra degentibus, unam coalescere Ecclesiam et societatem : æquum est autem ut ejusdem societatis membra mutuam sibi opem præstent.

5. Tandem, qui gratiam præstat fratribus, parem sibi gratiam obtinebit : *In qua enim mensura mensi fueritis, remetietur vobis ;* Marc. 4, ℣ 24. Et vero, quis capiat animas precibus nostris ad gloriam tandem evectas, eorum esse immemores, quibus bonum hoc acceptum debent ?

14. — *Quæritur* 2° quomodo adjuvari possunt animæ defunctorum ?

Resp. Adjuvari possunt per suffragia, scilicet, per sacrificium Missæ, per Indulgentias, per orationem et opera quælibet pœnalia et satisfactoria, ut eleemosyna, jejunium piæ peregrinationes, etc. Oratio autem a cæteris operibus satisfactoriis distinguitur, in eo quod duobus modis juvat animas defunctorum, nempe, ut opus pœnale et ideo satisfactorium, et ut opus impetratorium, quod proprium est orationi : quo etiam pacto orationes Beatorum nobis et animabus Purgatorii prosunt, licet satisfactoriæ non sint.

Jam vero quodque illud suffragii genus non eodem modo operatur in defunctis. Siquidem Missæ sacrificium in iis agit, ut probabilius, ex opere operato, atque est medium

defunctos sublevandi præ cæteris efficacissimum, ex dictis in Tract. *de Euchar.*, n. 201, 202. Quomodo autem ad defunctorum adjuvamen cooperentur alia suffragia, et quænam ad hoc requirantur conditiones, dictum est in Tract. *de Indulg. et suffrag.*, n. 9, 19, 63-68.

15. — Hic notare sufficiat suffragia, in quantum sunt satisfactiones quædam per intentionem facientis translatæ in mortuos, magis valere alicui quæ pro eo singulariter fiunt, quam quæ pro eo communiter fiunt et multis aliis, ut ait S. Th., Suppl. q. 71. a. 13. Consonat censura hujus propositionis Wiclefi : « *Speciales* orationes applicatæ *uni personæ* per prælatos vel religiosos, *non plus prosunt* eidem *quam generales*, cæteris paribus. » Vide Tract. *de Indulg.* n. 20.

Tandem candelarum, olei et similium oblatio defunctis prosunt, in quantum sunt eleemosynæ quædam ; cum dentur ad cultum Ecclesiæ, vel etiam in usum fidelium. Possunt insuper prodesse, in quantum eorum lumen fideles excitat ad orandum pro defunctis.

FINIS TRACTATUS DE PURGATORIO.

TRACTATUS

DE

EXTREMÆ UNCTIONIS SACRAMENTO

CONC. TRID. DECLARATIONES, CANONES

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS, *Sess. XIV*

1. — VISUM est autem Sanctæ Synodo, præcedenti doctrinæ de Pœnitentia adjungere ea, quæ sequuntur de Sacramento Extremæ Unctionis : quod non modo Pœnitentiæ, sed et totius Christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummativum existimatum est a Patribus. Primum itaque circa illius institutionem declarat et docet, quod clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis præparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possint; ita Extremæ Unctionis Sacramento finem vitæ, tanquam firmissimo quodam præsidio munivit. Nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quærat et captet, ut devorare animas nostras quoquomodo possit : nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suæ versutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitus, et a fiducia etiam si possit, divinæ misericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ perspicit.

CAP. 1. *De institutione Sacramenti Extremæ Unctionis.*

2. — Instituta est autem sacra hæc Unctio infirmorum, tanquam vere et proprie Sacramentum novi Testamenti, a Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem, fidelibus commendatum ac promulgatum : « Infirmatur, inquit, quis in vobis : inducat Presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes

eum oleo in nomine Domini : et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, dimittentur ei. » Quibus verbis, ut ex Apostolica traditione per manus accepta Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium ministrum, et effectum hujus salutaris Sacramenti. Intellexit enim Ecclesia materiam esse oleum ab Episcopo benedictum : nam unctio aptissime Spiritus Sancti gratiam, quo invisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat : formam deinde esse illa verba : « Per istam unctionem, etc. »

Cap. 2. *De effectu hujus Sacramenti.*

3. — Res porro et effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur : « Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, dimittentur ei. » Res etenim hæc gratia est Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, et ægroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus, et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus dæmonis, calcaneo insidiatis, facilius resistit; et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.

Cap. 3. *De ministro hujus Sacramenti, et tempore quo dari debeat.*

4. — Jam vero, quod attinet ad præscriptionem eorum qui et suscipere, et ministrare hoc Sacramentum debent, haud obscure fuit illud etiam in verbis prædictis traditum : nam et ostenditur illic, proprios hujus Sacramenti ministros esse Ecclesiæ Presbyteros; quo nomine, eo loco, non ætate seniores aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut Sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum presbyterii. Declaratur etiam, esse hanc Unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur : unde et Sacramentum *exeuntium* nuncupatur. Quod si infirmi post susceptam hanc Unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint. Quare nulla ratione audiendi sunt, qui contra tam apertam et dilucidam Apostoli Jacobi sententiam docent, hanc Unctionem vel figmentum esse humanum, vel ritum a Patribus acceptum, nec mandatum Dei, nec promissionem gratiæ habentem; et qui illam jam cessasse asserunt,

quasi ad gratiam curationum duntaxat in primitiva Ecclesia referenda esset; et qui dicunt, ritum et usum, quem Sancta Romana Ecclesia in hujus Sacramenti administratione observat, Jacobi Apostoli sententiæ repugnare, adque ideo in alium commutandum esse; et denique, qui hanc extremam Unctionem a fidelibus sine peccato contemni posse affirmant. Hæc enim omnia manifestissime pugnant cum perspicuis tanti Apostoli verbis. Nec profecto Ecclesia Romana, aliarum omnium mater et magistra, aliud in hac administranda Unctione, quantum ad ea, quæ hujus Sacramenti substantiam perficiunt, observat, quam quod B. Jacobus præscripsit. Nec vero tanti Sacramenti contemptus absque ingenti scelere, et ipsius Spiritus Sancti injuria esse posset.

5. — Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse vere et proprie Sacramentum, a Christo Domino nostro institutum et a B. Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum : A. S.

6. — Si quis dixerit, sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos; sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum : A. S.

7. — Si quis dixerit, Extremæ Unctionis ritum et usum, quem observat Sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiæ B. Jacobi Apostoli, ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni : A. S.

8. — Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate; ob idque proprium Extremæ Unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem : A. S.

OBJECTUM, UTILITAS, ET DIVISIO TRACTATUS

9. — Objectum hujusce Tractatus jam patet ex verbis Conc. Trid., n. 1. Utilitas similiter ex iisdem verbis consequitur. Sed insuper sancta Scripturarum oracula docent : « In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis. » Extremæ Unctionis autem sacra-

mentum non potest supremi illius diei memoriam conjunctam non habere ; et ideo Parochi de eo sæpe agere debent, tum quia illarum rerum mysteria, quæ ad salutem pertinent, aperire et explicare maxime convenit; tum etiam, quia fideles moriendi necessitatem omnibus propositam esse animo repetentes, pravas cupiditates coercebunt : quare fiet ut in ipsa mortis expectatione minus se perturbari sentiant. Ita Catch. Rom.

Dividitur Tractatus in sex capita : de Extremæ Unctionis : 1° notione et existentia ; 2° materia ; 3° forma; 4° effectu ; 5° ministro ; 6° suscipiente [1].

CAPUT PRIMUM

DE NOTIONE ET EXISTENTIA SACRAMENTI EXTREMÆ UNCTIONIS

10. — *Quæritur* 1° quid sit sacramentum Extremæ Unctionis quoad nomen et quoad rem?

Resp. 1° Quoad *nomen*. 1. A materia ex qua constat, appellatur a Græcis *oleum sanctum*, *officium olei sancti ;* et a Latinis, *oleum benedictionis*, *Sacramentum sacræ Unctionis*, etc. 2. A materia et forma simul, appellatur a Græcis εὐχέλαιον, id est, *oratio cum oleo*. 3. A subjecto in quo recipitur, appellatur a Latinis *unctio infirmorum*. 4. Ab ordine, quem habet ad cæteras unctiones, vel etiam a tempore quo datur aliquando infirmis, dicitur *Unctio Extrema* [2], *Sacramentum exeuntium*, Conc. Trid., n. 4, S. Th. Suppl., q. 32, a. 2. — 5. Ab effectu dicitur *animæ corporisque medicina; liquor quo sanitas redditur, peccata dimittuntur ; ultimum et quodammodo consummativum totius spiritualis curationis*, S. Th., *contra Gent.* l. 4, c. 73. — 6. Tandem a ratione

1. Circa Tract. *de Extrema Unctione*, consuli possunt Catech., Rom. 2 p.; S. Th. Supp. q. 29 et seq.; Suarez, S. Ligorius.

2. Multæ sunt unctiones in Ecclesia. Videlicet, unctio catechumenorum, in pectore et scapulis; confirmandorum in fronte; sacerdotum, in manibus dum ordinantur, et Episcoporum in manibus et capite; principum secularium, in humero vel brachio; in altaris ecclesiæ et calicis consecratione; denique infirmorum exeuntium, in partibus quinque sensuum exteriorum.

quadam sibi intrinseca dicitur *publica quædam pœnitentia*; *Pœnitentiæ* et *totius vitæ Christianæ*, quæ perpetua pœnitentia esse debet, *consummativum*, Conc. Trid., n. 1, quemadmodum Confirmatio Baptismi perfectio ac veluti consummatio nuncupatur. Quæ variæ appellationes jam præ se ferunt et naturam et excellentiam hujus Sacramenti.

2° Quoad *rem*, definitur Extrema Unctio : *Sacramentum novæ legis quo, per unctionem olei benedicti et orationem Sacerdotis, Christiano periculose ægrotanti confertur sanitas animæ atque etiam corporis, si animæ saluti expediat.*

Et quidem 1 : *Sacramentum novæ legis*, quo extremæ Unctionis denotatur genus.

2. *Quo per olei benedicti unctionem et Sacerdotis orationem;* quibus verbis materia, forma et minister hujus Sacramenti insinuantur.

3. *Christiano periculose ægrotanti, animæ atque etiam corporis, si animæ saluti expediat, sanitas confertur;* quibus vocibus denotantur Sacramenti hujus effectus et subjectum.

11. — *Quæritur* 2° an Extrema Unctio sit *sacramentum proprie dictum*, a Christo institutum, et *a S. Jacobo promulgatum?*

Resp. Affirmative, et de fide est, contra Protestantes, qui, Waldensium exemplum secuti, Extremam Unctionem e numero sacramentorum expungere conati sunt, n. 4.

Prob. 1° *Script.* : « *Infirmatur* quis in vobis? inducat *Presbyteros* Ecclesiæ, et *orent super eum, ungentes eum oleo* in nomine Domini; et *oratio fidei salvabit infirmum*, et, si *in peccatis* sit, *remittentur ei.* » Unde sic : ad Sacramentum novæ legis requiritur signum sensibile, ad producendam gratiam sanctificantem, permanenter a Christo institutum : porro hæc tria ex illo textu in Extrema Unctione reperiuntur.

Et quidem 1. signum sensibile in unctione et oratione, quarum hæc formæ, illa vero materiæ rationem habet, ex dicendis. 2. Gratiæ producendæ virtus : vim enim habet illa oratio unctioni conjuncta, et animam ægroti spirituali-

ter alleviandi, et peccata dimittendi ; hoc autem absque infusione gratiæ non fit. 3. Denique institutio permanens aperte colligitur, partim quia mandatum Jacobi dirigitur non ad unam Ecclesiam, nec pro aliquo tempore, sed ad omnes Ecclesias, sine ulla limitatione locorum aut temporum ; partim quia reipsa ab Apostolorum tempore hæc institutio semper fuit in Ecclesia observata, ut statim dicemus.

2° *Traditione*. Origenes, referendo præfata S. Jacobi verba, loquitur tanquam de re notissima, de remissione peccatorum ritui sacro per illa expresso, tribuenda, *Homil.* 2 in Lev. Similiter juxta S. Chrysost., « neque tantum nos regenerant Sacerdotes ; sed etiam post regenerationem, *admissa peccata condonare possunt.* Nam *infirmatur*, inquit Apostolus, *quis in vobis*, etc. » *de Sacerd.*, l. 3. Innoc. I, in Epist. ad Decentium, dicit : « Non est dubium præfatum S. Jacobi testimonium de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo Chrismati perungi possunt ; » et addit *hanc unctionem genus esse Sacramenti.*

Confirmatur ex consensu utriusque Ecclesiæ Græcæ et Latinæ. De Latina constat ; pariter de Græca, tum ex hujus Ecclesiæ Euchologiis et Ritual., tum ex professionis Augustanæ censura, emissa a Jeremia Patriarcha Constant. Imo nonnulli ex recentioribus protestantibus haud parvi nominis, non abnuunt Extremam Unctionem inter Sacramenta connumerare[1]. Tandem hoc expresse definitum est a Conc, Flor. et Trid., n. 5.

1. « De Unctione infirmorum non est cur multo disputemus ; verba habet Scripturæ sacræ interpretationem Ecclesia, cui pii et catholici homines tuto fidunt : nec video quid in eo more quem recepit Ecclesia, reprehendi a quoquam possit. Videmus olim et donum curationis sæpe affuisse ; cujus usus nunc cum aliis extraordinariis beneficiis, stabilita Ecclesia, infrequentior factus est : semper tamen, ne tunc quidem sanatos fuisse credendum est qui ungebantur. Superest igitur hodieque efficacia illa sanitatis perpetua, et nunquam fallens, quæ ad animam ipsam bene dispositam pertinet, atque a Jacobo apostolo additur, quando hujus Sacramenti usum describit, et in peccatorum remissione ad fidei virtutisque munimentum collocatur, quo nunquam magis opus est, quam in vitæ periculo atque terroribus mortis ad ignea tela satanæ, tunc maxime ingruentia, repellenda. » Leibnitius, *Systema Theolog.*

3° *Ratione* suadetur. Etenim Christus instituit Sacramenta, ut fidelibus subveniret pro quovis tempore, et secundum quemvis statum : porro mortis articulus multis de causis est homini formidabilis, propter conscientiam malæ vitæ, propter timorem judicii, et incertitudinem futuri status, propter tentationes diaboli, qui eo tempore vehementius urget; ergo opportunissime Christus hoc Sacramento finem vitæ, tanquam firmissimo quodam præsidio munivit; ita Conc. Trid., n. 1.

12. — *Quæritur* 3° *quandonam* fuerit institutum a Christo Extremæ Unctionis Sacramentum?

Resp. Id apud Theologos non constat : tamen, juxta communiorem sententiam, Sacramentum hoc Christus Dominus tunc instituit, cum Apostolis potestatem circa remittenda et retinenda peccata concessit, Joan. 20, ℣ 22, 23 : quia, scilicet, Extrema Unctio peccatorum omnium reliquias abstergit, et est veluti sacramenti Pœnitentiæ consummatio. Unde Unctio, de qua Marc. 6, ℣ 13, adumbrabat quidem, sed non erat Extremæ Unctionis sacramentum, tum quia ab Apostolis nondum Sacerdotibus, quibuslibet, etiam non baptizatis conferebatur; tum quia unctionem hanc primario ad restituendam corporis sanitatem adhibebant, quod de Sacramento proprie dicto dici non potest. Hoc significavit Conc. Trid. dicens illud Sacramentum fuisse *insinuatum* apud Marcum, non institutum, n. 2.

Non fit autem expressa mentio de hoc Sacramento in Evangelio, sicuti nec de Confirmatione, eo quod, ut observat S. Th., q. 19, a. 4, præcipue curaverunt Evangelistæ tradere quæ ad necessitatem salutis, et ecclesiasticæ dispositionis pertinent : porro Extrema Unctio et Confirmatio ad neutrum spectant.

CAPUT II

DE EXTREMÆ UNCTIONIS MATERIA

PROPOSITIO PRIMA

13. — *Materia remota Extremæ Unctionis, est oleum olivarum, benedictum ab Episcopo.*

1° *Oleum olivarum.* Certum est. Constat 1. ex S. Jacobo :

« *Ungentes* eum *oleo;* » oleum autem simpliciter dictum est olivarum; unde alii liquores nisi ex similitudine ad ipsum, olei nomen non accipiunt, nec ad usum adhibentur, nisi ex illius defectu.

2. Ex perpetua Ecclesiæ tum Græcæ, tum Latinæ praxi.

Ex Conc. Florent. et Trid., quod ait : « Intellexit Ecclesia *materiam* esse *oleum* ab Episcopo benedictum; » n. 2.

3. Aptissime hæc materia illud significat, quod vi Sacramenti interius in anima efficitur. Nam 1. oleum ad mitigandos corporis dolores magnopere proficit : porro hujus Sacramenti virtus animæ tristitiam et dolorem minuit. 2. Oleum sanitatem restituit, hilaritatem affert, lumini tanquam pabulum præbet, et ad recreandos defatigati corporis vires maxime est accommodatum : porro hæc omnia quid in ægroto divina virtute per hujus Sacramenti administrationem efficiatur, declarant; Catech. Rom. 3. Tandem spiritualis sanatio quæ in fine adhibetur, debet esse perfecta, quia post eam alia non relinquitur, et etiam lenis, ut spes quæ exeuntibus est maxime necessaria, non frangatur, sed foveatur : porro oleum est lenitivum, et penetrativum usque ad intima, et diffusivum; S. Th., q. 29, a. 4; sed etiam oliva ipsa solet esse pacis signaculum; ergo ex omni parte conveniens est materia hujus Sacramenti.

Cæterum, quamvis oleum olivæ non ubique crescat, tamen de facili potest ad quemlibet locum transferri. Præterea hoc Sacramentum non est tantæ necessitatis, quod exeuntes sine illo non possint salutem consequi.

Hinc oleum debet esse simplex, nullo alio liquore permixtum, ita ut si tanta esset alterius liquoris mixtio, ut desineret esse oleum, nullum foret Sacramentum; si vero remaneret oleum, valeret quidem Sacramentum, sed peccaretur contra præceptum et usum Ecclesiæ. Et vero exeuntes indigent tantum nitore conscientiæ, qui per oleum significatur.

Quare, cum hodie fere ubique et omnibus viis olivarum oleum adulteretur, summa diligentia curandum est, ut nonnisi verum et integrum olivarum oleum ad illud sacramentum adhibeatur.

2° *Benedictum*. Certum est apud omnes quod oleum debet esse benedictum ex necessitate *præcepti*. An autem ex necessitate etiam *sacramenti*, affirmat communissima sententia, quam tenent S. Th., Scotus, Suarez, Bellarm., contra quosdam. Probatur ex Conc. Florent et Trid., quæ pro materia hujus Sacramenti assignant oleum ab Episcopo benedictum. Confirmatur decreto statim referendo, ad 3°.

Et vero, hoc convenit tum ut significetur efficaciam sacramentorum a Christo decendere, tum ob plenitudinem gratiæ ab illo sacramento collatam; tum ut indicetur sanationem corporalem ex materiæ naturalis proprietate non causari.

An insuper oleum debeat esse necessario benedictum *in ordine ad Extremam Unctionem*, non consentiunt auctores. Itaque, in casu necessitatis, et deficiente oleo infirmorum, poterit ministrari Extrema Unctio chrismate, vel oleo catechumenorum, sub conditione; et si postea haberi potest oleum infirmorum, repetendum est Sacramentum. Ita S. Ligor., S. Carol. Borr. et alii[1].

3° *Ab Episcopo* benedictum. Hoc requiritur tum ex Conc. Florent. et Trid., tum ex praxi Ecclesiæ præsertim Latinæ, tum ex congruentia, ut significetur omnem virtutem sacramentorum derivari ex merito Christi, cujus personam præcipue gerit Episcopus, ut ait S. Th., q. 29, a. 6. Præterea a Paulo V in Congreg. S. Officii, 13 jan. 1655, et iterum ab eadem Congreg., confirmante Gregorio XVI, 14 sept. 1842, declaratum est *temerariam et errori proximam esse* propositionem quæ tenet « Sacramentum Extremæ

1. Triplex distinguitur oleum sanctum quod in eadem cæremonia feriæ V in Cœna Domini, ab Episcopo benedicitur, scilicet, oleum *infirmorum*, oleum *cathecumenorum*, et sanctum *chrisma*, seu oleum cum balsamo immixtum. 1. Oleum infirmorum non inservit nisi ad inungendos infirmos periculo mortis correptos, et ad consecrationem campanarum pro unctione externa. 2. Oleum cathecumenorum deputatur ad cathecumenos ante Baptismum inungendos, ad manus neosacerdotum consecrandas, necnon ad varias consecrationes faciendas, v. g., ad consecrationem regum, etc. 3. Chrisma vero adhibetur in sacramento Confirmationis, in cæremoniis Baptismi, collato sacramento, et ad varias consecrationes, v. g., calicis, patenæ, ciborii, altaris, campanæ (interius), etc. Ita fere Pontificale Rom.

Unctionis oleo *episcopali benedictione non consecrato*, ministrari *valide* posse. »

An vero hujusmodi benedictio possit committi a S. Pontifice *simplici Sacerdoti*, negant plures; sed hodie affirmativa certa est, tum ex Benedict. XIV, *de Synod.*, lib. 8, c. 1, tum ex decreto Clementis VIII, qui declaravit Sacramentum Extremæ Unctionis Latinis collatum a Sacerdotibus græcis, oleo ab iisdem Sacerdotibus benedicto, esse validum.

14. — Cæterum, 1. ex Rituali Romano, « oleum infirmorum, quod singulis annis, feria quinta in Cœna Domini ab Episcopo benedicitur, veteri combusto, renovandum est; » idque sub gravi præcepto. Si tamen novum deficiat, vetus est adhibendum; ista lex enim statui non potuit in præjudicium salutis. Tenetur etiam parochus novum oleum recipere a suo Episcopo, nec licet ad hoc adire extraneum. Benedict. XIV, *Instit.* 81, n. 2.

2. Ex eodem Rituali, post Jus canon. cap. *Quod dubiis*, de Consec., « si timeatur ne oleum benedictum ita deficiat, ut sufficere non videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto minori quantitate superinfuso, reparari potest. » Manet enim tunc idem moraliter oleum, ut observat Billuart, et ideo quod admiscetur, contrahit aliquo modo benedictionem, non ratione contactus physici, sed ex intentione benedicentis, qui illam dirigit ad istud oleum in minori quantitate superadditum, quia manet idem moraliter oleum, ut dictum est.

PROPOSITIO II

15. — *Proxima materia Extremæ Unctionis est unctio olei ab Episcopo benedicti*. De fide est.

Etenim in Sacramentis quæ in usu posita sunt, materia proxima est applicatio materiæ remotæ : porro, ex dictis, remota materia Extremæ Unctionis est oleum ab Episcopo benedictum; ergo proxima materia est hujus olei applicatio per unctionem. Hoc etiam patet ex S. Jacob. : *Ungentes* eum *oleo;* et ex verbis formæ, *per istam sanctam unctionem*, etc. Idem definivit Conc. Trid., n. 6.

16. — *Quæritur* autem 1° *quænam corporis partes inungi debeant?*

Resp. Non unus et idem est Ecclesiarum particularium usus et praxis. Attamen, ex decreto Eugenii IV ad Armenos, et ex Ritual. Rom, in septem corporis partibus facienda est unctio; nempe in *oculis* propter visum, in *auribus* propter auditum; in *naribus* propter odoratum; in *ore* propter gustum et locutionem; in *manibus* propter tactum; in *pedibus* propter gressum; in *renibus* propter delectationem ibi vigentem. Ita etiam Catechism. Rom. At, ex ipso Rituali Rom., *renum* unctio mulieribus, honestatis causa, semper omittitur; atque etiam in viris, quando infirmus commode moveri non potest. Imo unctio *in pedibus* non universaliter servatur. Unde duæ istæ unctiones non sunt de necessitate Sacramenti. Ita S. Th., Suarez, Laym., S. Ligor.

Si quis vero careat aliqua parte, v. g., mutilatus, surdus vel cæcus a nativitate, inungi debet in partibus sensui vicinioribus. Etenim quamvis usu visus et auditus privetur cæcus et surdus, remanent tamen adhuc in oculo et in aure, quædam organa potentiæ visivæ et auditivæ; de manco res aperta est, cum sensus tactus sit in toto corpore. Interius autem hujusmodi possunt peccare voluntate et desiderio male utendi sensibus, quibus destituuntur, quamvis non peccent actu externo; S. Th. q. 33, a. 7.

17. — *Quæritur* 2° an *unctio quinque sensuum* sit de *necessitate Sacramenti?*

Resp. Non consentiunt auctores. Quidam volunt sufficere unam in quacunque corporis parte, modo forma exprimat omnes sensus : alii requirunt quintuplicem unctionem quinque sensuum, sub una forma quæ singulos sensus designet; alii tandem requirunt quintuplicem unctionem quinque sensuum, cum forma quintuplici cuilibet unctioni respondente.

Et quidem prima sententia non videtur improbabilis, præsertim quia Græci, qui, júxta omnes, valide hoc sacramentum ministrant, non inungunt organa quinque sensuum.

Attamen, *unctio quinque sensuum* servanda est, saltem de

præcepto, ut colligitur 1. ex praxi Ecclesiæ, quæ ubique unctiones quinque adhibet; 2 ex communi sensu Doctorum, inter quos, S. Th., S. Bonavent., Scotus, Bellarm., Suarez, Layman; 3. eo quod Ecclesia præcepit ut, si minister post primam vel alteram unctionem deficiat, alter alias unctiones perficiat.

Suadetur etiam ratione. Unctio enim in hoc Sacramento adhibetur tanquam medicatio spiritualis, ideoque ejus ritus ex similitudine medicationis corporalis sumendus est; in corporis autem morbis, licet totum corpus infirmetur, medicina tamen non applicatur nisi parti a qua, tanquam a fonte et origine, morbus manat. Atqui prima radix et origo peccatorum nostrorum sunt quinque sensus : primum enim principium operationis humanæ et ideo peccati, est vis cognoscitiva; omnis autem cognitio nostra primum aliquo modo a quinque sensibus oritur; ergo medicina applicari debet his quinque peccati radicibus; S. Th., q. 32, a. 6; Catech. Rom.

Hinc *nonnisi in necessitate et sub conditione*, adhiberi debet *una unctio in aliquo sensu :* quæ fit consultius in capite, ut ait Benedict. XIV. Sed tunc multi, contra quosdam, requirunt ut exprimantur quinque sensus, nempe *quidquid per visum, auditum, gustum, odoratum et tactum deliquisti*. Imo melius erit, juxta S. Ligor. et alios, sic dicere : *Per istam S. Unctionem*, etc. *indulgeat tibi Deus quidquid* deliquisti *per sensus: visum, auditum*, etc. Si enim verbum *deliquisti* proferatur in fine et interim æger moriatur, nullum est sacramentum.

Si vero æger supervivat, repetendæ sunt sub conditione unctiones in singulis sensibus, addendo orationes omissas; S. Ligor., Croix. Quando dubitat Sacerdos an æger vivat, unctionem prosequi debet sub conditione, dicens : *Si vivis, per istam*, etc; ita Ritual. Rom.

18. — Cæterum 1° non est de necessitate sacramenti *geminam unctionem adhibere* in geminis partibus, v. g., in utroque oculo, aure, etc. Unde, urgente necessitate, nempe, si adsit periculum infectionis, vel si infirmus verti

nequeat ad aliud latus, sufficit ungere unum oculum, unam aurem, etc.

Utrumque autem membrum est ungendum sub una forma cum duplici tamen cruce: atque cavere debet Sacerdos ne sacramenti formam absolvat, priusquam ambo hujusmodi paria membra perunxerit, et incipiendum est a parte dextra membri gemini; ita Rit. Rom.

2° Similiter non est de necessitate sacramenti *servare ordinem inter unctionem partium*, quia hujus ordinis inversio minime impedit sacramenti significationem. Communiter tamen sentiunt Theologi esse graviter illicitum, quia esset contra usum Ecclesiæ in re notabili; ita Suarez, S. Ligor., n. 700.

3° Non est etiam essentiale quod unctio fiat per *modum crucis*. Imo, juxta Suarez, hoc signum non est de necessitate præcepti, saltem sub culpa gravi, secluso contemptu aut scandalo. Quare, si ex justa causa omittitur, ut brevius vel securius agatur, nullum erit peccatum: regulariter vero id magis pium est, ideoque servari debet, ac fieri; disput. 40, sect. 2.

4° De præcepto requiritur unctionem fieri *immediate pollice instincto*, etiamsi absit populi concursus: at, ob causam rationabilem, v. g., peste grassante, ad unctionem potest adhiberi virgula oleo inuncta. Ita Billuart, S. Lig., Scavini, Rit. Rom., et S. Cong. Rit., 31 aug. 1872.

5° Non sufficit hoc Sacramentum ministrare *una gutta olei*, juxta Suarez et alios, quia id vel non est ungere, vel certe est res aliquo modo dubia; sed oportet partem corporis oleo linire, aliquid per illam diffundendo : hoc enim est proprie et in rigore ungere.

Attamen hoc sufficit, juxta communiorem sententiam, modo omnes partes ungantur : qui enim ungit una stilla olei, vere ungit, cum oleum plus quam alii liquores diffundatur. Quia vero prima sententia non est improbabilis, in praxi sequenda est, ait S. Ligor., 709.

6° *Manus Sacerdotum* inungi debent *exterius*, aliorum vero *interius*, juxta Ritual. Rom. Sacerdotes enim in sua ordinatione fuerunt uncti ab Episcopo in vola manus; et ideo

incongruum videtur ut ibidem ungantur a simplici Sacerdote. Pedes autem unguntur in superiori parte, ne sanctum oleum calcari videatur. Quidam tamen sentiunt licitum esse ungere pedes in parte inferiori secundum consuetudinem. Vide S. Ligor., n. 711.

CAPUT III

DE EXTREMÆ UNCTIONIS FORMA

PROPOSITIO

19. — *Forma Extremæ Unctionis his continetur verbis :* « Per istam sanctam Unctionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum, etc., deliquisti. »

Constat tum ex Conc. Florent., in decreto ad Armenos, ubi hæc tota forma habetur; tum ex Conc. Trid., n. 2, quod docet formam esse illa verba : *Per istam unctionem,* etc.; tum ex Ritual. Rom., ex communi Ecclesiæ usu, et Theologorum consensu.

20. — *Quæritur* autem 1° an requiratur forma *deprecatoria?*

Resp. Requiritur saltem ex præcepto, et probabilius etiam ex necessitate sacramenti; ita S. Th., S. Bonavent., Suarez, Laym., Bellarm., S. Ligor. Namque 1. forma deprecatoria satis innuitur in his S. Jacobi verbis : *Et orent super eum.* 2. Conc. Florent., Trid. et Ritual. Rom. talem tradunt. 3. Deprecatoriam formam adhibet Ecclesia sive Latina, sive Græca; hujus autem praxis initium non cognoscitur, sed ab initio Ecclesiæ tradita est : porro non talis est consensus et praxis circa rem accidentalem.

Idem suadetur congruentiis. Nempe 1. hoc Sacramentum adhibetur ut, præter spiritualem gratiam, quam tribuit, sanitatem etiam restituat ægrotis : porro non semper sequitur ut ægroti a morbis convalescant; ergo optimo jure constitutum est, ut precationis forma a Dei benignitate id impetremus, quod sacramenti vis constanti et perpetuo

ordine efficere non solet; ita Catech. Rom. 2. Hoc Sacramentum datur homini quasi extreme indigenti, et propriis viribus destituto, qui jam incipit exire a foro Ecclesiæ, et in solius Dei manibus constitui; ergo convenienter orationibus Sacerdotum commendatur, Deoque committitur; S. Th., q. 29, a. 8. — 3. Hoc Sacramentum ordinatur ad obtinendum per modum indulgentiæ, quod in judicio Pœnitentiæ obtineri non potuit per modum justitiæ, propter imperfectam hominis satisfactionem vel dispositionem : porro infirmus jam est quasi viribus destitutus ad satisfaciendum; ergo exoratur Deus ut remittat, si quid post sacramentum Pœnitentiæ residuum est; ita Suarez, disp. 40, sect. 3.

Propterea « nullum est aliud Sacramentum quod pluribus precibus conficiatur. Eo enim potissimum tempore fideles piis obsecrationibus adjuvandi sunt; quare et alii omnes quos tum adesse contigerit, et *præcipue Parochi* debent orare Deum ex animo, et ejus misericordiæ laborantis vitam et salutem *omni studio* commendare. » Catech. Rom.

21. — *Quæritur* 2° quænam sint *verba essentialia in illa forma?*

Resp. 1. Verbum *sanctam* non est essentiale; non enim illius meminerunt Conc. Florent. et Trid.; neque hæc, *et suam piissimam misericordiam*, quia sufficienter indicatur misericordia per verbum *indulgeat;* neque ista, *in nomine Patris*, etc., quia infirmi non unguntur ut confirmati, ad defendendam fidem, cujus præcipuum objectum est SS. Trinitas.

2. Verba autem, *per istam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti*, sunt essentialia ex communi sensu Doctorum. Sed controvertitur utrum ad essentiam formæ pertineat expressio cujuslibet sensus, dicendo *per visum, per auditum*, etc., n. 17.

3. Non constat etiam an sit de essentia sacramenti *quinquies repetere verba formæ* cum quinque sensuum determinatione, n. 17.

Quidquid sit, in praxi, forma proferri debet eo modo

quo est in usu et Traditione Ecclesiæ Romanæ, et ideo iisdem verbis ac enuntiatur in præfata propositione, atque cum quintuplici forma cuilibet unctioni respondente.

Tandem quomodo proferri debeat forma, quando periculum imminet ne infirmus ante decedat quam finiantur unctiones, vide n. 17.

22. — Nec objiciatur hoc sacramentum non esse *unum* eo quod pluribus materiis et formis constet. Namque quodlibet Sacramentum dicitur unum, in quantum multa quæ sunt in sacramento, adunantur ad unum significandum, vel causandum : porro illæ plures materiæ et formæ partiales Extremæ Unctionis, ordinantur ad unum et eumdem finem, scilicet, ad significandam et causandam perfectam curationem vulnerum spiritualium, per appositionem medicinæ ad diversas vulnerum radices; ergo, etc. Sic in domo, licet plures sint partes, quia tamen ad unum totalem finem ordinantur, constituunt unam domum, unum ædificium.

CAPUT IV

DE EXTREMÆ UNCTIONIS EFFECTIBUS

23. — Multiplex hujus Sacramenti effectus illis S. Jacob. verbis declaratur : « *Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus ; et si in peccatis sit, dimittentur ei.* » Sed hæc verba evolvere necesse est, atque simul quærere quisnam inter illos effectus sit primarius vel secundarius : nam circa hanc quæstionem non omnino inter se consentiunt auctores, etsi tamen omnes admittant eosdem effectus.

PROPOSITIO PRIMA

24. — *Primarius effectus Extremæ Unctionis est juvare et confortare animam ægrotantis contra difficultates illi occurrentes in articulo mortis.* Certum est.

Prob. 1° *Ex S. Jacob.* : *Et alleviabit eum Dominus*, græce, *excitabit* seu confortabit eum.

2° *Ex Conc. Trid.*, n. 1, quod dicit « Christum Extremæ Unctionis sacramento *finem vitæ tanquam firmissimo quodam præsidio munivisse*... eo quod nullum sit tempus quo adversarius noster vehementius omnes suæ versutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitus, et a fiducia etiam, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitæ perspicit. »

3° *Ratione*. 1. Eo quod hoc sacramensum pro solis ægrotantibus usque ad mortis periculum institutum sit, patet finem institutionis ejus sumptum esse ex speciali necessitate illius articuli : porro hæc necessitas non potest esse alia nisi quæ in propositione enuntiatur, et a Conc. Trid. tradita est.

2. Per reliqua sacramenta sufficienter subventum est necessitatibus omnibus, quæ in decursu hujus vitæ occurrunt, ut vidimus ubi de Sacram. in genere, n. 30; solum autem supererat necessitas articuli mortis quæ maxima est, præsertim ubi vires corporis deficiunt; ergo optime intelligitur hoc sacramentum fuisse institutum, ut homo juvetur et confortetur in articulo mortis.

3. Hoc non subobscure significat exterior unctio, in qua hoc Sacramentum confertur, ut jam vidimus, n. 13; unctio enim mitigat corporis dolores, vires recreat, sanitatem restituit, hilaritatem affert, disponit ad pugnam.

25. — Hinc 1° gratia propria huic Sacramento est gratia sanctificans, quatenus datur *per modum alleviationis* et *curationis*, atque tribuit jus ad specialia auxilia *speciali necessitati articuli mortis* accommodata.

Quæ autem auxilia ad tres præcipuos effectus dari videntur : 1. *ad spem roborandam*. Namque homini natura insitum est, ut nihil in rebus humanis æque ac mortem pertimescat. Sed etiam auget hunc timorem præteritorum scelerum memoria. Denique illa cura et cogitatio vehementer angit, quod paulo post stare oporteat ante tribunal Dei, a quo de nobis justissima sententia ferenda sit : unde sæpe evenit ut fideles hoc terrore perculsi, se miris modis exagitari sentiant. Porro hoc Sacramentum « ægroti animam

alleviat et *confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam* excitando, » ut ait Conc. Trid., n. 3.

2. Ad *hilaritatem animi* concipiendam, qua infirmus *morbi incommoda et labores levius fert,* ut idem Conc. dixit.

3. Ad reddendum infirmum *promptiorem* et *fortiorem* contra *tentationes dæmonis* quæ tunc graviores sunt, juxta etiam Conc. Trid.

Unde Conc. Flor. dicit effectum hujus sacramenti esse *mentis sanitatem*, alludens ad verbum Jacobi, *et oratio fidei salvabit* seu *sanabit infirmum*, non solum corpore, ut quidam exponunt, sed etiam animo : sanitas enim appellatur robur illud quod homini ægrotanti tribuitur, sicut vigor mentis ad mortem transigendam.

26. — Hinc 2° hoc Sacramentum *contra reliquias peccati* institutum est.

Reliquiæ peccati non dicuntur hic dispositiones ex actibus relictæ, quæ sunt quidam habitus inchoati; sed *quædam spiritualis ad bonum debilitas et ineptitudo*, atque *proclivitas ad malum*, in mente ex peccato originali et actuali relicta, qua homo ita spiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ, gratiæ et gloriæ; ita S. Th. q. 30, a. 1; Suarez, disput. 41, sect. 1, assertio 2.

Jam vero, contra hanc debilitatem hominem roborari modo speciali per hoc Sacramentum, patet ex præcedenti propositione. Namque, ex dictis, hoc Sacramentum est animæ medicatio et sanatio : atqui per has peccati reliquias homo spiritualiter infirmatur; ergo contra illas infirmum roborat per auxilia jam supra explicata, vires scilicet superaddendo. Unde intelligitur hunc effectum sub primario comprehendi; siquidem hæc confortatio per se necessaria est ad primarium hujus Sacramenti effectum; ita Suarez, *ibid.*

Hoc insuper expresse docet Conc. Trid. : « Unctio, inquit, *peccati reliquias abstergit*, et ægroti animam alleviat et *confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando*, etc. » Eodem modo loquitur Catech. Rom. Et vero,

licet hæc confortatio esset homini valde utilis tempore sanitatis, non datur tamen nisi infirmo, ob *specialem* necessitatem et fragilitatem ægrotantis hominis.

PROPOSITIO II

27. — *Effectus secundarius Extremæ Unctionis, est disponere animam ad introitum gloriæ, per remissionem culpæ et temporalis pœnæ.* Certum est.

Et quidem 1° *per remissionem culpæ.* Patet tum ex verbis S. Jacobi : *Si in peccatis sit, remittentur ei;* tum ex verbis formæ, *quidquid deliquisti;* tum ex verbis Conc. Trid., n. 3 : *Delicta, si quæ sint adhuc expianda, abstergit.* Quæ autem non satis intelligerentur de solis pœnis peccatorum, ut ex proprietate et modo locutionis constat; nec de solis venialibus, siquidem illa verba generalia sunt, et aliunde per delicta, peccata in rigore magis significantur mortalia quam venialia; magisque necessaria est in articulo mortis illorum remissio, quam istorum.

At illud sacramentum remissionem culpæ non producit *per se primo*, nec solum *per accidens*, sed ex *secundaria intentione.*

1. Non *per se primo.* Nam S. Jacob. et Conc. Trid. de hujusmodi effectu *conditionate* loquuntur : *Si in peccatis sit; delicta, si quæ adhuc expianda*, etc : porro effectus principalis et primarius alicujus Sacramenti semper et absolute requiritur, nisi recipiens ponat obicem.

Et vero, Extrema Unctio est instituta per modum curationis et sanationis : atqui medicatio et sanatio supponit vitam in eo, quem sanat; et ideo hoc Sacramentum supponit absentiam peccati mortalis, quod vitam animæ tollit; S. Th., q. 30, a. 1.

Præterea, juxta omnes Theologos, duo sunt tantum Sacramenta mortuorum, scilicet, Baptismus per modum generationis, et Pœnitentia per modum suscitationis : atqui, si Extrema Unctio *per se primo* sit instituta ad remittenda mortalia, erit etiam sacramentum mortuorum, imo duo erunt sacramenta propter eumdem finem; ergo, etc.

Idem dici debet pro venialibus. Sacramentum enim Pœ-

nitentiæ sufficiens est ad tollenda omnia venialia; aliunde tunc deberet ministrari tam sanis, quam infirmis; tandem omne Sacramentum per se primo institutum est ad infundendam gratiam : porro remissio peccati venialis non requirit gratiæ infusionem; ergo, etc.

2. Nec *solum per accidens*. Exprimendo enim talem effectum sub conditione, S. Jacob. et Conc. Trid. plane significant esse aliquo modo peculiarem huic Sacramento, et in ejus institutione aliquo modo intentum.

Revera, ab articulo mortis æternitas pendet, et damnum quod tunc incurritur circa salutem, irreparabile est : porro de multis causis potest contingere, ut vel alia remedia applicari non possint, vel sine effectu applicata sint; ergo Christus, ex maxima sapientia et nostræ salutis summo desiderio, tribuit huic extremo remedio propriam virtutem ad supplendum defectum, subveniendumque homini in tanto periculo constituto.

Consequenter ergo et quasi a fortiori huic Sacramento virtus data est ad tollenda etiam venialia, et quidem immediate per efficaciam Sacramenti, juxta Suarez et alios.

Proinde hoc Sacramentum potest *aliquando facere hominem de attrito contritum*, et *infundere gratiam primam*.

Hoc quidem probabile est de omnibus sacramentis vivorum, ex generali quadam ratione, ut vidimus de *Sacram. in genere*, n. 64. Sed in hoc longe certius est. Etenim, ex jam dictis, Extrema Unctio aliquo modo ex propria institutione aliquando delet peccatum; ergo eodem modo infundit gratiam primam.

Quænam sint autem conditiones ut hujusmodi producatur effectus, videbitur infra, n. 36-43.

2° *Per remissionem pœnæ temporalis*. Nam 1. hoc Sacramentum est totius vitæ christianæ consummativum, ait Conc. Trid., n. 1, et ideo ad vitam gloriæ proxime disponit : atqui reatus pœnæ non remissus impedit introitum gloriæ; ergo, etc.

2. Ex verbis formæ, *quidquid deliquisti*, datur absoluta et universalis remissio peccatorum : porro talis remissio esse nequit, nisi etiam remittatur pœna.

3° Ex dictis, hoc Sacramentum *delicta* et *reliquias peccati* abstergit : porro inter reliquias peccati optime numerari potest reatus pœnæ.

Hic autem effectus, sicut et remissio culpæ, non est per se primo intentus, sed secundario, et sub conditione, *si sit*, propter easdem rationes ac pro peccato supra allatas.

Quantum vero pœnæ per hoc Sacramentum tollatur, Deus novit. Sed dici potest remittere quidem reatum pœnæ ex opere operato juxta dispositionem et devotionem recipientis; ideoque non semper totum auferre.

PROPOSITIO III

28. — *Effectus secundarius Extremæ Unctionis est sanitas corporalis, si animæ expediat.* Certum est.

Constat 1° ex verbis S. Jacobi : *Oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus;* utraque enim possunt tam ad animam quam ad corpus accommodari; priora tamen communiter intelliguntur de salute corporis.

2° Ex Conc. Flor. et Trid., quod ait : *Sanitatem corporis interdum*, ubi saluti animæ expedierit, *consequitur* (infirmus), n. 3.

3° Ex communi consensu Theologorum, qui docent sanitatem corporis ad effectus hujus Sacramenti pertinere, et aliquando virtute illius conferri.

29. — Promissio hujusmodi effectus non est absoluta, sed conditionalis, ut expresse docet Conc. Trid., his verbis: *Ubi saluti animæ expedierit*. Nam sapiens operans nunquam inducit secundarium effectum, nisi secundum quod expedit ad principalem : porro bonum corporis non est per se homini necessarium, sed inferioris ordinis, atque saluti animæ per se subordinatum ; ergo Deus per sacramentum conferre nequit corporis sanitatem, nisi quando expedit ad spiritualem sanationem. Posita vero conditione, scilicet, quod sanitas corporis revera sanitati spirituali expediat, tunc ille effectus corporalis erit infallibilis, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis, quia jam pro-

missio transit in absolutam; ita S. Th., Suarez, et alii. Unde Extrema Unctio est, non solum pro anima, sed etiam pro corpore omnium remediorum efficacissimum.

Adest autem impedimentum ex parte suscipientis, non solum cum sanatio corporalis saluti animæ non expedit, sed etiam quando hoc Sacramentum non suscipitur nisi cum morbus ita invaluit, ut jam *sine miraculo* sanari nequeat. Hoc enim Sacramentum supernaturali quidem virtute quadam operatur etiam salutem corporalem, si animæ saluti expedierit, non tamen per modum miraculi, sed *via quodammodo ordinaria*, nempe *causas naturales adjuvando*, ut communiter aiunt Doctores; ita S. Ligor., n. 714. Hinc patet quam inepte et turpiter errent, qui hoc Sacramentum non percipiunt, nisi cum jam causæ naturales fere desierint, atque omnis spes vitæ evanuerit.

30. — *Quæritur* 1° quandonam istud Sacramentum producat suum effectum, an post primam, an post ultimam unctionem?

Resp. Effectus hujus Sacramenti datur eo instanti, in quo consummatur essentialiter hoc Sacramentum : porro, ex dictis circa materiam, juxta quosdam, sacramentum perficitur et ideo effectus producitur post unam unctionem; juxta vero alios, post unctionem quinque sensuum; n. 17.

31. — *Quæritur* 2° an, quando hoc Sacramentum eo tempore quo suscipitur, non habet effectum gratiæ propter obicem suscipientis, postea incipiat illum habere, quando removetur obex?

Resp. Hæc quæstio jam soluta est ubi *de Sacram. in genere,* n. 79. Hic addere sufficiat, juxta eos qui affirmativam tenent, non recipi auxilia huic Sacramento propria, nisi in *eodem* morbo obex removeatur.

CAPUT V

DE EXTREMÆ UNCTIONIS MINISTRO

PROPOSITIO

32. — *Solus Sacerdos est minister Extremæ Unctionis.* De fide est.

Constat *ex Script.* Jacob. c. 5 : *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ :* atqui Presbyterorum nomine non ætate seniores aut primores in populo intelligendi veniunt, ut contendunt hæretici, sed Sacerdotio initiatos. Etenim 1. licet vox græca *Presbyter*, secundum etymologiam, significet ætate seniorem, attamen in Scriptura novi Test., ubicunque agitur de muniis ecclesiasticis, per Presbyteros nunquam intelliguntur ætate seniores, sed gradu et dignitate Sacerdotii majores ; ut Act. 4, 15; I Tim. 5; I Petr. 5, etc. 2. De Sacerdotibus illa verba intellexerunt SS. Patres, perpetuus usus Ecclesiæ, Conc. Flor. et Trid., quod sic propositionem definivit ; « Si quis dixerit, *Presbyteros* Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse *Sacerdotes* ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate; ob idque *proprium* Extremæ Unctionis *ministrum* non esse *solum Sacerdotem :* anathema sit; » n. 4, 8.

Et vero, soli Sacerdotes sunt ministri sacramenti Pœnitentiæ : atqui Extrema Unctio est Pœnitentiæ consummativa, juxta Conc. Trid. n. 1, et patet ex ejus institutione ; ergo merito solis Sacerdotibus committitur.

Sed insuper hoc Sacramentum ordinatur suo modo ad sanctificandos fideles : atqui hæc sanctificatio pertinet ad potestatem in corpus Christi mysticum, quæ, per se loquendo, est proprie Sacerdotum. Sacramenta enim per se requirunt sacros ministros ad id muneris specialiter consecratos, excepto Baptismo propter specialem necessitatem, et Matrimonio propter specialem ejus naturam.

33. — *Quæritur* 1° utrum *quilibet Sacerdos possit* hoc sacramentum conferre?

Resp. 1. *Valide* conferre potest hoc sacramentum quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus, aut degradatus. Potestas enim valide hoc conferendi non inest Sacerdoti ratione jurisdictionis, sed ordinis; neque exercetur per modum judicii sicut sacramentum Pœnitentiæ, quod ideo requirit jurisdictionem in judice.

2. *Licite* potest illud conferre *solus Parochus,* aut alter de ejus licentia. Imo, ratione officii sui, ex justitia obligatur parochus hoc sacramentum subditis ministrare, et quidem sub gravi, si adsit probabile periculum ne infirmus, dum differtur, decedat, n. 42.

Hinc si Regulares, absque speciali Parochi vel Episcopi licentia, Extremam Unctionem, vel sacrum Viaticum Clericis vel laicis non sibi subditis ministrare præsumant, præter mortale peccatum, etiam excommunicationis sententiam Apostolicæ Sedi reservatam incurrunt, ex dictis in Tract. *de Censuris*, n. 65.

Attamen *in necessitatis casu,* nempe, si urgeat mortis periculum, nec adsit Parochus, nec Superior adiri possit, tunc sacramentum hoc quilibet Sacerdos *valide* et *licite* ministrabit, ut habetur in Conc. Mediol. V, part. 1, tit. 1. Imo quivis Sacerdos potest hoc sacramentum ministrare ex consensu Parochi *probabiliter præsumpto ;* ita probabilius, ex S. Ligor, et aliis contra plures. Non videtur enim cum tanto rigore procedendum esse, ubi agitur de delegatione ad meram liceitatem, ac ubi sermo est de valore ipsius sacramenti. Attamen non facile præsumenda est talis delegatio.

34. — *Quæritur* 2° *quot requirantur* Sacerdotes in administratione hujus sacramenti?

Resp. 1. Certum est unum Sacerdotem esse *sufficientem* hujus sacramenti ministrum. Constat ex universali usu Ecclesiæ Latinæ, ex Ritual. Rom., et Alexand. III, cap. *Quæsivit,* in jure, ubi ait Sacerdotem etiam *solum* posse infirmum ungere : idem tradit Benedict. XIV, *Etsi pastoralis.*

Unde S. Jacobus dixit : *inducat Presbyteros,* etc., per mutationem numeri, quasi dixisset aliquem ex Presbyteris, sicut solemus dicere nos confiteri peccata Sacerdotibus, id est,

alicui ex Sacerdotibus, quæ figura non est infrequens in Scriptura et Patribus; vel plurale illud positum est propter reverentiam et solemnitatem sacramenti. Nam « hoc sacramentum, ait S. Th., perfectæ curationis effectum habet, et in eo requiritur copia gratiæ; huic ergo competit quod multi Sacerdotes intersint, et quod oratio totius Ecclesiæ ad effectum hujus sacramenti *coadjuvet;* unde Jacobus dicit : *Inducat Presbyteros*, etc.; » *Contra Gent.*, lib. 4, c. 75. Propterea Græci ad hoc sacramentum advocant septem Sacerdotes, aut saltem tres; et Ecclesia Latina etiam plures olim adhibuit.

2. Plures simul Sacerdotes valide hoc sacramentum conferunt, quando, scilicet, dum unus ungit unum sensum, proferendo formam huic unctioni respondentem, alter simul successive ungit alterum sensum simul cum partiali forma respondente. Cum enim constet pluribus materiis et formis partialibus, potest a pluribus valide confici; et ita agunt apud Græcos Sacerdotes. Invalide autem administrant, si unus ungat, et alter formam proferat, ex Benedict. XIV. *Etsi pastoralis;* materia enim proxima sacramenti est actio ministri, quæ ideo debet ab eo determinari per formam, ut patet in aliis sacramentis.

Sed attenta praxi Ecclesiæ et ex communi sensu Doctorum hoc sacramentum, regulariter ac per se loquendo, ab uno et eodem ministro est perficiendum; ita ut si aliter absque necessitate fiat, peccatur graviter. Necessitas autem adesset, si crederetur moriturus infirmus, priusquam unus omnes unctiones perfecisset.

35. — *Quæritur* 3° an et quale peccatum sit *omittere orationes* in Rituali præscriptas, ministrare *sine vestibus sacris, sine lumine*, aut servare in domo sua oleum infirmorum?

Resp. 1. Mortale est illas orationes omittere, quia materia valde gravis est. Secus vero in necessitatis casu. Nam si periculum mortis immineat infirmo, jam præscribit Rituale quod infirmus « cito ungatur, et deinde, si supervivat, dicantur orationes prætermissæ. » Idem comuniter sentiunt, si Sacerdoti immineat periculum contagii. Vide S. Ligor., n. 727.

2. Mortale est etiam hoc sacramentum ministrare absque, superpelliceo et stola, si non urgeat necessitas. In casu vero necessitatis, non est peccatum.

3. Peccatum veniale est absque lumine ministrare, nisi absit necessitas, tum propter consuetudinem Ecclesiæ, tum

ob reverentiam sacramento debitam ; S. Ligor., n. 728, et alii.

4. Nec licet, extra casum *urgentis* necessitatis, parocho oleum infirmorum retinere in domo sua, eo quod extra Ecclesiam parochialem habitet, non obstante quacunque contraria etiam immemorabili consuetudine. Ita iteratim S. Cong., et etiam 31 aug. 1872.

CAPUT VI

DE SUSCIPIENTE ET SUSCIPIENTIS DISPOSITIONIBUS

Inquirendum est : 1° quinam possint hoc sacramentum suscipere ; 2° quænam dispositiones ad illud requirantur ; 3° an sit necessitas illud suscipiendi ; 4° an et quomodo sacramentum hoc iterari possit.

PROPOSITIO PRIMA

36. — *Extremæ Unctionis sacramentum solis conferri debet baptizatis, adultis, et periculose ægrotantibus.* Certum est.

1° *Solis baptizatis.* Baptismus enim est aliorum sacramentorum janua, ut vidimus in Tract. *de Baptism.*, n. 63.

2° *Solis adultis.* Effectus enim hujus sacramenti sunt, ut vidimus, juvare et confortare animum ægrotantis, præsertim contra reliquias peccati, peccatum ipsum remittere : atqui pueri ante usum rationis, aut perpetuo amentes, capaces non sunt horum effectuum; ergo nec illius sacramenti. Sanitas autem corporalis est tantum secundarius effectus, qui ideo cessat cessante primario. Similiter infusio gratiæ cujus capaces sunt parvuli, non datur per singula sacramenta, nisi ut conjuncta propriis effectibus sacramentorum.

Itaque 1. pueri *qui utuntur ratione*, sunt hujus sacramenti capaces, *etiam antequam admittantur ad communionem*. Non requiritur enim tanta discretio ad hoc sacramentum sicut ad Eucharistiam. Aliunde, cum admittantur ad sacramentum Pœnitentiæ, cur non ad Extremam Unctionem, quæ est Pœnitentiæ completiva, et ipsis prodesse potest?

2. Pueris, de *quorum usu rationis dubitatur,* hoc sacramentum conferri potest, saltem *sub conditione;* ita probabilius. juxta de Lugo, S. Ligor. et alios. Per conditionem enim salvatur reverentia sacramenti; et aliunde justa adest causa illud ministrandi sub conditione, ne priventur pueri fructu tam salutari hujus sacramenti.

3. Dari potest Extrema Unctio *infirmo adulto, statim post Baptismum.* Remanent enim post Baptismum reliquiæ peccati, prout sunt torpor ad bonum, ac pronitas ad malum. atque ille infirmus corroborari debet contra dæmonis tentationes.

3° *Periculose ægrotantibus.* Ita omnes Theologi. Constat ex S. Jacob., *infirmatur quis;* igitur donec quis infirmetur. non est in statu capaci hujus Sacramenti. Unde Conc. Flor. dixit : *Hoc Sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet;* et juxta Conc. Trid., illis verbis S. Jacob., « declaratur esse hanc Unctionem *infirmis adhibendam,* illis vero *præsertim,* qui tam *periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur* : unde et Sacramentum *exeuntium* nuncupatur, » n. 4.

Hinc certum est hoc esse *de necessitate sacramenti,* ex communi sensu et usu totius Ecclesiæ, et omnium Theologorum sententia, ait Suarez. Et revera primarius hujus sacramenti effectus est alleviatio et confortatio infirmi: secundarius vero est restitutio sanitatis : porro uterque supponit hominem infirmare. Sed etiam ad hoc significandum, forma hujus sacramenti per modum deprecationis instituta est, ut vidimus; materia vero per modum unctionis seu curationis; ergo, etc.

37. — *Quæritur* autem *quisnam gradus infirmitatis* requiratur ut *possit,* aut *debeat* conferri hoc sacramentum?

Resp. 1° Ut *licite,* et probabilius etiam *valide* conferatur, requiritur infirmitas ex sua specie, vel in hoc individuo, judicio prudentum gravis, et quæ infirmum in gravi, etsi non proximo, periculo vitæ constituat. Ita S. Th., Suarez, S. Ligor., Benedict. XIV, et alii communiter; et consonat communis usus Ecclesiæ.

Revera, dum Conc. Flor. declarat subjectum hujus sacramenti, atque designat tantum infirmum *de cujus morte timetur*, censetur alios quidem infirmos exclusisse. Nec obstat particula *præsertim*, quam addit Conc. Trid.; juxta enim contextum Concilii, ut patet, hæc particula solum denotat posse dari hoc sacramentum infirmis qui periculose decumbunt, etiamsi non sint *constituti in exitu vitæ*, sive in articulo mortis, modo immineat mortis periculum.

2° Non solum *potest*, sed *debet* conferri, quando tum periculose decumbit infirmus, *ut in exitu vitæ constitutus videatur*. Si enim aliquando urgeat præceptum hoc administrandi sacramentum, patet tunc saltem temporis urgere, quando jam proximum videtur mortis periculum.

3° Non exspectari debet *ultima vitæ periodus*, in qua infirmus *sensibus destitutus jam agit animam*. Perversa est enim et perniciosa hæc praxis : « *Gravissime* peccant, ait Catech. Rom., qui illud tempus ægroti ungendi observare solent, cum jam omni spe salutis omissa, vita et sensibus carere incipiat. » Siquidem tunc infirmus privatur uberiori fructu quem recepisset, si sacramentum suscepisset dum erat rationis compos, cum magis ad illud se disposuisset. Item, dum sensu viget, privatur auxiliis huic sacramento propriis ad resistendum dæmoni, et ad perferenda morbi incommoda, tunc præsertim temporis necessariis. Sed etiam infirmus, si forte esset in mortali, et compos rationis sacramentum recepisset, auxilio attritionis gratiam forte fuisset adeptus, qua alioquin privatur. Denique virtute hujus Sacramenti forte fuisset consecutus sanitatem corporis, si tempore congruo collatum fuisset, ex dictis n. 29. Porro hæc omnia saltem simul congesta videntur grave damnum infirmo afferre, ait S. Ligor., n. 714.

« Quare, inquit Catech. Rom., Parochis animadvertendum est, ut eo potissimum tempore cœlestem medicinam adhibeant, illam quidem semper vi sua admodum salutarem, cum eorum etiam pietate et religione, qui curandi sunt, magis profuturam intellexerint. »

4° *Licite* conferri *potest* hoc sacramentum ægrotanti in *putato* tantum periculo vitæ. Ita, contra quosdam, senten-

tia communis, quam tenent Suarez, Scotus, S. Ligor., et alii. Tunc enim, ex hypothesi *prudenter* putatur infirmum esse in periculo mortis : porro, ex Conc. Florent., ungi debet ille de *cujus morte timetur;* ergo, etc. Et vero, cum Christus ministrationem hujus sacramenti hominibus reliquerit, credendum est eum sic reliquisse, ut possint concedere illud omnibus, quibus probabiliter judicatur periculum mortis imminere.

Itaque 1. In *dubio* an infirmitas sit *periculosa mortis*, non potest ministrari, tum quia præceptum est ne aliis quam vitæ periclitantibus ministretur, tum quia in hoc casu et quidem sine ratione sufficienti dubium remaneret ipsum sacramentum ; secus vero, si vera periculi adesset probabilitas, sive prudens timor ; ita Scotus, Suarez, S. Ligor., Laym., etc.

2. Ungendi sunt *senes*, qui licet nulla speciali infirmitate detineantur, ipsa tamen decrepita senectute ad oculum deficiunt, et creduntur proxime morituri : gravis enim senectus et virium deficientia morbus est. Item ungendi sunt *veneno infecti, lethaliter vulnerati, mulieres* in ipso actuali partu periculose laborantes.

3. Ungendi non sunt, qui sano corpore sunt in periculo mortis, ut capite plectendi, prælium aut periculosam navigationem ingressuri, mulier proxima partui. Licet enim de eorum morte timeatur, non sunt tamen infirmi.

PROPOSITIO II

38. — *Extrema Unctio per se supponit primam gratiam et ideo contritionem ; per accidens tamen, ad eam sufficit attritio.* Certum est.

Et quidem 1° *per se supponit gratiam, et contritionem.* Nam Extrema Unctio est sacramentum vivorum, nec ex directa intentione institutum est ad gratiam primam primo conferendam, sed ut quædam sanatio vel medicatio, tanquam Pœnitentiæ complementum, ut vidimus, n. 25, 27 : ergo per se supponit primam gratiam, spiritualem vitam atque Pœnitentiæ sacramentum.

Hinc indigne accedit, qui sciens se esse solummodo attri-

tum, et attritionem per se non sufficere, nihilominus accedit cum *sola attritione,* absque sacramento Pœnitentiæ.

2° *Per accidens* sufficit *attritio,* quando scilicet, invincibiliter putatur contritio, quæ solum gradum attritionis attingit, vel quando quis putat attritionem esse sufficientem dispositionem; vel denique si sacramentum detur alicui actuali rationis usu destituto, modo fuerit attritus, quando rationis usum perdidit; in hoc casu sine dubio justificatur, ait Suarez. De hoc autem statu juxta proxime præcedentem dispositionem judicandum est, quia in illa censetur moraliter perseverare.

Hinc conferri potest aut debet, saltem sub conditione, Extrema Unctio in omnibus casibus, in quibus exstat aliquod dubium de dispositione aut intentione infirmi : qui casus jam expositi sunt et evoluti in Tract. *de Pœnit.*, n. 212, 213. Scilicet, hic agitur de moribundo jam sensibus orbato : porro tali infirmo Extrema Unctio debet aut saltem potest sub conditione conferri, 1. quando ille moribundus *signa contritionis dedit*, antequam sensibus orbaretur, et *Extremam Unctionem petiit;* 2. quando nulla quidem signa contritionis dedit, sed *christiane vivebat;* 3. quando *in peccato certe vivebat*, et *nullis indiciis ostendit se dolere de peccatis,* sed *fidem catholicam adhuc tenebat;* 4. quando etiam *in actu peccati rationis usum amisit;* 5. quando ille moribundus est *hæreticus materialis* seu ex bona fide.

Imo in his et similibus casibus, *tutius est conferre Extremam Unctionem, quam sacramentum Pœnitentiæ.* Nam, ad sacramentum Pœnitentiæ requiruntur non solum confessio, sed etiam attritio et quidem *sensibilis*, et elicita *in ordine ad absolutionem*, atque votum satisfactionis : porro ad Extremam Unctionem requiritur et sufficit in moribundo attritio mere interna; ergo, in præfatis casibus, tutius confertur Extrema Unctio, quam Pœnitentia. Quod sedulo attendant Sacerdotes, quibus animarum cura incumbit; n. 42.

39. — *Quæritur* 1° an *liceat administrare Extremam Unctionem infirmo inscio*, qui tamen actuali rationis usu gaudet?

Resp. Nunquam *licet*, tum propter reverentiam erga sacra-

mentum, tum propter effectus speciales Extremæ Unctionis.
1. Susceptio sacramenti cujuslibet est actio humana, imo et supernaturalis, quæ ideo per se assensum et cooperationem subjecti requirit, quoties saltem haberi potest.

2. Sacramenta gratiam ex opere operato producunt secundum propriam cujusque dispositionem, præsertim actualem, ut vidimus ubi de *Sacram. in genere*, n. 72, 74 : porro, qui inscie sacramentum recipit, non directe, nec ideo ita congruenter ad illud se disponit; ergo, etc. Et vero hoc specialiter verum est pro Extrema Unctione, ex dictis, n. 20.

40. — *Quæritur* 2° an sacramenta *Pœnitentiæ et Eucharistiæ* infirmo *præbenda sint ante Extremam Unctionem*?

Resp. Ex generali Ecclesiæ consuetudine et Rituali Rom., Pœnitentiæ et Eucharistiæ sacramenta præbenda sunt ante Extremam Unctionem. Sacra enim unctio est Pœnitentiæ consummativa; ergo post eam dari debet. Eucharistia etiam est cibus ad confortandum in via; et ideo, ut detur, non expectandum est ultimum vitæ periculum; at extrema unctio est quasi in ultimum subsidium instituta; ergo, etc. Quando statim post Eucharistiam administratur, bis recitari debet *Confiteor*, ex S. Cong. Rit. 1841.

Attamen, si tempus et infirmi conditio aliud requirant, poterit Unctio administrari ante Viaticum, quia « consuetudo præmittendi Viaticum, non est recepta saltem sub gravi obligatione, » inquit Benedict. XIV. Unde mos fuit antiquus et nunc etiam alicubi viget, servandi Viaticum in postremum et omnia ad illud quodammodo referuntur, ut vidimus ubi de *Sacram. in genere*, n. 30.

PROPOSITIO III

41. — *Non omnino constat Extremæ Unctionis Sacramentum esse necessarium necessitate præcepti per se, bene vero per accidens.*

Et quidem 1° *non omnino constat esse necessarium necessitate præcepti per se*. Hoc enim negant S. Th., Suarez, Caj., Estius, Sylvius, et alii. Nam talis obligatio non habetur neque ex vi institutionis, cum non sit necessarium ad salutem, sed tantum utile, et ad melius esse; neque ex præcepto divino, cum communiter Theologi verba S. Jacob., *inducat Presbyteros*, interpretentur de consilio tantum;

neque ex præcepto ecclesiastico, quod assignari nequit in traditione, nec in decretis Conciliorum aut SS. Pontificum.

Alii tamen sentiunt aliquod adesse præceptum, sive quia verba *inducat Presbyteros*, obligationem indicant; sive quia infirmus qui negligit hoc sacramentum suscipere, videtur graviter delinquere contra charitatem sui ipsius. « Hæc sententia est probabilis, inquit S. Ligor., n. 733, et omnino suadenda mihi appareat, non tam ratione præcepti, quia de eo saltem non constat, quam ratione charitatis erga seipsum. Nam, licet moribundus possit aliis præsidiis se corroborare, tamen in tali statu constitutus, ex una parte, cum magna difficultate ad bonos actus se valet excitare, cum ob mentis oppressionem vires propriæ tunc sunt debiliores; et ex altera, vehementiores sunt, ut ait Conc. Trid., dæmonis insidiæ; unde ingenti periculo se exponere videtur tentationibus succumbendi, qui negligit se munire hoc sacramento a Christo Domino instituto, tanquam firmissimo præsidio in tanto conflictu. » Idem asserit Billuart quoad praxim, etsi speculative disputando sentiat nullum adesse præceptum. « Cum soleant, inquit, urgere tentationes in hoc ultimo agone, ad quas superandas hoc sacramentum institutum est, magnam salutis suæ incuriam, et de se præsumptionem ostenderet, qui illud negligeret aut recusaret. »

2° Omnes conveniunt quod *per accidens* posset infirmus peccare mortaliter, omittendo suscipere hoc sacramentum, scilicet, vel si omittendo, scandalum daret; vel si adesset contemptus; vel si infirmus tentationibus solito gravioribus concuteretur, quas vix aut ne vix posset superare.

42. — Hinc patet quantam obligationem habeant Parochi hoc Sacramentum ministrandi iis, qui petunt; sed etiam omni studio urgendi segniores, ut illud accipiant, et quidem in tempore opportuno, ut diximus, n. 37. Quare « Parochus præstare curet, inquit S. Carolus Borr., ut, Missa celebrata, si quos infirmos Parochiali vicinia habet, *frequenter* atque adeo *quotidie* visitet; eisdemque præstet,

prout opus esse viderit, officia charitatis et sollicitudinis parochiali suo muneri conjuncta.

« Habeat in promptu argumenta ad animum consolandum, excitandumque ad res divinas et æternas congrua. Magnum et necessarium est ministerium, majorque parocho incumbit obligatio assistendi ægroto incipienti agonizare, et ferendi opem in eo periculoso momento. » Leurenius, *Forum beneficiale*, p. 1, q. 438.

Praxis est Romæ et in cæteris status pontificii diœcesibus, ut infirmus in extremis constitutus, *nullo diei noctisve tempore*, sacerdotis auxilio et præsentia destituatur. A qua praxi nonnulli in Gallia recedunt parochi, in hac re tanti momenti suum officium satis non intelligentes.

Et quis morientem, jamque ante tribunal Christi trepidantem suavius efficaciusque, ac Sacerdos, potest in fide confortare, in spem erigere, et in charitate consummare! Legantur et pia meditatione recolantur monita Ritual. Rom. circa infirmorum curam et visitationem. Vide Tract. *de Sacram. in genere*, n. 143; Institut. canonicas, Tract. 5, n. 256.

PROPOSITIO IV

43. — *Sacramentum Extremæ Unctionis iterabile est in novo morbi periculo tantum*. Certum est.

Et quidem 1° *in novo morbi periculo*, ut constat ex Conc. Trid. : « Quod si infirmi, inquit, post hanc susceptam unctionem *convaluerint, iterum Sacramenti hujus præsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint ;* » n. 4. Hoc revera sacramentum ordinatur uti curatio et medicina ad sanandum : porro medicina toties iterari debet, quoties infirmitas iteratur ; ergo et hoc sacramentum : in nova enim ægritudine, novo indiget auxilio.

2° *In novo tantum morbi periculo*. Constat 1. ex Conc. Trid. jam citato, quod statuit posse iterari, si infirmus convaluerit ; ergo iterari nequit, si non convaluerit. 2. Ex universali Ecclesiæ praxi. 3. Quia, durante eodem infirmitatis periculo, sufficit semel collatum ad curationem spiritualem.

Dixi : *durante eodem morbi periculo*, et non absolute *durante eodem morbo*. Hoc enim Sacramentum non respicit infirmitatem ut sic, sed infirmitatis *statum* seu periculum vitæ infirmi, et ideo non datur cuilibet infirmo, sed in periculo mortis constituto, ut dictum est, n. 36. Unde, si quis unctus in periculo illud evaserit, et postea, quamvis ab eadem infirmitate non plene convaluerit, in illud reincidat, ut contingit in morbis diuturnis, potest iterum inungi. Licet enim non sit alia infirmitas simpliciter, est tamen alius status seu aliud periculum infirmitatis, ut ait S. Th., q. 34, a. 2 ; et ita praxis communis.

Unde patet necessarium esse status illos ægritudinis per aliquam moram interrumpi, ita ut secundum communem æstimationem diversi censeantur. Ut autem hæc mora pro unoquoque casu determinetur prudenti arbitrio, omnes circumstantias ponderanti, relinquendum est. Non sufficit tamen infirmum per quatuor, vel quinque dies ita se melius habere, ut videatur mortis periculum evasisse ; ita S. Ligor., n. 715, post alios.

Si vero *dubitetur*, an revera status morbi mutatus sit, iterandum est Sacramentum, juxta Benedict. XIV, eo quod hoc sit uniformius veteri Ecclesiæ consuetudini, et per hanc iterationem novum spirituale subsidium infirmo obveniat. « Hoc tamen, inquit S. Ligor., intelligendum est de *dubio positivo*, nempe quando *probabile* est infirmum jam exiisse a periculo mortis. »

Hæc de Extrema Unctione : quæ si memoriam non prætermittantur, sed fideliter in praxi a Parochis et fidelibus custodiantur, dubitandum non est quin animæ ex hoc Sacramento maximum pietatis et salutis fructum percipiant, ut ait Catech. Rom.

FINIS TRACTATUS DE EXTREMA UNCTIONE

TRACTATUS

DE ORDINIS SACRAMENTO

CONC. TRID. DECLARATIONES, CANONES

DE SACRAMENTO ORDINIS, *Sess.* XXIII.

CAP. 1. *De institutione Sacerdotii novæ legis.*

1. — SACRIFICIUM et Sacerdotium ita Dei Ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni lege exstiterit. Cum igitur in novo Testamento sanctum Eucharistiæ sacrificium visibile ex Dei institutione catholica Ecclesia acceperit; fateri etiam oportet, in ea novum esse visibile et externum Sacerdotium, in quod vetus translatum est. Hoc autem ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse, atque Apostolis, eorumque successoribus in Sacerdotio, potestatem traditam consecrandi offerendi, et ministrandi corpus et sanguinem ejus, nec non et peccata dimittendi et retinendi, sacræ litteræ ostendunt, et Catholicæ Ecclesiæ traditio semper docuit.

CAP. 2. *De septem Ordinibus.*

2. — Cum autem divina res sit tam sancti Sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius, et majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesia ordinatissima dispositione plures, et diversi essent ministrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent. ita distributi, ut, qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. Nam non solum de Sacerdotibus, sed et de Diaconis sacræ litteræ apertam mentionem faciunt, et quæ maxime in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent; et ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, Subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcistæ, Lectores, et Ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. Nam Subdiaconatus ad majores Ordines a Patribus et sacris Conciliis refer-

tur, in quibus et de aliis inferioribus frequentissime legimus.

CAP. 3. *Ordinem vere esse Sacramentum.*

3. — Cum Scripturæ testimonio, Apostolica traditione, et Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quæ verbis, et signis exterioribus perficitur gratiam conferri; dubitare nemo debet, Ordinem esse vere et proprie unum ex septem Sanctæ Ecclesiæ Sacramentis; inquit enim Apostolus : « Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum; non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis. »

CAP. 4. *De Ecclesiastica hierarchia et ordinatione.*

4. — Quoniam vero in sacramento Ordinis, sicut et in Baptismo, et Confirmatione, character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest : merito Sancta Synodus damnat eorum sententiam qui asserunt, novi Testamenti Sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, et semel rite ordinatos, iterum laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant. Quod si quis omnes Christianos promiscue novi Testamenti Sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam Ecclesiasticam hierarchiam, quæ est ut castrorum acies ordinata, confundere : perinde ac si contra B. Pauli doctrinam omnes Apostoli, omnes Prophetæ, omnes Evangelistæ, omnes Pastores, omnes sint Doctores. Proinde sacrosancta Synodus declarat, præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere; « et positos » sicut idem Apostolus ait, « a Spiritu Sancto, regere ecclesiam Dei : » eosque Presbyteris superiores esse, ac sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse : quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent.

Docet insuper sacrosancta Synodus, in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, et cæterorum Ordinum, nec populi, nec cujusvis secularis potestatis, et magistratus consensum, sive vocationem, sive auctoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio : quin potius decernit eos, qui tantummodo a populo, aut seculari potestate, ac magistratu vocati et instituti, ad hæc ministeria exercenda ascendunt, et qui ea

propria temeritate sibi sumunt, omnes non Ecclesiæ ministros, sed fures et latrones, per ostium non ingressos, habendos esse.

Hæc sunt, quæ generatim sacræ Synodo visum est Christi fideles de Sacramento Ordinis docere. His autem contraria, certis, et propris, canonibus in hunc, qui sequitur, modum damnare constituit : ut omnes, adjuvante Christo, fidei regula utentes, in tot errorum tenebris Catholicam veritatem facilius agnoscere et tenere possint.

5. — Si quis dixerit, non esse in novo Testamento Sacerdotium visibile, et externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi, et offerendi verum corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi ; sed officium tantum et nudum ministerium prædicandi Evangelium, vel eos, qui non prædicant, prorsus non esse Sacerdotes : A. S.

6. — Si quis dixerit, præter Sacerdotium, non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, et majores, et minores, per quos, velut per gradus quosdam, in Sacerdotium tendatur : A. S.

7. — Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram Ordinationem non esse vere et proprie Sacramentum, a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum a viris rerum Ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi Dei, et Sacramentorum : A. S.

8. — Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopis dicere : « Accipe Spiritum Sanctum ; » aut per eam non imprimi characterem ; vel eum, qui Sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse : A. S.

9. — Si quis dixerit, sacram Unctionem, qua Ecclesia in sancta Ordinatione utitur, non tantum non requiri, sed contemnendam, et perniciosam esse ; similiter et alias Ordinis cæremonias : A. S.

10. — Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, et Ministris : A. S.

11. — Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris supe-

riores, vel non habere potestatem confirmandi, et ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem; vel Ordines ab ipsis collatos sine populi vel potestatis secularis consensu, aut vocatione, irritos esse, aut eos, qui nec ab Ecclesiastica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et Sacramentorum ministros : A. S.

12. — Si quis dixerit, Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos, et vere Episcopos, sed figmentum humanum : A. S.

OBJECTUM, UTILITAS ET DIVISIO TRACTATUS

13. — Agendum est de *Ordine*, seu de ritu quo homines quidam ex aliis assumuntur, et pro hominibus constituuntur in his quæ sunt ad Deum, ad offerendum scilicet sacrificium, atque ad obeunda cætera Ecclesiastica munia. « Alia igitur omnia Sacramenta ita ab eo pendent, ut sine illo partim confici et administrari nullo modo queant, partim solemni cæremonia et religioso quodam ritu ac cultu carere videantur. » Catech. Rom.

Nulla proinde in re Theologica disputatio, quæ adeo *ad nos* spectet, qui « in sortem Domini vocati sumus, et facti ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei. » Quare necesse est de Ordinis sacramento doctrinam singulari diligentia addiscere quicunque ad ecclesiasticum statum vel aspirant, vel jam in eo sunt constituti, ut omnes, quæ in hoc sacramento contrahuntur, obligationes fideliter adimpleant : *Dignum est*, inquit S. Amb., *ut dignitas Sacerdotis noscatur a nobis; et deinde servetur a nobis.*

Dividitur Tractatus in tria capita : 1° de Ordinis sacramento in genere; 2° de Tonsura, et singulis Ordinibus in specie; 3° de irregularitabus[1].

1. Circa Tract. *de Ordine*, consuli possunt Catech. Rom., 2 p.; S. Th., Suppl., q. 34 et seq.; P. Perrone; S. Ligorius; eximium opus D. Olier, cui titulus *Traité des SS. Ordres;* et D. de Lantages, *Instructions ecclésiastiques, où l'on tâche de faire ressortir l'essence, la dignité et la sainteté du Clergé.*

CAPUT PRIMUM

DE SACRAMENTO ORDINIS IN GENERE

Dicemus 1° de notione, existentia Sacramenti Ordinis, et de Ordinum numero et natura; 2° de materia et forma Ordinis; 3° de multiplici fine et effectu; 4° de ministro; 5° de suscipiente et suscipientis dispositionibus.

ARTICULUS PRIMUS

De notione, existentia Sacramenti Ordinis, de Ordinum numero, et natura.

§ I

De Ordinis notione.

14. — *Quæritur* 1° quid sit Ordo quoad *nomen?*

Resp. Tripliciter sumitur Ordo. Scilicet, 1° pro *apta dispositione mediorum ad finem*, vel, ut ait Catech. Rom., « pro dispositione superiorum et inferiorum rerum, quæ inter se ita aptæ sunt, ut una ad alteram referatur. » Sic Deus, ut rebus gubernatis major inesset perfectio, res contingentes alias aliarum causas instituit, nomine causarum *secundarum* vulgo designatas, ita ut inter creaturas eluceat *subordinatio* seu *ordo*, quo ad finem communem referuntur. Hoc modo Ecclesiastica hierarchia ex Episcopis, Presbyteris et Ministris constans, ad animarum supernaturalem in Deum reductionem, recte ac commode *Ordo* nuncupatur.

In hoc sensu sumptus, Ordo triplici elemento constat, ut jam diximus in Tract. *de Angelis*, 77, nempe 1. *fine;* 2. *causa* seu *potestate* ad finem reducente; 3. *medio* a causa ad finem reducendo.

2° Pro ipso *gradu* et *dignitate* quam quis obtinet in illa subordinatione causarum secumdarum, ad finem præsertim supernaturalem; eo sensu dicitur *Ordo Sacerdotalis, Episcopalis ;* et sic sumptus, est quid *permanens.*

3° Pro *sacro ritu* seu *actione,* qua confertur gradus sive potestas ad animas in Deum supernaturaliter reducendas;

et sic sumptus Ordo est aliqua *actio transiens*. Actio hujusmodi a Latinis proprie vocatur *Ordinatio* aut *sacra Ordinatio, manuum impositio* et quidem *Ordinatoria*, ut distinguatur ab impositione manuum, quæ fit in Confirmatione aut in Pœnitentia. A Græcis autem dicitur χειροτονια seu *manuum extensio*, aut *porrectio*, interdum vero χειροθεσια seu *manuum impositio*[1].

In hoc præsertim ultimo sensu illa vox sumitur in præsenti Tractatu ; attamen sæpe hic adhibitur etiam ad significandum gradum vel dignitatem ex hujusmodi potestate a ritu sacro collata consequentem.

15. — *Quæritur* 2° quid sit ordo quoad *rem?*

Resp. Ordo seu proprie Ordinatio recte definitur : *Ritus sacer seu Sacramentum novæ legis, quo stabiliter confertur potestas ad conficiendum Eucharistiam et alia Sacramenta, atque ad alia Ecclesiastica ministeria exercenda*. Ordo vero est hujusmodi potestas stabiliter collata.

Et quidem 1 : *ritus sacer* seu *Sacramentum;* scilicet, quatenus ritus sacer, Ordinatio omnes omnino gradus seu Ordines complectitur, etiam eos in quibus, ex plurium sententia, sacramenti ratio desideratur ; quatenus vero sacramentum, ad eos tantum gradus atque Ordines refertur, in quibus vera sacramenti ratio dignoscitur.

2. Quo *stabiliter potestas* confertur; et in hoc differt ab aliis hoc Sacramentum. Alia siquidem principaliter sunt ad gratiam sanctificantem, sed pro fine speciali conferendam; Ordinatio autem potestatem spiritualem, et ideo characterem principaliter importat.

3. *Ad conficiendum Eucharistiam;* et in hoc designatur finis principalis hujusmodi potestatis, qua homines consecrantur Sacerdotes ad sacrificium Eucharisticum Deo offerendum.

1. Vox χειροτονια a Græcis ambigue usurpatur, siquidem sæpe Ordinationem, interdum vero nudam electionem, quæ popularibus suffragiis olim fiebat, significat. Similiter χειροθεσια intelligitur de qualibet in sacris manuum impositione, sæpius vero de Ordinatione. Hac vocis ambiguitate novatores sæpe abusi sunt. Vide Klée, 2e p., c. 6, § 7, n. 1.

4. *Et alia Sacramenta*, etc.; in quo exprimitur finis secundarius illius potestatis et ideo Sacramenti. Omnia enim alia ministeria non ad aliud communicantur, quam ad disponendos fideles ut digne sacrificio Eucharistico intersint, et Eucharistiam digne recipiant, ut infra dicetur.

§ II

De existentia Sacramenti Ordinis.

16. — Negarunt sacramenti ordinis existentiam, ac contenderunt christianos omnes qua tales, esse sacerdotes. Marcionitæ, ut refert Tertull. *de præscript.*, c. 41, Cathari, Flagellantes, Wiclefus, Hussitæ, Lutherus, Zwinglius, Calvinus. Idem sentiunt hodierni protestantes; nullum enim sacrificium, nec proinde sacerdotium proprie dictum agnoscunt, ex dictis in Tract. *de Euchar*. n. 181; sed retinent aliqualem delegationem ab ipsis fidelibus conferendam, ad nutum revocabilem, pro quibusdam cæremoniis externis omni gratiæ effectu destitutis; et propterea illi delegati non dicuntur *sacerdotes*, sed *ministri*. Anglicani tamen hactenus proprie dictam ordinationem confitentur, etsi eamdem validam non retinuerint, ut communiter creditur.

PROPOSITIO

17. — *Ordo seu Ordinatio est verum et proprie dictum novæ legis Sacramentum*. De fide est.

Constat 1° *Script*. I Tim., 4, ℣ 14 : *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam* (secundum præcedentem, nimirum, revelationem de futura Timothei ordinatione) *cum impositione manuum Presbyterii*. Quod idem clarius adhuc exponitur II Tim., 1, ℣ 6, 7 : *Admoneo te, ut ressuscites gratiam Dei, quæ in te est per impositionem manuum mearum*. Quam quidem gratiam statim explicans: *Non enim*, inquit, *dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis*.

Unde sic : ad sacramentum novæ legis tria requiruntur et sufficiunt, signum efficax gratiæ, a Christo permanenter institutum : atqui hæc tria hic affirmat Apostolus. *Signum*

externum, scilicet, impositio manuum; *efficax gratiæ sanctificantis*, siquidem per hujusmodi impositionem manuum datur spiritus virtutis et dilectionis; *permanenter institutum*, ut constat ex verbis : *Manus cito nemini imposueris*, I Tim. 5, ℣ 22, ex quibus colligitur Timotheum habere potestatem ordinandi deinceps alios, ideoque aliis Episcopis eamdem potestatem competere. Ergo, etc.; n. 3.

Nec dicatur : simplices Presbyteri non conferunt Ordinis sacramentum : atqui Apostolus hic loquitur de manuum impositione *Presbyterii* seu Sacerdotum : ergo non agitur de Ordinis sacramento. Namque vox *Presbyteri*, seu Presbyterii, ab initio æquivoca fuit, et usurpatur ad designandos Sacerdotes sive primi, sive secundi ordinis. Hic autem adhibitam esse ab Apostolo ad significandos Episcopos, patet tum ex antiquissimis versionibus quæ verba illa reddunt : « Per impositionem manuum *Episcopi;* » tum ex ipso Apostolo, qui in alio loco scribit : « per impositionem manuum *mearum;* » tum ex S. Chrysost. : « Non de Presbyteris, inquit, hic loquitur (Apostolus), sed *de Episcopis;* neque enim Presbyteri Episcopum ordinabant. » Vide Institut. canonicas, Tract. 4, n. 7-11.

2° *Traditione*. Etenim, juxta SS. Patres, sacerdotium, quo offertur sacrificium ac conficiuntur sacramenta, non ad omnes fideles spectat, sed ad specialem personarum classem nempe, Episcoporum, presbyterorum, qui soli proprie vocantur sacerdotes, atque ut tales permanenter constituti per ritum sacrum seu ordinationem : ita, inter alios, S. Ignat., Epist. ad Smyrn., ad Trallenses; S. Iren. *de Hæres.*, lib. 4, c. 33; S. Cypr., Epist. 65; Origen., in Lev. homil. 2, n. 3 : Gregor. Naz. Orat. 2, carm. 11; S. Chrysost. *de Sacerdot.* lib. 3, c. 1; S. Hieron. Epist. 55 ad Heliodor., n. 14; S. August. lib. 2, c. 13 contra Epist. Parmeniani; etc.

Idem definitum est a Conc. Florent. et Trid., n. 1, 3, 7 : « Si quis dixerit, *Ordinem sive sacram Ordinationem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum :* anathema sit. »

In hoc consentiunt *Ecclesiæ Græcæ*, imo fere omnes hæretici, qui ante Lutherum pullularunt, ad quos accedit

plurium tum veterum [1], tum recentiorum Protestantium confessio; vide Esslinger, *Apologie de la Relig. Cath.*, etc.

3° *Ratione Theol.* Ex dictis in Tract. de Euchar., n. 182, 183, *de Confir.*, *de Pœnit.*, *de Extremæ Unct.*, et ex dicendis infra, n. 35, 36, Christus constituit perenniter in terris potestas sacerdotalis, qua scilicet, a certis hominibus offerretur Missæ sacrificium, et conferretur gratia per sacramenta confirmationis, Pœnitentiæ et Extremæ Unctionis, et etiam communicaretur illamet sacerdotalis potestas.

Atqui hujusmodi potestas sacerdotalis alligari debuit alicui ritui sacramentali seu ordinationi, et non solummodo conferri per voluntatis actum, uti jurisdictionalis potestas docendi ac regendi.

Etenim jurisdictio in actu intellectus et voluntatis consistit; immediate versatur circa hominum intellectus et voluntates per magisterium ac regimen; de se mobilis est seu facile retrahi potest; de se variabilis, seu omni modo extendi aut restringi valet; et ita dignitatem quidem per se constituit, non vero specialem statum seu conditionem moraliter vivendi ex se stabilem; ergo connaturale est illam potestatem conferri per missionem seu per intellectus et voluntatis actum, qui in se non minus intellectualis ac moralis est, circa intellectus et voluntates versans, de se mobilis ac variabilis, nec per se statum, sed dignitatem constituens.

At, virtus seu potestas sacerdotalis in nova lege proprie consistit seu exercetur actu humano quidem, sed *externo* ac *physico;* immediate versatur circa *signa sensibilia*, quibus solis mediantibus, immolatur Christus, et sanctificantur homines ex opere operato; de se ideo illa potestas, haud

1. « Sacramentum *Ordinis* sive hierarchiæ ecclesiasticæ est, quod officium et potestas ecclesiastica sive spiritualis, sui gradibus distincta, *certis* hominibus confertur, quorum ministerio utitur Deus ad sacramentorum suorum gratiam dispensandam hominesque docendos, regendos et unitate fidei et obedientia charitatis retinendos, addita vi cujusdam jurisdictionis quæ in clavium usu potissimum comprehenditur. Pertinent autem ad pastorum Ecclesiæ hierarchiam, non tantum *Sacerdotium* et hujus *præparatorii gradus*, sed et *Episcopatus*, et ipse *Primatus maximi Pontificis* : quæ omnia *divini juris esse, credendum* est. » Leibnizius, *Systema Theolog.*

secus ac illa signa sensibilia, circa quæ versatur, est stabilis, invariabilis; et ideo ex se statum specialem, et non mere dignitatem, constituit, uti requiritur ad talia munia obeunda. Ergo connaturale est talem virtutem sacerdotalem conferri per signum sensibile, quod Ordinis sacramentum nuncupatur.

18. — *Quæritur* quandonam institutum fuerit Ordinis sacramentum?

Resp. Christus in ultima cœna Apostolos consecravit sacerdotes his verbis : *Hoc facite in meam commemorationem*, ut definivit Conc. Trid., sess. 22, c. 1, can. 2; vide Tract. *de Euchar.*, n. 158, 168, 182, 187, 204.

An autem iisdem verbis Apostolos consecraverit Christus Episcopos, eis conferendo characterem Episcopalem seu potestatem aliis ordinem sive sacerdotii, sive Episcopatus communicandi, non consentiunt auctores. Alii quippe censent solum Petrum fuisse a Christo ordinatum Episcopum ; ipsum vero reliquos Apostolos consecrasse ; alii autem sentiunt Christum ordinasse Episcopos, Petrum, et Joannem et Jacobum ; alii demum volunt omnes Apostolos immediate ab ipso Christo fuisse Episcopos ordinatos. Vide Suarez, *de Fide*, 1 p. disput. 10, sect. 1.

§ III
De numero Ordinum.

PROPOSITIO PRIMA

19. — *Plures sunt Ordines*. De fide est.

Constat 1° *ex Conc. Trid.* quod definivit, n. 10, 6, « esse in Ecclesia catholica hierarchiam *divina ordinatione* institutam, quæ constat Episcopis, Presbyteris, et Ministris, » ac præter Sacerdotium, esse in Ecclesia catholica *alios* ordines, *et majores et minores*, per quos velut per gradus quosdam, in sacerdotium tendatur »[1].

1. Ex illa duplici definitione sequitur ad fidem *catholicam* pertinere quod sint *plures ordines*, vel *alios ordines* præter sacerdotium, et hoc in propositione asseritur; ad fidem vero *ecclesiasticam* tantum pertinere quod sint ordines *et majores et*

2° *Ex congruentiis.* Convenit enim plures esse Ordines, 1. propter Dei sapientiam commendandam, quæ in distinctione rerum ordinata maxime relucet tam in naturalibus, quam in spiritualibus : unde « regina Saba videns *ordinem ministrantium Salomoni*, non habebat ultra spiritum : » III Reg. 10, ℣ 5. — 2. Ad subveniendum humanæ infirmitati : quia per unum non poterant omnia quæ ad divina mysteria pertinent, expleri, sine magno gravamine ; simili ratione Deus dedit Moysi septuaginta senes in adjutorium. 3. Ut via proficiendi hominibus amplior detur, dum plures in diversis officiis distribuuntur, ut omnes sint Dei cooperatores, quo *nihil divinius ;* S. Th. Suppl. q. 37, a. 1. — 4. Ad reverentiam erga Sacerdotium promovendam ; cum enim, ait Conc. Trid., n. 2, « divina res sit tam sancti Sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius et majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesia ordinatissima dispositione, plures et diversi essent ministrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deservirent. »

PROPOSITIO II

20. — *Septem sunt Ordines in Ecclesia.* Certum est.

Constat 1° *Ex Conc. Trid.*, n, 2, quod, postquam dixerit de Sacerdotibus et Diaconis apertam mentionem fieri in Litteris sacris, addit : « Ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, *Subdiaconi* scilicet, *Acolythi, Exorcistæ, Lectores* et *Ostiarii*, in usu fuisse cognoscuntur. » Idem colligitur ex latinis Pontificalibus et Ecclesiæ usu.

2° *Ex SS. Patribus.* S. Ignatius, martyr, in epist. ad Antioch., salutat Presbyteros, Diaconos, Hypodiaconos (Subdiaconos), Lectores, Exorcistas, Janitores. Eosdem cum Acolythatu Ordines recensent S. Cornelius Papa, Sylvester Papa in Conc. Rom. III, et Conc. Carth, IV, ubi S. Aug. interfuit.

minores : et hoc in præfata propositione non continetur, sed tractabitur infra, n. 22.

« Hos autem ordines, præter sacerdotium et Diaconatum, esse de *divina* institutione, necne, Conc. Trid. non definivit, sed tantum statuit, can. 2 (supra, n. 6), sub anathemate retinendum esse præter sacerdotium in Ecclesia catholica alios ordines, et majores et minores, per quos, velut per gradus quosdam, tendatur ad sacerdotium. » Ita de Angelis, lib. 1, tit. 11.

3° *Ratione congruentiæ*. Ordinis sacramentum ordinatur ad corpus Christi naturale et mysticum, scilicet, ad consecrandam Eucharistiam, et ad fideles reddendos idoneos, ut hoc Sacramentum digne suscipiant : porro septem functiones assignari possunt circa hujusmodi : nempe 1. Sacerdos Eucharistiam consecrat, sacrificium offert, atque fideles ad illam præparat, eos a peccatis absolvendo ; 2. Diaconus tradit Sacerdoti materiam proximam ad sacramentum, vel fidelibus illam jam consecratam dispensat ; 3. Subdiaconus præparat sacramenti materiam non consecratam in vasis sacris ; 4. Acolythus eamdem præparat in vasis non sacris. Sed insuper, quoad corpus mysticum, Diaconus proponit populo doctrinam evangelicam. Subdiaconus apostolicam, Acolythus circa utrumque exhibet, quod pertinet ad solemnitatem doctrinæ, luminaria deferendo. Tres alii Ordines spectant triplex genus immundorum, nempe ; 5. Ostiarii a cœtu fidelium arcent infideles, credere nolentes ; 6. Lectores docent volentes credere, sed nondum instructos, seu Catechumenos ; 7. Exorcistæ purgant eos, qui jam instructi sunt, sed aliquoties impediuntur a perceptione Sacramentorum. Sic patet ratio numeri, et gradus Ordinum.

Attamen Ecclesia Græca, quidquid sit an proxima ab Apostolis ætate omnes habuerit minores Ordines, ut quidam aiunt, nunc certe alios Ordines infra Diaconatum non admittit, nisi Subdiaconatum et Lectoratum ; cæteros vero in suis Euchologiis a mille et amplius annis, nunquam recensuit ; ita Benedict. XIV, *de Synod.*, l. 8, c. 9. At, juxta quosdam, cæteri minores Ordines conferuntur apud Græcos, non distinctis quidem ordinationibus, sed Acolythatus et Ostioratus in Subdiaconatu, Exorcistatus in Diaconatu vel Lectoratu. Vide Billuart, diss. 1, a. 2.

11. — *Quæritur* autem an *Episcopatus sit Ordo distinctus a Presbyteratu, et ideo an sint plures Ordines quam septem ?*

Resp. 1. In thesi præcedenti statuimus septem esse Ordines, sed non demonstravimus non esse plus quam septem ; hoc enim Conc. Trid. disputandum reliquit.

2. Juxta communem et omnino tenendam sententiam, Epis-

copatus, ratione etiam Ordinis, est gradus alius et excelsior Presbyteratu. Attamen duplex ille gradus habetur ut unus Ordo saltem in genere, quatenus Presbyteratus est fundamentum et initium Sacerdotii, Episcopatus autem ipsius apex et complementum; ita ut posterior sit ad priorem, sicut fastigium domus ad fundamentum, ut infra dicetur, n. 39.

PROPOSITIO III

22. — *Inter Ordines, alii dicuntur sacri, alii non sacri, alii majores, alii minores.* Certum est; vide notam, n. 19.

1° *Sacri, et non sacri.* Ordo dicitur sacer dupliciter, vel *in se*, vel *ratione materiæ* circa quam habet aliquem actum. Priori modo omnes Ordines sunt sacri; et ita sæpius sine discrimine appellantur a Conciliis et SS. Patribus. Posteriori modo proprie et specialiter *sacri* vocati sunt olim ordines Sacerdotum et Diaconorum, et etiam a duodecimo saltem seculo Subdiaconatus[1] : tum quia habent aliquem *actum* circa rem aliquam consecratam, nempe Sacerdos et Diaconus circa corpus Christi et sanguinem consecratum, et Subdiaconus circa vasa consecrata; tum quia annexum habent votum continentiæ, ut sancti et mundi sint, qui sancta tractant; S. Th., in 4, dist. 24, q. 2, a. 1.

2° *Majores, et Minores.* Tres Ordines sacri dicuntur Majores, cæteri vero Minores, et quidem a SS. Patribus et Conciliis, ut ait Conc. Trid., n. 2, eo quod majoris sint quam cæteri dignitatis, quatenus omnes illi ad sacra ministeria accedunt, et ideo nobiliores functiones eis attributæ sint, atque his omnibus ex æquo indicta sit continentia.

Præterea Episcopatus, Presbyteratus et Diaconatus peculiariter vocantur *Ordines hierarchici*, id est, sacrum habentes principatum, et fungentes actionibus hierarchicis, quæ tres sunt, scilicet, purgare, illuminare, et perficere.

1. Olim in Ecclesia latina, Subdiaconatus accensebatur minoribus Ordinibus, in quorum classem etiam nunc a Græcis rejicitur. Tum vero primum apud nos cepit sacris annumerari, cum Urbanus II, 1091, vel Innocentius III statuit, ut, absque ulla dispensatione, subdiaconus in Episcopum valeret libere eligi, sicut Diaconus et Sacerdos, ex quorum cœtu antea assumebantur Episcopi. Ita Benedict. XIV, *de Synod.*, lib. 8, c. 9.

§ IV

De Ordinum natura, seu an quilibet ex Ordinibus veram habeat Sacramenti rationem.

PROPOSITIO PRIMA

23. — *Sacerdotium seu Ordo Sacerdotalis verum est Sacramentum.* De fide est.

Etenim, ex dictis, n. 17, Ordo est verum sacramentum : atqui Sacerdotium est omnium Ordinum nobilissimus ac præstantissimus, et ad illud tanquam ad commune principium et finem reliqui omnes Ordines referuntur ; ergo vel Sacerdotium sacramenti dignitate gaudet, vel Ordo nullo modo est Sacramentum.

Sed insuper hoc directe declarat Conc. Trid., cum definit « in Novo Testamento adesse *sacerdotium visibile et externum*, atque *potestatem consecrandi* et *offerendi verum corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi ;* per sacram *Ordinationem* imprimi *characterem,* et eum, qui Sacerdos semel fuit, *laicum rursus fieri non posse ;* » n. 5, 8. Sed hoc ex dicendis iterum confirmabitur.

PROPOSITIO II

24. — *Diaconatus est vere Sacramentum.* Certum est.

Probatur contra Durandum, Cajetanum et Maldon. Etenim Diaconatui competunt tria ad sacramenti rationem requisita, scilicet, 1° *ritus externus* et *permanens,* nimirum impositio manuum et oratio, ut habetur Act., 6, ỳ 6, ubi refertur primos Diaconos per manuum impositionem et orationem ordinatos fuisse. 2° *Gratiæ producendæ virtus ;* quia Episcopus in ordinatione Diaconi dicit, *Accipe Spiritum Sanctum :* id autem frustra non dicit, ut definitur a Conc. Trid., n. 8 ; ergo per Ordinationem diaconalem datur Spiritus Sanctus, ac proinde gratia. 3° *Institutio Christi;* tum quia Trid., n. 10, definivit ecclesiasticam hierarchiam divina ordinatione institutam, constare ex Episcopis, Presbyteris et Ministris : cum ergo Diaconi præcipuum inter Ministros locum obtineant, ad hierarchiam divina ordinatione institutam pertinent, ac consequenter sunt ex divina insti-

tutione; tum quia ritus externus vim habens producendæ gratiæ, non potest esse nisi ex institutione divina; ergo, etc.

25. — Equidem primi Diaconi fuerunt ab Apostolis constituti ad ministrandum mensis, ad quod non requiritur sacramentum. Sed hoc fuit tantum occasionaliter et per accidens, non vero per se primo, et ut finis præcipuus. Alioquin cur ad officium civile convocare multitudinem, singularem curam adhibere, ut eligerentur viri pleni Spiritu Sancto et sapientia, electis manus imponere cum oratione?

Et vero, Stephanus et Philippus statim alia munia obierunt; siquidem primus annuntiavit Christum Judæis; secundus vero Samaritanis, et inde missus ab Angelo, eunuchum Candacis reginæ fide imbuit et baptizavit. Quare tunc instituti erant Diaconi, ubi fideles non agebant vitam communem, nec ideo opus erat ministris ad mensas, ut patet ex Ep. ad Philipp. 1, ℣ 1; I Tim. 3, ℣ 8, 12.

26. — Hinc *Ordo* Sacramentum *unum* est, licet Diaconatus Sacramenti rationem habeat.

Namque divisio Ordinis non est totius integralis in suas partes, neque totius universalis; sed totius potestativi; cujus hæc est natura, quod totum est in uno, in aliis autem aliqua participatio ipsius; scilicet, tota plenitudo sacramenti est in Sacerdotio, sed in aliis Ordinibus quædam participatio Ordinis. Quod significatum est in his quæ Dominus dixit Moysi : *Auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustineant tecum onus populi;* Num. 11, ℣ 17. Similiter in re temporali, quamvis tota potestatis plenitudo resideat penes regem, non tamen excluduntur ministrorum potestates, quæ sunt participationes quædam potestatis regiæ. Ita S. Th., Suppl. q. 37, a. 1, ad 2.

27. — *Quæritur* an subdiaconatus et quatuor Minores Ordines veram habeant Sacramenti rationem?

Resp. Controvertitur. Alii quippe affirmant, omnes illos Ordines veram rationem sacramenti participare; ita S. Th.,

S. Bonav., Sanchez, Bellarm., Sylvius, Melchior Can., etc., et hanc sententiam ut probabilem habet S. Ligor., n. 737.

Namque 1° SS. Patres, Conc. Flor. et Trid. generatim et sine ulla exceptione docent Ordinem esse sacramentum : porro Subdiaconatus et Minores sunt vere Ordines per quos, velut per gradus, in Sacerdotium tenditur, ut ait Trid., n. 2; ergo sacramenti rationem habent. 2. Illi Ordines iterari non possunt; ergo imprimunt characterem; ac consequenter sunt sacramenta; S. Th., Suppl., q. 35, a. 2.

Alii affirmant Subdiaconatum esse sacramentum, non autem Minores; ita Medina, Vasquez, Navarrus, Bona, etc. Attamen non videtur in hac re ponendam esse differentiam inter Subdiaconatum et Minores, cum, ex dictis, n. 22, per decem priora secula Subdiaconatus inter Minores annumeratus fuit. Unde

Alii omnibus illis Ordinibus sacramenti rationem adimunt; ita Petrus Lomb., Morinus, Tournely, Vitasse, Habert, Cabassut, S. Ligor., Scavini, P. Perrone; et hæc sententia probabilior et communior est.

Namque 1°, juxta probabiliorem sententiam, materia sacramenti Ordinis est manuum impositio, *per quam*, ex ipso S. Th., *gratia Ordinationis confertur;* 3 p. q. 84, a. 4; Suppl. q. 37, a. 5, ut infra dicetur : porro hujusmodi ritus deest in collatione Ordinum de quibus agitur; ergo, etc.

2° Illi Ordines videntur non esse ex institutione divina. Hoc colligitur 1. ex veterum testimoniis, qui expresse affirmant, crescente fidelium multitudine, ab Ecclesia pro opportunitate præfatos ordines institutos esse. Hoc sic fatetur ipse S. Thom. : « *In primæva Ecclesia solum erant tres Ordines* Episcoporum, Presbyterorum, et Ministrorum.... Sed postea ampliatus est cultus divinus; et Ecclesia, quod implicite habebat in uno Ordine (in Diaconatu), explicite tradidit in diversis; » in Epist. I Tim. c. 3, et Suppl. q. 37, a. 2. — 2. Ex istorum Ordinum modo unius, modo alterius, aut etiam plurium cessatione, additione, imminutione, abrogatione et instauratione. 3. Ex monumentis, quæ probant istorum Ordinum respectivam subordinationem in altiorum Ordinum promotione, sæpe non

fuisse servatam. 4. Ex fine quem sibi potissimum præstituit Ecclesia in his Ordinibus instituendis, ne scilicet neophyti, sacrorum rudes et tyrones, statim Presbyterio inaugurentur, antequam fidei dogmata et sacramentorum cæremonias didicissent. Porro, si deest his Ordinibus divina institutio, patet et illos non producere gratiam ex opere operato, nec esse sacramenta.

Nec valet ratio a S. Th. allata; nam, ut ait S. Ligor., consecrationes Ecclesiarum non iterantur, neque ideo characterem imprimunt, nec sunt sacramenta. Idem dici potest de Tonsura.

ARTICULUS II

De Sacramenti Ordinis materia et forma.

28. — *Quæritur* quotuplex sit sententia de Ordinis materia et forma?

Resp. Duplex esse potest materia et forma Ordinum, scilicet, impositio manuum et forma correspondens; vel porrectio instrumentorum cum verbis similiter correspondentibus.

Jam vero, pro Subdiaconatu et Minoribus, unanimis Theologorum sententia est illorum materiam apud Latinos esse instrumentorum traditionem, quæ sola in illis adhibetur, cum forma correspondente; apud autem Græcos manuum impositionem cum oratione annexa.

At non idem est consensus nec praxis circa materiam et formam trium hierarchicorum Ordinum : siquidem Græci, in collatione horum Ordinum, solam adhibent manuum impositionem, et ipsi correspondentem orationem. Ecclesia vero Latina exhibet eamdem impositionem cum forma correspondente; sed insuper porrectionem instrumentorum cum forma adjuncta. Et exinde auctores in triplicem sententiam abeunt.

Prima sententia aliam non agnoscit Ordinationis materiam, quam porrectionem instrumentorum; neque aliam formam, quam verba huic porrectioni adjuncta. Ita Thomistæ, Fagnanus, Bonac., Soto, etc. Nititur præsertim in decreto Eugen. IV ad Armenos, ubi, cum singulorum Ordinum materiam et for-

mam recenseat, solam porrectionem instrumentorum, et quæ ea comitantur verba, commemorat. Attamen hæc sententia communiter a Doctoribus non est recepta, ex statim dicendis.

Secunda sententia dicit tam porrectionem instrumentorum, quam manuum impositionem esse Episcopatus, Presbyteratus et Diaconatus adæquatam materiam : formam vero esse verba, quæ in utraque actione ab ordinante proferuntur. Ita Bellarm., Scotus, Maldon., Lugo, Laym., Vasquez, etc.; et hæc sententia probabilis est, ait S. Ligor.

Nam 1. porrectio instrumentorum cum forma conjuncta requiritur, tum ex præfato decreto ad Armenos; tum ex S. Th. q. 37, a. 5, ubi dicit : « *In ipsa traditione calicis*, sub forma verborum determinata, *character Sacerdotalis imprimitur;* » tum ex verbis porrectionem instrumentorum comitantibus : *Accipe potestatem offerendi sacrificium;* tum ex Pontificali Rom., quod in rubricis sic habet : « Moneat Episcopus Ordinandos, ut *instrumenta, in quibus character imprimitur, tangant.* » 2. Requiritur etiam impositio manuum, ex positivis argumentis tertiæ sententiæ.

Tertia sententia asserit illorum Ordinum adæquatam materiam et formam, *solam* esse manuum impositionem, cum ei respondentibus verbis; porrectionem vero instrumentorum esse ritum mere *accessorium* et *integrantem*, ab Ecclesia adjunctum, ad majorem duntaxat significationem, et expressionem collatæ potestatis. Ita S. Bonavent., Becanus, Morinus, Tournely, S. Ligor., Scavini, P. Perrone; in illam inclinat Benedict. XIV; et est sententia probabilior atque hodie communior. Unde

PROPOSITIO

29. — *Manuum impositio cum verbis correspondentibus requiritur et sufficit ad materiam et formam sacramenti Ordinis.*

Et quidem 1° *requiritur*. Hoc omnino constare videtur, imo, juxta Maldonatum, de fide catholica tenendum est.

Prob. 1. *Script.* Quotiescunque Scriptura de Ordinatione Diaconorum, Presbyterorum, aut Episcoporum loquitur, semper illam per impositionem manuum designat, ut jam vidimus n. 14, 17; et patet ex Act. 6, 13; I Tim. 4; II. Tim. 1.

2. *Traditione.* Concilia enim et SS. Patres dicunt hierar-

chicas ordinationes *per manus impositionem* perfici, docentque per eamdem conferri gratiam, et characterem imprimi. Ipse S. Th. dicit « *per manuum impositionem dari plenitudinem gratiæ*, per quam ad magna officia sunt idonei *Diaconi* et *Sacerdotes;* » 3 p., q. 84, a. 4; Suppl. q. 37, a. 5. Propterea in Conciliis et PP. Græcis Ordinatio fere nunquam aliter designatur quam per *impositionem manuum*.

Revera, semper in Ecclesia sive Latina, sive Græca adhibita fuit impositio manuum in collatione trium Ordinum, de quibus agitur, ut constat ex Græcorum Euchologiis, et Latinorum Pontificalibus.

Præterea, Conc. Trid. 1. probat Ordinationem *esse Sacramentum, ex eo quod manuum impositio gratiam producat*, n. 3. — 2. Dicit in sacris Litteris doceri quæ *maxime* attendenda sunt in Ordinatione Sacerdotum et Diaconorum, n. 2 : porro nullus alius ritus in Scriptura exprimitur, quam impositio manuum. 3. Definit per sacram Ordinationem dari Spiritum Sanctum, ac proinde Episcopos non frustra dicere : *Accipe Spiritum Sanctum*, etc., n. 8 ; atqui hoc non dicunt Episcopi, nisi cum *manus imponunt*. 4. Tandem, sess. 14, c. 3, docet ministros Extremæ Unctionis esse Episcopos aut Sacerdotes *rite ordinatos per impositionem manuum presbyterii*.

Ergo omnino requiritur manuum impositio ad essentiam sacramenti Ordinis.

2° *Sufficit*. Etenim 1. in Scriptura de sola impositione manuum fit mentio. Similiter SS. Patres de illo ritu tantum loquuntur.

2. Ritualia omnia et Sacramentaria ante nonum ad minimum seculum conscripta, sed etiam Constitutiones Apostolicæ, Conc. Nicæn. I, Antioch. an. 341, aliaque antiquioris Ecclesiæ monumenta, nullam mentionem faciunt de porrectione instrumentorum; ac proinde concluditur tunc absque ullius instrumenti porrectione illos Ordines fuisse collatos, ut admittere coguntur Doctores sententiæ oppositæ cum Bellarm. Et vero, certe primi Diaconi ab Apostolis non ordinati sunt per traditionem Evangeliorum libri, qui nondum erat conscriptus. Imo in Conc. Carthag. IV, 398,

ubi interfuit S. Aug. cum 214 Episcopis, per hoc subdiaconatus ab hierarchicis Ordinibus distinguitur, quod isti manuum impositione, ille vero instrumentorum porrectione conferretur.

Porro Ecclesia nihil potest circa *substantiam sacramentorum*, ex dictis, ubi *de Sacram. in genere*, n. 102; ergo non potuit essentialem facere materiam, quæ per octo secula nequidem usitata fuit.

3. Græci, Syri, Ægyptii, et Maronitæ etiam nunc per solam impositionem manuum ordinantur[1] : porro de illarum Ordinationum validitate nihil dubitatum est in Conciliis Lugd. et Florent., quibus Græci cum Latinis adfuere; sed etiam nihil dubitavit Clemens VIII, qui Ruthenorum Episcopos, Presbyteros et Diaconos ad Catholicam unitatem admisit, cum Ordinibus secundum ritum Græcorum collatis.

4. Tandem Conc. Trid., ut jam vidimus, de sola impositione manuum loquitur, eique soli tribuit efficientiam gratiæ, atque Ordinis collationem.

Ergo sola impositio manuum est de necessitate sacramenti; porrectio autem instrumentorum est mere accessoria et integralis ab Ecclesia adjuncta ad majorem duntaxat significationem et expressionem collatæ potestatis[2]. Ita auctores tertiæ sententiæ.

1. Attamen, juxta quosdam, non ita absolute asserendum esset apud Græcos porrectionem instrumentorum non adhiberi. Namque, ut refert P. Merlin, l'Evèque, assis devant l'autel, *met la main sur la tête de l'ordinand*, qui est à genoux près de lui, *et lui applique le front vers l'autel chargé des instruments du saint Sacrifice*, en lui disant : « La grâce divine élève ce Diacre à la dignité du Sacerdoce. » Ainsi, la porrection des vases se trouvant réunie à l'imposition des mains, elle détermine les paroles de la forme à signifier le double pouvoir du Sacerdoce; car il est évident que la présence et la proximité de ces vases suffit pour que l'on puisse dire avec vérité qu'ils sont présentés à l'Ordinand, et que cette présentation fait partie de l'Ordination. Il faudrait donc prouver qu'avant le XIe siècle, l'imposition des mains se faisait, chez les Grecs, sans que l'Ordinand fût près de l'autel chargé des vases pleins. » Ita apud Bergier, Dict., art. *Prêtrise*.

2. Revera qui primi locuti sunt de instrumentorum porrectione, hanc explicationem suppeditant : « Accipiunt calicem cum vino, et patenam cum hostiis de manu Episcopi, *quatenus his instrumentis potestatem se accepisse agnoscant* placabiles Deo hostias offerendi. » Hugo Victor. *de Sacram.*, p. 3, c. 12. Eodem modo loquuntur P. Lomb., Durandus, et alii.

Et vero, qua ratione potuisset Eugenius IV definire, in instrumentorum porrectione, eique respondentibus verbis, consistere essentiam sacræ Ordinationis, postquam in eodem Concilio ad communionom admiserat Episcopos, Sacerdotes et Diaconos græcos, sola manuum impositione ordinatos? Necesse est igitur fateri Eugenium locutum esse de materia et forma integrante, et accessoria, quam optavit ab Armenis superaddi manuum impositioni, jamdiu ab illis adhibitæ, ut Ecclesiæ Latinæ moribus se prorsus accommodarent, et rituum conformitate ei firmius adhærerent; ideoque solam instrumentorum traditionem recensuisse, quam Armeni non adhibebant. Ita iidem auctores, aut etiam Benedict. XIV, *de Synod.* l. 8, c. 10.

Cæterum, rubrica Pontif. Rom., quam afferunt adversarii, in vulgatis exemplaribus, juxta Martenium, non exstat; in antiquioribus vero Presbyteri jam consecrati esse supponuntur, cum hæc instrumenta tangunt. In Pontificali enim Rom., quod laudat ille auctor, c. 8, a. 9, n. 16, instrumenta dicuntur tradi ab Episcopo in manibus *Ordinati* cujuslibet.

30. — *Notandum* est in Ordinatione Presbyteri Episcopum ter manus imponere Ordinando: 1° utramque simul manum imponit super caput cujuslibet Ordinandi, nihil dicens: quod et faciunt omnes adstantes Presbyteri. 2° Statim postea tum Pontifex, tum Presbyteri dexteras super Ordinandos extensas tenent, et simul Pontifex invocat in Ordinandos gratiam, et dona Spiritus Sancti. 3° Post *Communionem,* Pontifex iterum manus imponit super caput uniuscujusque, proferens illa verba: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata,* etc.

Jam vero ex his tribus, *prima* impositio non est essentialis, juxta omnes, cum nulla verborum forma determinetur. Cæterum recte advertunt auctores secundam impositionem non differre a prima, sed esse istius continuationem; quod revera utramque inspicienti manifestum est, ait Bened. XIV.

Tertia, non vero secunda, essentialis est, juxta auctores secundæ sententiæ, quatenus per porrectionem instrumentorum traditur potestas circa Corpus Christi naturale, scilicet, sacrificandi; per hanc autem ultimam impositionem manuum, traditur potestas circa corpus Christi mysticum, id est, absolvendi a peccatis.

E contra, juxta auctores tertiæ sententiæ, *secunda* impositio manuum est *essentialis,* dum tertia est tantum *declarativa* et

confirmativa rei peractæ. Et vero, hæc ultima impositio adhibetur, cum jam ordinati sunt Sacerdotes, siquidem isti jam cum Episcopo consecrarunt Eucharistiam. Sed etiam apud Græcos et Orientales in usu plane non est, nec fuit penes Latinos ante seculum decimum tertium, ut ex vetustis monumentis evincunt Morinus et Martenius.

31. — Hinc ordinatio facta sine *secunda* impositione manuum, sed cum porrectione instrumentorum; vel cum secunda impositione manuum, sed *absque porrectione instrumentorum, tota* repetenda est sub conditione; ita S. Cong. Rit.; Benedict. XIV, *de Synod.* l, 8, c. 10; S. Ligor., n. 749. Si vero Ordinatio facta fuit sine *tertia* manuum impositione, hæc tantum supplenda est; S. Ligor., *ibid.*

In ordinatione Presbyteri extensio manus tam Episcopi quam Sacerdotum præscripta a Pontificali, fieri debet in prima tantum oratione : *Oremus, fratres, charissimi;* nec requiritur quod Episcopus ordinans manus extensas teneat super ordinatum etiam per intervallum, quod inter impositionem manuum super caput uniuscujusque ordinandi, et impositionem manuum super omnes simul ordinatos, cum pronuntiatur oratio prædicta, intercedit, uti fit in archibasilica Lateranensi. Ita S. Congr. Rit., 18 febr. 1843, 14 mart. 1861, 14 jun. 1873.

32. — *Quæritur* 1° an requiratur *tactus physicus instrumentorum?*

Resp. Duplex est sententia. Negativa nititur præsertim in decis. S. Cong., 3 dec. 1661, et 21 jan. 1863 : porro ex illis decis. prior ad rem non pertinet; posterior vero non est in authentica collectione Gardellini. Vide opus cui titulus : *Vindiciæ Alph.*, c. 5, art. 11 Unde affirmativa sententia tutior est et in praxi omnino sequenda. Aliunde sufficit tactus mediatus, nempe si contingatur calix, patena, aut liber medio aliquo velo, vel chiroteca.

33. — *Quæritur* 2° *an necessario requiratur traditio speciei panis et vini?*

dispensationem, tanquam ad finem ultimum ita ordinantur, ut, deficiente Eucharistia, jam illi Ordines fine carerent, atque superesset tantum potestas et hierarchia *jurisdictionis*, non autem *Ordinis;* ergo potestas circa Eucharistiam conficiendam et dispensandam, est omnium Ordinum et præsertim Sacerdotii primarius finis et effectus.

PROPOSITIO II

36. — *Sacramentum Ordinis confert potestatem conficiendi sacramenta Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis, Confirmationis et Ordinis.* De fide est.

Etenim, ex propositione præcedenti, per Ordinis sacramentum confertur sacerdotium novæ legis, constituendo nempe, presbyteros et Episcopos : atqui, ex dictis in Tract. *de Pœnit.*, n. 309, *de Extrema Unct.*, n. 32, de fide est hæc duo sacramenta nonnisi a sacerdotibus valide conferri posse; et, ex definitione Conc. Trid., n. 11, sacramenta Confirmationis et Ordinis a solis Episcopis valide conficiuntur; ergo de fide est per sacramentum Ordinis conferri potestatem valide conficiendi quatuor illa sacramenta.

Confirmatur constanti praxi ac sensu Ecclesiæ, quæ uti valide collata quatuor illa sacramenta nunquam habuit, nisi ab iis, qui Ordinis sacramentum valide receperant.

3° *Ex congruentiis.* Quatuor illa sacramenta sunt *immediata* præparatio ad corpus Christi naturale consecrandum et recipiendum, quatenus, nempe, Pœnitentia et Extrema Unctio removent peccatum et peccati reliquias ad digne et idonee consecrandam aut suscipiendam Eucharistiam ; confirmatio autem vitæ perfectionem ac robur confert ad cibum fortium sumendum ; denique *Ordo* inaugurat ipsos ministros ad Eucharistiam conficiendam et offerendum sacrificium ; vide Tract. *de Sacram. in genere,* n. 30. Porro, ex præcedenti propositione, Ordinis sacramentum confert potestatem ad ipsum corpus Christi naturale consecrandum ; ergo iisdem ministris conferre debet etiam potestatem proxime præparandi corpus Christi mysticum ad ejus

corpus naturale consecrandum et suscipiendum, per quatuor illa sacramenta.

PROPOSITIO III

37. — *Ordinatio confert potestatem remote præparandi consecrationem corporis naturalis Christi, vel remote disponendi corpus mysticum ad corpus naturale Christi suscipiendum.* Certum est.

Et quidem 1° *confert potestatem remote præparandi consecrationem corporis naturalis Christi.* Namque, ex ipsa ordinatione, Diacono competit potestas materiam proximam seu panem et vinum ad consecrationem sacerdoti tradendi; subdiacono etiam præparandi eamdem materiam in vasis sacris; Acolytho tandem, eamdem materiam in vasis non sacris disponendi.

2° Confert etiam potestatem remote disponendi corpus mysticum ad corporis Christi naturalis susceptionem, nempe fideles illuminando, ab eis expellendo dæmones, et a divinis arcendo infideles.

1. *Fideles illuminando* per prædicationem verbi divini. Nisi enim fideles cognoscant mysteria fidei, præcepta evangelica, atque motiva vitandi malum, ac supernaturale bonum peragendi, nec possunt immediate præparari ad dignam receptionem sacramentorum Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis, Confirmationis et Ordinis, nec multo minus ad dignam et idoneam consecrationem et susceptionem corporis naturalis Christi.

Quare, quibus dictum est : *Hoc facite,* etc., eisdem dicitur : *Euntes, docete,* etc.; et in ordinatione Episcopi additur : *Episcopum oportet judicare, interpretari.* Posita enim jurisdictione Episcopo a S. Pontifice conferenda, ad Episcopum pertinet non solum prædicare verbum divinum, sed etiam de rebus fidei *judicare* sub auctoritate suprema S. Pontificis, ex dictis in Tract. *de Ecclesia*, n. 57, 58, 64, 70, 72, 191, 195, 209.

Similiter, in ordinatione presbyteri dicitur : *Sacerdotem oportet prædicare.* Presbytero enim competit potestas docendi secundaria utpote destituta jure de rebus fidei judi-

candi, atque Episcopo, et a fortiori S. Pontifici subordinata ex dictis in Tract. *de Ecclesia*, n. 69, 70, 73, et in Institut. canonicis, Tract. 5, n. 186-188.

Diacono autem committitur explanatio doctrinæ Evangeliorum, non tamen e loco superiori, sicut presbytero; subdiacono lectio tantum Epistolarum ab Apostolis conscriptarum; Acolyto, lumen quod doctrinam novi Testamenti figurat; Lectori, instructio catechumenorum de fidei rudimentis; S. Th., *Cont. Gent.*, lib. 4, c. 75; vide infra, n. 61-68.

2. *A fidelibus expellendo dæmones* per exorcistas. Præparatio enim animi per verbi divini prædicationem non sufficeret, si dæmonia non expellerentur a corpore; quare ipse Christus hujusmodi functionem iteratim adimplevit, expellendo dæmones; atque quibus dixit : *Hoc facite*, etc., eisdem dedit *potestatem super omnem virtutem inimici;* Luc. 10, ✝ 9.

3. Fideles a periculosa et scandalosa communicatione infidelium in divinis segregando, per Ostiarios; et hanc etiam functionem adimplevit Christus, e templo vendentes ejiciendo.

PROPOSITIO IV

38. — *Per ordinis sacramentum imprimitur character.* De fide est.

Hoc sic definivit Conc. Trid. : « Si quis dixerit, *per sacram ordinationem non imprimi characterem*, vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse ; anathema sit; » n. 8.

In Tract. *de sacram. in genere*, n. 84-100, expositæ ac demonstratæ manent notio, existentia, effectus, natura ac perpetuitas illiusce characteris. Ex quibus hæc colligere sufficiat, Scilicet,

Per characterem sacerdotalem, qui jam est societatis christianæ *civis* per characterem Baptismi, *miles* per characterem confirmationis, fit capax offerendi corpus et sanguinem Christi, conficiendi sacramenta Eucharistiæ, Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis, Confirmationis et Ordinis, ac ideo constituitur *Christi* et *Ecclesiæ minister;* jus acquirit

ad gratias pro digne et idonee illis muneribus obeundis; in perpetuum obligationem contrahit eadem munera digne adimplendi, gratiarum illarum ope; in ipsa animæ substantia configuratur ac consecratur Christo uti supremo Pontifici, et ex hac configuratione et consecratione fit illius summi sacerdotii active particeps; et ex hujusmodi interna configuratione et consignatione in perpetuum distinguitur ab illis omnibus, qui tali charactere non sigillantur.

39. — Itaque 1° primarius effectus sacramenti Ordinis est præfati characteris collatio, cum in eo reponatur participatum sacerdotium novæ legis seu ministerialis potestas consecrandi et offerendi corpus et sanguinem Christi, ac cætera perficiendi omnia quæ immediate aut mediate præparant ad consecrationem et susceptionem corporis Christi, n. 35-37.

2° Sicut Christus in toto suo ente est Sacerdos, atque ut talem se exhibet cogitatione, volitione, verbo et opere; ita, ratione characteris sacerdotalis seu participati sacerdotii, ex interna, vere divina ac perpetua consignatione et consecratione, homo sacerdos talem se indesinenter perhibere tenetur cogitatione, volitione, verbo et opere.

3° Character sacerdotalis *necessario* præsupponit Baptismi characterem, quo homo fit capax cæterorum sacramentorum, ex dictis in Tract. *de Bapt.*, n. 65; *congrue* autem præsupponit Confirmationis characterem, quatenus omnino convenit, quod nullus in spirituali militia fiat dux, antequam fuerit miles; Tract. *de Confirm.*, n. 20; infra, n. 55.

4° Character Ordinis perfectior est et excellentior characteribus per Baptismum et confirmationem impressis. Namque, per characterem Baptismi, homo configuratur ac consecratur Christo ut membrum; ut miles vero per Confirmationis characterem; demum ut minister per characterem Ordinis.

Sed etiam per characteres Baptismi et Confirmationis, homo Sacerdotium Christi participat *passive* tantum, *active* vero per Ordinis characterem; ergo iste perfectior est et excellentior; Tract. *de Sacram. in genere*, n. 88, 94, 95.

5° Character superioris Ordinis de necessitate non supponit characterem Ordinis inferioris.

Nam inferior potestas in superiori comprehenditur, sicut ducatus in regno; et ideo in primitiva Ecclesia aliquando ordinabantur presbyteri, qui nondum inferiores ordines susceperant; et nihilominus illi omnia poterant, quæ possunt inferiores Ordines; S. Th. q. 35, a. 5.

Attamen, controvertitur an valide consecrari possit Episcopus, quin prius sit presbyter; et communius negatur, eo quod presbyteratus sit fundamentum sacerdotii utpote immediate respiciens naturale corpus Christi; Episcopatus autem est ejus complementum, quatenus insuper spectans corpus Christi mysticum per potestatem Confirmandi et Ordinandi. Vide Institut. canonicas, Tract. 4, n. 21; Benedict. XIV, Constitut. *In postremo*, 10 oct. 1756.

Cæterum, patet non imprimi characterem nisi per Ordines, qui rationem habent sacramenti, n. 23, 24, 26, 27.

An vero character Ordinis sit una et eadem qualitas seu potentia, quæ paulatim augetur per diversos ordines, jam expendimus in Tract. *de Sacram. in genere*, n. 97.

PROPOSITIO V

10. — *Per Ordinis sacramentum confertur gratia sanctificans et gratia sacramentalis.* De fide est.

Constat ex doctrina circa Sacramenta in genere spectata, ubi dictum est omnia Sacramenta novæ legis hujusmodi effectum producere. Sed insuper *prob.* 1° *Script.* Dicitur enim *per impositionem manuum Presbyterii dari gratiam Dei, spiritum timoris, virtutis et dilectionis et sobrietatis*, I, II Tim. : porro gratia simpliciter vel spiritum timoris et dilectionis, etc., est gratia sanctificans.

2° *Traditione.* « Si quis dixerit, *per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum ;* ac proinde frustra Episcopos dicere : *Accipite Spiritum Sanctum...;* anathema sit. » Conc. Trid., n. 8.

3° *Ratione.* « *Dei perfecta sunt opera*, et ideo, cuicunque datur potentia aliqua divinitus, dantur etiam ea per quæ exsecutio illius potentiæ possit congrue fieri : porro,

sicut gratia sanctificans necessaria est ut homo digne sacramenta accipiat, ita etiam ut et homo sacramenta dispenset; ergo in hoc sacramento confertur gratia sicut et in aliis; » S. Th. Suppl. q. 35, a. 1.

Gratia igitur huic sacramento propria, nihil aliud est quam gratia sanctificans, quatenus ordinatur ad idoneam exsecutionem Ordinum; sicque dat jus ad auxilia actualia quibus Ordinatus juvetur tempore opportuno in hujusmodi exsecutione. Quod sic egregie declarat S. Leo: « Etsi necessarium sit *trepidare de merito*, religiosum est tamen *gaudere de dono;* quoniam qui mihi *honoris* est *auctor*, ipse mihi fiet *administrationis adjutor;* et ne magnitudine gratiæ succumbat infirmus, *dabit virtutem*, qui *contulit dignitatem*.» *Sermo in Assumpt.*

41. — Hinc 1° *gratia per Ordinis sacramentum collata, est excellens.* Namque « ad idoneam exsecutionem Ordinis non sufficit bonitas qualiscunque; sed *requiritur bonitas excellens*, ut, sicut illi qui ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu Ordinis, ita et *superiores sint merito sanctitatis.* » S. Th. q. 35, a. 1 ad 3. Unde « *plenitudo* Spiritus Sancti, ait Inn. I, *maxime in Ordinationibus* operatur. » — « Cum Sacerdotium, inquit S. Chrysost., res sit adeo divina, ut qui eo insignitur, *æmulari debeat angelicam puritatem*, nec indignus fieri sede inter cœlestes potestates, quis dubitat *electissimas omnium gratias alligatas fuisse Ordinationi?* Et merito dici potest ad Sacerdotem de donis spiritualibus: *Cujus optima erunt, Israel, nisi tibi* (I Reg. 9)! » *de Sacerdotio*, l. 3, c. 1. Et hoc quidem significatur per impositionem manuum, « quæ adhibetur in Sacramentis ad designandum aliquem *copiosum* gratiæ effectum, » ait S. Th. 3 p., q. 84, a. 4.

42. — Hinc 2° *quædam gratiæ gratis datæ quodammodo Ordinationi sunt adnexæ.*

Sacramentum enim Ordinis dat auxilia ad munia Ordinis exercenda: porro inter illa munia adest prædicatio verbi divini, n. 37; ergo Ordinatio dat gratias speciales

sive ad intelligentiam Scripturarum et sacræ doctrinæ acquisitionem, sive ad convenientem verbi divini expositionem. Quare Sacerdotes *ad scientiam et facultatem contemplatricem* sacerdotali consecratione *perfecti sunt,* ut ait S. Dionys.

Unde graviter errandi periculo se exponunt, qui absque sacræ Ordinationis prærogativa, ad res fidei temere pertractandas accedunt; eaque docere aggrediuntur, quæ a pastoribus suis doceri debent. *Non sunt enim de semine illorum virorum, per quos salus facta est in Israel.* I Mach. 5, ỷ 62.

Patet autem gratiam sanctificantem sive sacramentalem ex opere operato non conferri, nisi per ordines qui sacramenti rationem habent; n. 23, 24, 27.

An vero gratia Ordinationis obice impedita, recipiatur recedente obice, jam dictum est in Tract. *de Sacram. in genere,* n. 78.

43. — Tandem, ex illis omnibus sacramenti Ordinis effectibus, colligitur Sacerdotium novæ legis cæteris omnibus *potestate* et *honore antecellere,* atque esse tanquam *interpretem* et *internuntium Dei apud homines,* et *hominum apud Deum.*

Soli enim Sacerdoti novæ legis collata est potestas consecrandi et offerendi corpus et sanguinem Christi, ipsam Eucharistiam distribuendi, peccata remittendi, ipsas peccati reliquias tollendi, robore supernaturali confortandi, active participandi ipsum Christi sacerdotium, nomine Dei divinam legem et vitæ præcepta edocendi, dæmones expellendi, ac demum *ipsius Dei personam* in terris gerendi ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis : et exinde, non solum *Angeli,* sed et *Dii,* eo quod Dei immortalis vim et numen apud homines tenent, appellantur Sacerdotes et Episcopi ; Catech. Rom. Quid mirum igitur, si SS. Patres tot tantisque encomiis Sacerdotii nobilitatem et excellentiam celebrent [1]? Felicem

1. « Non desisto, inquit S. Ephrem, laudare et glorificare illius dignitatis profunditatem, quam nobis, nobis inquam, Adæ filiis, sancta largita est Trinitas, per quam *mundus salvatus* est, et creatura *illuminata ; hac impietas* e terra *su-*

illum, qui in tanta dignitate administrat *pure* et *irreprehensibiliter!* S. Ephrem., *ibid.*

ARTICULUS IV

De Sacramenti Ordinis Ministro ratione validitatis, et licitatis.

PROPOSITIO PRIMA

44. — *Solus Episcopus consecratus est minister ordinarius sacramenti Ordinis.* De fide est.

Constat 1° *Script.*, quæ non aliis quam Apostolis et eorum successoribus Episcopis jus tribuit conferendi ordines; siquidem soli Apostoli ordinant septem primos Diaconos; Paulus et Barnabas per singulas Ecclesias presbyteros constituunt; Paulus cum cœtu presbyterorum seu Episcoporum, ut testantur fere omnes interpretes, Episcopum ordinat Timotheum, etc.

blata est, et *diabolus*, e cœlo decidens, *subactus*; per hanc et *mortis potentia destructa* est, *et inferni vires deperditæ*, *ipsaque* Adæ *maledictio exterminata* est atque soluta, et *cœlestis thalamus apertus* est adornatus. Per hanc quoque, *humana creatura*, licet humilis et abjecta, cum *virtutibus incorporeis adæquatur*. Quid dicam? Quid eloquar? aut quid laudibus efferam? Excedit quippe intellectum et rationem omnemque cogitationem donum altitudinis dignitatis Sacerdotalis... Ipsos cœlos cœlorum sine impedimento, atque labore ascendit Sacerdos, et in medio Angelorum simul cum spiritibus incorporeis facile versatur. Quid dico in medio supernarum virtutum? Quin et cum ipso Angelorum Domino, atque creatore datoreque luminum *familiariter* agit; et quantum vult, confestim quæ postulat, *facile* et *suo jure* quodammodo impetrat... O quam magnam continet in se profunditatem formidabile et admirabile Sacerdotium! » *De Sacerdotio.*

« Cum videris, inquit S. Chrysost., Dominum immolatum et jacentem, et Sacerdotem sacrificio incumbentem ac precantem, omnesque pretioso illo sanguine rubentes : an putas te adhuc cum hominibus et in terra esse? An non potius in cœlos translatus, omnique carnali cogitatione eliminata, nudo animo, menteque pura, quæ in cœlis sunt circumspicis?... Stat Sacerdos, non ignem gestans, sed Spiritum Sanctum; preces multo tempore fundit, non ut fax demissa cœlitus apposita consumat, sed ut gratia in sacrificium delapsa, per illud animos inflammet, ut argento igne purgato splendidiores exhibeat. » *De Sacerdotio*, l. 3.

Hinc quam merito exclamat S. Bernardus : « Quantam dignitatem contulit vobis Deus! Quanta est prærogativa Ordinis vestri! Prætulit vos Deus regibus et imperatoribus, prætulit Ordinem vestrum omnibus Ordinibus; imo, ut altius loquar, prætulit vos Angelis et Archangelis, Thronis et Dominationibus. Sicut enim non Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit, ad faciendam Redemptionem; sic non Angelis, sed hominibus, solisque Sacerdotibus, Dominici corporis et sanguinis commisit consecrandum. »

2° *Traditione* constanti ac perpetua Ecclesiæ. Unde Aerius quarto seculo habitus fuit hæreticus, eo quod presbyteros Episcopis æquaret, iisque jus ordinandi tribueret. « Sola ordinatione superiores sunt Episcopi, inquit S. Chrysost., atque hoc tantum plus quam presbyteri habere videntur; » Hom. 11, I Tim, Eodem modo loquitur S. Hieron. adv. Lucif.

Juxta Conc. Florent., « *Ordinarius* minister hujus sacramenti est *Episcopus;* » et ex Trid. n. 11 : « Si quis dixerit, *Episcopos non esse Presbyteris superiores*, vel non habere *potestatem ordinandi* et *confirmandi;* vel eam quam habent, illis *esse cum Presbyteris communem*...... : anathema sit. »

3° *Ratione*. Ad solum principem jure ordinario pertinet ministeria publica distribuere : atqui solus Episcopus est in republica christiana princeps, quatenus repræsentat Christum in hoc quod alios ministros instituit et Ecclesiam fundavit potestate sacerdotii ; ergo ad illum pertinet omnibus divinis ministeriis alios constituere. S. Th. q. 38, a. 1.

Dixi : Episcopus *consecratus ;* Episcopus enim solum electus et confirmatus, sed non consecratus, potest alteri Episcopo committere ordinationem sui subditi, non vero illum ordinare : siquidem illa commissio est actus jurisdictionis, ordinatio autem actus Ordinis.

45. — Itaque 1° *solus* Episcopus consecratus, vi characteris Episcopalis, valide confert ordinationem *presbyteratus* et *Episcopatus*. Nam Conc. Trid., in definitione modo relata, saltem declarat simplices presbyteros, ratione sui characteris, non habere potestatem ordinandi presbyteros et Episcopos.

Idem communiter affirmant auctores de Diaconatu, inter quos S. Th., q. 38, a. 4, ad 3, contra quosdam, qui dubitant an, ex commissione S. Pontificis, simplex sacerdos non posset illum conferre[1].

1. Plures asserunt quod Innoc. VIII, Bulla *Exposcit*, 1487, concesserit Abbati generali Cisterciensium pro omnibus monachis sui Ordinis et quatuor primariis ejus Abbatibus, pro monasteriorum suorum religiosis, privilegium confe-

2° Episcopus, *sine speciali commissione*, etiam depositus, mere titularis, excommunicatus, hæreticus, schismaticus, *valide* confert *subdiaconatum* et *quatuor minores*, licet forent ex institutione tantum ecclesiastica, n. 27. Nam Ecclesia permanenter alligavit illorum ordinum validam collationem Episcopali characteri, nisi expresse contrarium decernat S. Pontifex, ut infertur ex constanti praxi. Idem verum est de prima tonsura, etsi non sit Ordo, n. 60.

3° Simplex Sacerdos, ex *commissione S. Pontificis*, valide conferre potest primam tonsuram, quatuor Minores, et Subdiaconatum. Pro prima Tonsura et Minoribus constat ex Conc. Nicæno II, et ex Conc. Trid., sess. 23, c. 10, ubi decernit « Abbatibus non licere in posterum... cuiquam, *qui regularis subditus non sit, Tonsuram* vel *Minores Ordines conferre.* » Idem nunc communiter sentiunt Theologi pro Subdiaconatu, qui aliunde, ut vidimus n. 27, inter sacros et majores Ordines non fuit in primis seculis annumeratus.

Ex præfato Conc. Trid. decreto, Abbates *regulares*, si sint benedicti, possunt *valide* et licite conferre Tonsuram et quatuor Minores Ordines suis subditis *regularibus* seu professis trium votorum solemnium, non vero oblatis, ex decis. S. Congr. Conc. 14 maii 1689.

Controvertitur autem an illi Abbates idem *valide* possint quoad novitios, vel quoad suos subditos seculares, qui, nempe, tria vota tantum simplicia professi sunt, vel quoad regulares alterius Ordinis. « In hac re, ait de Angelis, lib. 1, tit. 11, p. 199, nondum satis revelatus est sensus S. Congr. Conc., eaque in hac difficili controversia hæret in diversis sensibus. »

PROPOSITIO II

46. — *Ad licitam collationem Ordinis, ex parte ordinantis, requiruntur proprius Episcopus, prævium examen ordinandi, litteræ dimissoriæ, testimoniales, tempus, locus canonicus, interstitia præscripta.* Certum est.

rendi ordines Subdiaconatus et *Diaconatus;* atque idem privilegium fuerit confirmatum decreto S. Congr. Rit., 7 jun. 1660. Vide de Angelis, lib. 1, tit. 11, n. 2.

Hæc omnia fuse expendimus in Institut. canonicis, Tract. 4, n. 29-48. Unde summarium hic tantum proponimus.

47. — I. *Proprius Episcopus.*

Sic enim decrevit Conc. Trid., sess. 14, c. 2, sess. 23, c. 3, 8 : « Unusquisque a *proprio Episcopo ordinari debet*, aut ab alio *de ejus licentia :* si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum, et ordinatus a susceptorum ordinum executione, quandiu proprio Ordinario videbitur expedire, est suspensus. » Tract. *de Censuris*, n. 103, 107.

Proprius autem esse potest Episcopus ex quadruplici titulo, nempe, originis, domicilii, beneficii, familiaritatis.

1° Titulo *originis,* quando ordinandus natus est in diœcesi Episcopi, qui eum ordinat, si eodem tempore illius nativitatis *pater ordinandi* in illa diœcesi *domicilium constitutum haberet*, etiamsi postea domicilium mutaverit. Si ignoretur domicilium patris, attendatur matris domicilium.

2° Titulo *domicilii*, in duplici casu : 1. si per decennium saltem in diœcesi Episcopi ordinantis habitaverit ordinandus, et simul habeat animum ibidem perpetuo manendi jurejurando affirmatum; 2. vel si in illam diœcesim majorem partem bonorum suorum mobilium transtulerit, ibique insuper per aliquod considerabile tempus, v. g., per triennium, commoraverit, animumque ibidem perpetuo manendi jurejurando affirmet. Si pater domicilium in aliquo loco acquisitum relinquat, et ad locum originis redeat, vel alibi domicilium acquirat, dum filius nondum est sui juris, Episcopus domicilii derelicti non potest filium ordinare, nec eidem dimissorias litteras concedere.

3° Titulo *beneficii* quis, alibi natus, aut alibi habens domicilium, nihilominus potest legitime ordinari ab Episcopo, in cujus diœcesi ille potitur beneficio, positis tribus conditionibus, scilicet : 1. beneficium sit verum et proprie dictum, licet amovibile, jam obtentum et pacifice possessum ab ordinando; 2. illud beneficium sufficiat ad ordinandi congruam sustentationem; 3. ordinandus Episcopo ordinaturo exhibeat testimoniales litteras Episcopi tam originis, quam domicilii.

4° Titulo *familiaritatis* seu commensalitatis Episcopus aliquem ordinare potest, positis tribus conditionibus, nempe : 1. ordinandus per triennium completum cum Episcopo immoratus fuerit, ipsi præsentialiter inservierit, ejusque sumptibus vixerit; 2. intra terminum unius mensis a die factæ ordinationis, ei conferat Episcopus beneficium ad congruam sustentationem sufficiens; 3. ordinandus habeat testimoniales litteras Episcopi tam originis quam domicilii.

48. — II. *Prævium examen ordinandi.* Nam Conc. Trid., sess. 23, c. 7, hæc decernit : « Episcopus, quando ordinationem facere disposuerit, *ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem diligenter examinet et investiget.* » Nec ab hujusmodi examine regulares eximuntur, ex eodem Concilio, *ibid.*, c. 12. Nec sufficit ad approbationem Episcopi, quod per se aut per alios nihil noverit mali de ordinando, sed debet fieri certus de ejusdem *positiva probitate*, juxta sublimitatem gradus, ad quem ille inhiat ascendere. Ita communiter Doctores, inter quos S. Th., Suppl., q. 36, a. 4, ad 3; Benedict. XIV, Bulla *Inclytum;* S. Ligor., n. 803, 808; Sanchez, Habert.; vide infra, n. 58.

Prædicto decreto Conc. Trid. plane satisfaciunt, quoad doctrinæ probationem, examina quibus in Galliarum seminariis, in medio et fine cujusque anni subjiciuntur alumni. Materia enim et modus examinis prædicti Episcoporum prudentiæ omnino committuntur.

49. — III. *Litteræ dimissoriæ.* Hujusmodi litteræ, quæ etiam dicuntur *ordinationis, dimissoriales* (dimissoires), *formatæ,* sunt simplex licentia seu permissio scripto ab Ordinario loci data alicui ordinationem ab alieno Episcopo recipiendi.

Tales litteræ 1. exprimere debent causam, ob quam a proprio Episcopo ii, qui promovendi sunt, non possunt ordinari; 2. requiruntur, quoties Episcopus ordinans non est proprius ratione originis, aut domicilii, aut beneficii, aut familiaritatis, ut modo dictum est; 3. concedi possunt a

proprio Episcopo, vel a Vicario generali, absente Episcopo, aut ex speciali concessione, præsente Episcopo; a vicario capitulari, sede vacante, sed duntaxat post annum a die vacationis, nisi ordinandi sint arctati seu beneficium obtinuerint, quod exigat ordinem; 4. possunt denegari a proprio Episcopo, sed licet recursus ad S. Pontificem.

50. — IV. *Litteræ testimoniales*, ad effectum ordinationis, sunt testimonium scripto datum ab Ordinario competente, quo significatur ordinandum *nullius censuræ vinculo aut nullo plane canonico impedimento vel crimine irretiri;* et quod fidem facit de ejusdem *natalibus, ætate, vita,* et *moribus*, et quidem *ad effectum ordinationis recipiendæ;* ita ut dignus videatur, qui ad Ordines promoveri postulat.

Requiruntur illæ litteræ in triplici casu, nimirum: 1. quando proprius Episcopus suos subditos ordinibus initiandos alieno Episcopo remittit; 2. quando ordinans est Episcopus proprius ratione beneficii aut familiaritatis: tunc necessariæ sunt testimoniales Episcopi tam originis, quam domicilii; 3. quando ordinandus etiam a proprio Episcopo alibi tanto tempore moratus est, ut canonicum impedimentum respectu ordinationis contrahere ibi potuerit: et tunc petendæ sunt testimoniales ab Ordinario illius loci. Prudentiæ autem Episcopi ordinantis dimittitur determinanda mora, quæ sufficiat ad in tali loco contrahendum aliquod impedimentum canonicum.

51. — V. *Tempus et locus ordinationis.* Prima Tonsura conferri potest quovis die, hora et loco. Quatuor minores dari possunt diebus festivis de præcepto, sed mane tantum, etiam extra missam; et, ex consuetudine sat generaliter recepta, per modum generalis ordinationis, feria sexta aut quarta quatuor temporum, etiam vespere.

Majores ordines licite conferri nequeunt nisi in sabbato quatuor temporum, in sabbato ante dominicam Passionis in sabbato sancto, intra missam ab Episcopo celebratam. Potest tamen continuari ordinatio die dominica sequenti, continuato jejunio, propter Episcopi infirmitatem, vel mul-

titudinem ordinandorum. Extra illa tempora, non licet ulli Episcoporum majores ordines conferre absque licentia S. Pontificis; et, posita illa licentia, ordinatio conferri debet in dominicis vel diebus festis de præcepto, licet suppressis.

Tandem crdinationes generales ad majores Ordines in cathedrali, vel insigniori diœcesis ecclesia haberi debent; non prohibetur tamen Episcopus aliquos, ex justa causa, privatim in episcopali sacello majoribus ordinibus initiari.

52. — VI. *Interstitia canonica.* Sub nomine interstitiorum venit illud temporis spatium, quod, ex jure canonico, intercedere debet inter unius et alterius ordinis collationem.

Porro ordines minores conferri debent per temporum interstitia a jure canonico non determinata, et, ex consuetudine, ordinarie conferuntur eadem die. A susceptione autem minorum ordinum ad subdiaconatum, unus annus intercedat; item inter subdiaconatum et Diaconatum, Diaconatum et Presbyteratum. Annus, de quo agitur, est ecclesiasticus, non naturalis.

Episcopus in lege interstitiorum dispensare potest, prout exigit utilitas aut necessitas Ecclesiæ, ita tamen ut Episcopus non valeat eidem clerico duos majores ordines eadem die conferre.

ARTICULUS V

De sacramenti Ordinis subjecto ratione validitatis et licitatis.

In subjecto sacramenti Ordinis requiruntur, ad validitatem, Baptismus et sexus masculinus; ad licitatem vero, divina vocatio, susceptio Confirmationis, ætas canonica, scientia competens, probitas excellens, immunitas ab irregularitatibus, bannorum publicatio, titulus ordinationis.

53. — I. *Baptismus, et sexus masculinus requiruntur ad validitatem ordinis.*

Namque sine charactere Baptismi homo non est aliorum sacramentorum capax, ex dictis in Tract. de Baptismo, n. 65.

Nec sine sexu masculino recipi potest Ordinis sacramentum, ut constat 1. *Script.* ex qua mulier non debet loqui in ecclesia, nec docere, nec dominari in virum, sed discere in silentio cum omni subjectione; I Cor. 14, ℣ 34, 35, I Tim. 2, ℣ 12, Eph. 5, ℣ 22 : porro charactere Ordinis insignitis competit ex officio loqui in ecclesia, docere et habere superioritatem et præeminentiam in alios; ergo, etc. Imo nequidem Tonsuræ capax est mulier: *Turpe est enim mulieri tonderi;* I Cor. 11, ℣ 6.

2. *Traditione.* Nam Christus solos viros ordinavit sacerdotes in ultima cœna, nec unquam in Ecclesia, ulla mulier fuit sacramentaliter ordinata [1].

3. *Ratione.* Supremus sacerdos, cujus alii legatione funguntur, est vir, non mulier; insuper eminentia gradus collata per Ordinem repugnat statui subjectionis mulieris, cujus caput est vir, sicut Christus Ecclesiæ, et quæ est ex viro et propter virum; ergo mulier non est sacerdotii capax, sed ad validitatem requiritur masculinus sexus.

54. — II. *Vocatio divina,* cujus notionem, necessitatem, signa, vim obligatoriam hic breviter contrahemus.

1° *Notio divinæ vocationis ad Ordines.* Hujusmodi vocatio definitur: *Actus Providentiæ supernaturalis,* quo *Deus* aliquos homines, *præ cæteris, eligit ad suscipiendum Ordinis sacramentum,* et ad *officia adimplenda,* quæ ex tali ordine consequuntur, vel ei adnexa sunt; eosque ideo *congruis dotibus* et *auxiliis præparat* et *munit* ad talia officia *digne* et *laudabiliter* obeunda; *atque ab Ecclesia recognitus.*

Itaque vocatio, de qua agitur, est actus intellectus et voluntatis ex parte Dei, et ex parte Ecclesiæ.

Ex parte *Dei,* qui ipsemet ponit illum præelectionis actum ad statum clericalem, cum mediis proportionatis, et

1. Olim nomine *Presbyteræ, Episcopæ* donabantur Presbyterorum et Episcoporum, qui ante ordinationem nupserant, uxores, quæ, sicut et mariti perpetuam servabant continentiam. Aliquando etiam presbytera græce dicta fuit quælibet vidua senior. *Diaconissæ* institutæ sunt in Ecclesia, ut mulieribus sexus honestati consulatur : non autem sacris, nec Eucharistiæ conficiendæ aut ministrandæ inserviebant.

ideo in ordine supernaturali, tum ratione *finis*, sive immediati seu sacramenti Ordinis recipiendi, sive mediati seu officiorum ex talis sacramenti susceptione consequentium, vel eidem adnexorum; tum ratione *principii*, seu luminis et impulsus, quibus Deus manifestat illum electionis actum; tum ratione *mediorum* seu dotum et auxiliorum, quibus sic vocatum Deus præparat ac munit ad præfatum finem assequendum. Equidem illæ dotes sunt partim ordinis naturalis; sed hæc ad ordinem supernaturalem elevantur per habitus et auxilia ordinis vere supernaturalis.

Ex *parte Ecclesiæ* etiam, quæ, per actum jurisdictionis spiritualis, illam vocationem recognoscere debet, ac sic vocatos assumere ad sacros ordines suscipiendos atque ad functiones ecclesiasticos obeundas.

2° *Necessitas divinæ vocationis ad Ordines suscipiendos.*

Hæc necessitas constat 1. *Script.* Dicitur enim de Sacerdotio: « Nec *quisquam sibi sumit* honorem, sed *qui vocatur a Deo*, tanquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu : ego hodie genui te. » Hebr. 5, ỳ 4, 5; vide Tract. *de Sacram. in genere*, n. 90. — « Non vos me elegistis, sed *ego elegi vos*... Rogate Dominum messis, ut *mittat operarios* in messem suam... Tu, Domine, ostende *quem elegeris*... Qui non intrat *per ostium* in ovile, *fur* est et *latro*. » Joan. 15, ỳ 16; 10, ỳ 1; Luc. 10, ỳ 2; Act. 1, ỳ 24. Præfata sunt omnino absoluta, nullamque patiuntur exceptionem.

2. *Traditione.* Idem conclamant SS. Patres et Theologi voce unamini. « Multi veniunt, sed considera *quis vocetur*. » ait S. Bernard., *de Convers. ad Cler.*, 19. — « Pavere debemus ad mandatum Christi, ut *nemo* hunc *sibi sumat* honorem, sed qui *vocatus fuerit a Deo*, tanquam Aaron. » S. Bonavent., 1 Pharet. c. 11. — « Disciplina Dei non habet, quod quisquam sumat sibi honorem favore, pecunia, potentia; sed *debet vocari a Deo*, tanquam Aaron. » S. Th., *in Epist. ad Hebr.* c. 5.

3. *Ratione.* Ex dictis in Tract. *de Deo*, n. 138, 144, 150, 156, et in Tract. *de Obligat.*, n. 6, divina providentia ad

omnia etiam infirma se extendit, ita ut existat divina vocatio pro unoquoque hominum ad quemlibet peculiarem statum; ergo multo magis existit divina vocatio pro illis, qui præponuntur Ecclesiæ saluti ac splendori; et propterea talis vocatio dicitur a Tertulliano *præcipuus* Providentiæ *actus* et *specialis cura divini ingenii.*

Sed etiam, qui non vocatus se ingerit, 1. graviter lædit supremam Dei auctoritatem et imperium supra Ecclesiam, quæ est Dei domus, familia et regnum; 2. ad id est ineptus, utpote ad alium statum et finem ab utero conformatus; 3. privatus ideo manet auxiliis a Deo ad hanc vocationem præparatis, et adeo necessariis; et licet, absolute loquendo, nihilominus salvari possit, non tamen sine magnis difficultatibus ingredietur viam, et apprehendet salutis media, ut conclamant Doctores, et constat experientia. Quare « illo hominum genere *nihil infelicius* ac *miserius, nihil Ecclesiæ calamitosius* esse potest, » ait Catech. Rom., *de Ordine*, n. 3. « Non accepit enim *benedictionem*, sed *maledictionem*, » inquit S. Ansel., ut videre est in Core, Dathan et Abiron; Num. 16.

3° *Signa vocationis divinæ ad ordines suscipiendos.*

Hujusmodi signa sunt negativa, vel positiva. Si prius, deficiunt dotes jure canonico requisitæ ad Ordines suscipiendos, ac proinde deest vocatio divina ad illos Ordines.

Si posterius, non solum adsunt hujusmodi dotes, sed insuper dignoscuntur specialia indicia voluntatis Dei, ut tales dotes exerceantur in statu ecclesiastico. Cujusmodi indicia quasi contrahuntur in *singulari, dulci, constanti, prædominanti, ex motivo supernaturali* concepto *desiderio* et *inclinatione ad illum statum;* ita ut, ex hac inclinatione et desiderio, animus jam erumpat in ea, quæ sunt statui ecclesiastico propria, nempe, in ardentem charitatem, in litterarum sacrarum studium, in castitatis amorem, in rerum sacrarum et animarum curam. Patet enim hujusmodi desiderium et inclinationem, ratione objecti, finis seu motivi, et effectus actualis, oriri non posse nisi ex supernaturali lumine et impulsu.

Attamen quatuor attente notanda sunt. 1. Haud raro

Spiritus sanctus præbet alicujus rei desiderium propter bonum et meritum illius desiderii, ac simul ejusdem executionem non probat : sic David dedit voluntatem templum ædificandi, Abrahamo voluntatem immolandi filium; sed ab eis executionem non acceptavit. Proinde perpendendum est an illud desiderium sit a Spiritu sancto, et insuper an talis desiderii executio expediat Spiritui sancto magisque grata sit.

2. Interdum homo in se non experitur illum affectum seu desiderium et inclinationem; sed habet cogitationes aliquas vel motiones internas circa mundi pericula, excellentiam status ecclesiastici, et circa electionem de suo statu faciendam, cum indifferentia ad eligendum id, quod sibi fuerit melius indicatum : porro in his adest aliquod vocationis initium, ait Suarez, *de Relig.*, t. 3, lib. 5, c. 8, n. 4, 5.

3. Sedulo distinguendum est *motivum* ingressus in statum ecclesiasticum, ab ejus *occasione*. Sæpe enim desiderium ingrediendi illum statum sumit occasionem ab aliquo temporali eventu, quatenus, ut aiunt, vexatio dat intellectum, et afflictio temporalis excitat hominem ad cogitandum de rebus æternis, ad temporalia despiciendum, et demum ad hæc relinquendum, ut quærat æterna.

4. Non est proinde per se malum mediis humanis uti, ut quis moveatur ad divinas rationes de susceptione ordinum melius considerandas. Attamen in hoc magna prudentia utendum est; nam illæ ordinis naturalis rationes postea oblivioni traduntur, vel tepide considerantur, et exinde sæpe imminet inconstantiæ periculum. Unde priusquam Spiritus sanctus incipiat aliquem vocare raro expedit illum directe inducere ad Ordines suscipiendos : quamvis optimum sit ad Dei timorem et conscientiæ puritatem, ad vitanda peccandi pericula quemlibet incitare et inducere, simulque status ecclesiastici commoda et excellentiam proponere. S. Th., 2, 2, q. 189, a. 10; Suarez, *ibid.* n. 10.

Quæ cum ita se habeant, quisque maturo consilio et singulari prudentia divinam illam vocationem dignoscere debet, præsertim omnia sincere et integre subjiciendo sapientissimi directoris judicio. Divina autem vocatione se-

mel agnita cum morali certitudine, ei prompte, humiliter et invincibili perseverantia obtemperandum est.

Ex illis omnibus manifestum est, quod sacris initiandi nihil sibi tanto munere indignum proponere debent, nec ideo ad altare accedere, ut *ambitioni* satisfaciant, nec ut *victum vestitumque* sibi *parent*, quod *maxime sacrilegium* est, ait Catech. Rom.; nec intuitu pecuniæ, ut semetipsos, non oves, pascant : « quorum *turpitudo* et *improbitas*, non solum Sacerdotali Ordini *magnas tenebras effudit*, ita ut jam nihil fere a fideli populo haberi possit *contemptius* et *abjectius;* verum etiam efficit ut ipsi nihil amplius Sacerdotio consequantur, *quam Judas ex Apostolatus munere*, quod illi *sempiternum exitium* attulit; » Catech. Rom., n. 7.

4° *Obligatio obtemperandi divinæ vocationi ad Ordines, et ideo ad statum clericalem.*

Hujusmodi obligatio spectari potest per se, vel per accidens. Atqui *per se* divina vocatio ad ordines non inducit strictam obligationem. Etenim 1. illa vocatio per se implicat praxim omnimodæ castitatis ac perfectionis christianæ; porro talis castitas et perfectio sunt tantum de consilio; ergo similiter vocatio, quæ talium consiliorum praxim indefessam ac perpetuam inducit, per se obligationem non imponit.

2. Ecclesia, in Pontificali, promovendos ad subdiaconatum, etiam cum vere idonei ad suscipiendos ordines declarati sunt, præmonet liberos esse ad secularia vota transire; ergo eo ipso docet vocationem moraliter certam ad Ordines per se non inducere strictam obligationem.

Idem plane confirmatur decis. S. Pœnit., 27 aug. 1829, in qua dicitur « non esse cogendum ad suscipiendos ordines clericum, qui, licet a suis superioribus electus, et a suo confessario dignus judicatus sacro ministerio, obtemperare illorum monitis renuit, humilitatis causa, vel timore periculorum, nec in iisdem circumstantiis esse cogendum Diaconum ad suscipiendum presbyteratûs ordinem. »

3. Tandem factum divinæ vocationis ad Ordines non dignoscitur nisi ex indiciis et prudentiæ regulis, quæ per se

moralem tantum, non vero omnino inconcussam certitudinem producunt; et ideo per se non constituunt certam promulgationem voluntatis divinæ seu potius divini beneplaciti.

Attamen, posita certitudine morali de vocatione divina ad Ordines, ita suadet Christiana prudentia ei obtemperare, ut, qui renuit respondere, non possit ab aliqua culpa excusari, ut ait S. Ligor., de vocatione ad statum religiosum, lib. 4, n. 78. Namque in hujusmodi circumstantiis talis denegatio obsequii ordinarie procedit vel a defectu humilitatis, dum quis in suo sensu abundat contra superioris judicium; vel a defectu spei in auxilium Dei, qui electissimas omnium gratias Ordinationi alligavit, n. 41, 42; vel a defectu zeli, religionis et charitatis ad gloriam Dei animarumque salutem procurandam; vel sine dubio a defectu prudentiæ, cum ille se ingeret in alium statum, ad quem non est vocatus, et pro quo ideo privatus manebit auxiliis a Deo concedendis. « Qui vocati suscipere renuunt, ipsa sibi plerumque dona adimunt, quæ non pro se tantummodo, sed etiam pro aliis receperunt. » S. Gregor., Magn., *de Cura past.*, p. 1, c. 5.

Per accidens autem, id est, posito Ecclesiæ præcepto, vocatio ad statum clericalem inducere potest strictam obligationem ei obtemperandi. Etenim Ecclesiæ inest obligatio providendi animarum necessitatibus, et consequenter jus adhibendi ad illum finem media moraliter necessaria : atqui fieri potest, ut ad statum clericalem promotio talis vel talis hominis, aliunde vocati a Deo ad illum statum, sit moraliter necessaria, attentis circumstantiis, ad bonum et salutem animarum; ergo, in hoc casu, jus habet Ecclesia præcipiendi talem promotionem, et ita, per accidens, vocatio ad Ordines strictam obligationem inducere potest. Revera, haud raro tale præceptum imposuit Ecclesia pro casibus particularibus; ergo jure hoc modo imperandi potitur.

Id clare docet S. Th. de Episcopatu ; « Ad *inordinationem voluntatis* pertinet, inquit, 2. 2, q. 185, a. 2, quod aliquis omnino contra superioris injunctionem, prædictum guber-

nationis officium (Episcopatum) finaliter recuset, quia hoc repugnat tum charitati proximorum, quorum utilitati se aliquis debet exponere pro loco et tempore; tum humilitati, per quam aliquis superiorum mandatis se subjicit. » Idem tenet Benedict. XIV, *de Synod.*, lib. 12, c. 4, n. 7, de omnibus Ordinibus.

55. — III. *Confirmationis susceptio, ætas canonica.*

Conc. Trid., sess. 23, c. 3, requirit ut « *prima Tonsura non initientur,* qui sacramentum *Confirmationis non susceperint.* » Omnino enim congruit, ut quis sit miles, antequam dux constituatur in spirituali militia, n. 85.

Ætas pro prima Tonsura et Ordinibus minoribus jure canonico stricte non determinatur. At, Conc. Trid., sess. 23, c. 4, requirit ut prima Tonsura initiandi fidei rudimenta edocti fuerint, legere et scribere sciant, ac de iis probabilis conjectura sit eos hoc vitæ genus elegisse, ut Deo fidelem cultum præstent. » Porro tales conditiones generatim supponunt duodecimum saltem ætatis annum. Idem a fortiori verum est de quatuor Minoribus. Juxta Benedict. XIV, Brevi *Eo quamvis*, an. 1745, Minores Ordines conferri *solent* a septimo ad decimum quartum annum, concurrentibus tamen in ordinando qualitatibus a Conc. Trid., requisitis.

Ad Subdiaconatum requiritur vigesimus primus; ad Diaconatum, vigesimus secundus; ad presbyteratum, vigesimus quartus; ad Episcopatum, trigesimus jam *adimpletus* ætatis annus. Conc. Trid., sess. 23, c. 12; vide n. 86.

56. — IV. *Scientia competens.*

Ex Conc. Trid., sess. 23, c. 4, 11-14 : « initiandi ad primam Tonsuram sciant fidei rudimenta, legere et scribere.

Ad quatuor Minores, saltem linguam latinam intelligant, in unoquoque munere se exerceant, atque ita de gradu ad gradum ascendant, ut in eis cum ætate doctrina major accrescat. Nemo iis initietur, quem non scientiæ spes majoribus Ordinibus dignum ostendat.

Ad Subdiaconatum et Diaconatum, litteris et iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi sint.

Ad Sacerdotium, idonei sint ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad ministranda sacramenta; n. 84. De scientia necessaria pro parœciarum aut diœceseon administratione, diximus in *Introduct.*, n, 8, et in Institut. canonicis, Tract. 2, n. 52; Tract. 4, n. 24; Tract. 5, n. 9, 172-74, 309, 335, 348, 349, 352-55.

57. — V. *Probitas excellens.*

Ex Conc. Trid., sess. 23, c. 4, 11-14 : « prima Tonsura non initientur, nisi illi, de quibus *probabilis conjectura* sit, eos, *ut Deo fidelem cultum præstent,* hoc vitæ genus elegisse. »

« Minoribus Ordinibus initiandi ita de gradu ad gradum ascendant, ut in eis cum ætate vitæ meritum accrescat : quod et bonorum morum exemplum, et assiduum in ecclesia ministerium, atque major erga presbyteros, et superiores Ordines reverentia, et crebrior, quam antea, corporis Christi communio maxime comprobabunt. »

« Ad Subdiaconatum et Diaconatum ordinentur digni duntaxat, quorum probata vita senectus sit, habentes bonum testimonium, in minoribus Ordinibus jam probati, qui sperent, Deo auctore, se continere posse. »

« Ad presbyteratum Ordinem assumendi, pie et fideliter in ministeriis ante actis se gesserint, bonum habeant testimonium; ita pietate ac castis moribus sint conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum et vitæ monita ab eis possent exspectari. »

De probitate in promovendis ad Episcopatum dicemus in Institut. canonicis, Tract. 4, n. 25, Tract. 6, n. 45-47.

De necessitate illius excellentis probitatis, præsertim pro sacris ordinibus, gravissimis verbis loquuntur SS. Patres et Theologi. « Sic vive in monasterio, ut clericus esse merearis ; » S. Hieron., *ad Rustic. monach.* — « Ex his, qui in monasterio permanent, nonnisi *probatiores* atque *meliores* in clerum assumere solemus ; » S. August., Epist. *ad*

Aurelium, ad Valerium. — « Ad sacros ordines admittendi sunt tantum *probati, non probandi*... Si altiorem, quam *meliorem* esse delectat, non præmium, sed præcipitium expectamus ; » S. Bernard. — « Ut quis ipsi Christo serviatur in Sacramento altaris, *major requiritur sanctitas interior*, quam requirat etiam religionis status. Unde, cæteris paribus, gravius peccat clericus in sacris Ordinibus constitutus, si aliquid contrarium sanctitati agat, quam aliquis religiosus, qui non habet Ordinem sacrum... Ad *idoneam executionem Sacerdotii* non sufficit bonitas qualiscunque, sed *requiritur bonitas excellens*, ut, sicut illi, qui Ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu Ordinis, ita et *superiores* sint *gradu sanctitatis*. » S. Th. 2. 2, q. 184, a. 8; Suppl. q. 35, a. 1. Revera, ex dictis de sacerdotali charactere, n. 38, 39, 43, nihil nobilius, excellentius ac sanctius dignitate sacerdotali.

Nec objiciatur quod, si hæc observarentur, jam deficerent utique ministri. « *Melius* est, ait Benedict. XIV, Bulla *Ubi primum*, pauciores habere ministros, sed probos atque utiles, quam plures, qui ne quicquam sint valituri. » Hæc fusius expendimus in Tract. *de Obligat.*, n. 10-16 ; in Institut. canonicis, Tract. 4, n. 25; Tract. 5, n. 176-78; Tract. 6, n. 45-48.

58. — VI. *Immunitas ab irregularitatibus*. *Bannorum publicatio*.

De irregularitatibus, quæ sunt tot ab ordinum receptione prohibitiones, dicemus n. 69-94.

Quoad Bannorum publicationem, hæc præscribuntur a Conc. Trid., sess. 23, c. 5 : « Ad minores Ordines promovendi, bonum a parocho et a magistro scholæ, in qua educantur, testimonium habeant. »

« Hi vero, qui ad *singulos majores* erunt assumendi, per mensem Episcopum adeant, qui parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus, ac desiderio eorum qui volunt promoveri, *publice in ecclesia propositis*, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus et vita, a fide dignis diligenter inquirat ; et litteras

testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum Episcopum quamprimum transmittat » n. 48.

59. — VII. *Titulus ordinationis*.

De tituli ordinationis notione, speciebus, necessitate, ab eo dispensatione agimus in Institut. canonicis, Tract. 4, n. 44-46. Hic de hoc titulo quæ spectant Galliam paucis verbis contrahemus. Scilicet,

Titulus ordinationis est *jus* in perpetuum collatum promovendo ordinibus *sacris*, percipiendi ex certis bonis, aut redditibus, aut eleemosynis, *necessaria ad congruam sustentationem*, ratione *ordinis* et officii ecclesiastici eidem collati, et ab eo fideliter adimpleti, ne, semel ordinatus cogatur, absque sua culpa, mendicare, aut sordidum quæstum exercere, in dedecus ecclesiastici ordinis ; Conc. Trid., sess. 21, c. 2.

Porro, in Gallia, clerici ad ordines sacros nunquam promoveri possunt cum titulo beneficii, cum nulla exstent beneficia, nisi parochiæ et canonicatus, qui, ex Concordato an. 1801, non conceduntur nisi illis, qui jam ad sacerdotium sunt promoti.

Sed etiam maxima pars clericorum in Gallia ordinari nequit cum titulo patrimonii aut pensionis, ut constat experientia. Unde solus remanet pro illis clericis titulus *servitii* seu administrationis, qui, nempe, nititur in promissione ex parte Episcopi proprii providendi congruæ sustentationi promovendi ad sacros Ordines, dummodo iste accipiat ac fideliter adimpleat ministerium ipsi committendum in diœcesis servitium.

A tempore Concordati an. 1801, in Gallia inducta est consuetudo, ut ipsi Episcopi propria auctoritate dispensent a titulo canonico beneficii, patrimonii, aut pensionis, quando id expedire, ob diœceseon suarum utilitatem aut necessitatem, existimant.

CAPUT II

DE TONSURA ET SINGULIS ORDINIBUS

ARTICULUS PRIMUS

De Tonsura clericali.

60. — *Quæritur* quid sit prima Tonsura, quænam ejus origo, subjectum, effectus, finis, dispositiones?

Resp. 1° prima Tonsura definitur : *Cæremonia ab Ecclesia instituta, qua laicus baptizatus et confirmatus in clerum adsciscitur, ut se ad suscipiendos Ordines præparet.*

Illa autem cæremonia in hoc consistit, quod 1. initiandus exuit secularem vestitum, et veste lugubri induitur; 2. ejus capilli a Pontifice raduntur in formam coronæ, dum ipse initiandus dicit : *Dominus pars hæreditatis meæ, etc.*; 3. denique superpelliceum induit.

2° *Origo.* Non est Tonsura ex divina institutione, juxta omnes; sed non ita conveniunt circa tempus, quo inducta fuit. Alii enim hunc ritum ad B. Petrum referunt; alii vero nullum illius vestigium inveniunt tribus primis seculis.

3° *Subjectum* est 1. vir *baptizatus*, qui utpote filius Ecclesiæ et masculini sexus, ecclesiasticis honoribus et potestate solus gaudere potest, n. 53; 2. *Confirmatus*, ut dictum est, n. 55.

4° *Effectus* est ut vir aliquis *in Clerum adsciscatur*. Clerus, græce κλερος, *sortem* significat. Sors vero idem sonat ac *hæreditas*, eo quod, scilicet, sorte seu nativitate fiunt hæredes non electione.

Porro ministri Ecclesiæ ex Dei consilio veluti sorte sunt electi, tum ut sint præclara et selecta Domini portio, ac hæreditas præcipua; tum ut ipse Dominus sit tanquam pars illorum et hæreditas, juxta illud : *Ego pars et hæreditas tua in medio filiorum Israel;* Num. 18, v. 20. Unde nomine *Cleri, Clericorum,* proprie et simpliciter designantur ministri Ecclesiæ, utpote a Deo speciali voluntate præ cæteris electi, ut speciali modo Deo deserviant, ipseque Deus specialiter ipsis se præbeat, n. 54 : atqui per Tonsu-

ram talis fit electio et consecratio ad cultum divinum, his verbis : *Dominus pars*, etc.; ergo per illam Christianus in Clerum adsciscitur.

Itaque per Tonsuram initiatus, modo specialiori ac in Baptismo, valedicit rerum terrenarum cupiditatibus, ut Dominum partem habeat, ipseque pars Domini sit; sicque possideat Dominum, et a Domino possideatur, in Deum omnes cogitationes, voluntates et operationes finaliter referendo.

Propterea 1. raduntur capilli ex parte inferiori, in signum abdicationis negotiorum secularium, quibus sensus abvolvuntur; et ex parte superiori, in signum revelatæ faciei ad contemplationem divinorum, sanctiorisque vitæ. 2. Raduntur in modum *coronæ*, tum quia corona, ut figura omnium perfectissima, est signum perfectioris vitæ a clericis susceptæ; tum quia est nota regiæ dignitatis, quæ maxime convenit iis, qui in sortem Domini vocati sunt : *Servire enim Deo regnare est;* tum quia Christus, rex regum, cui Clericus se totaliter devovet, primum habuit coronam contumeliæ et ludibrii, et postea gloriæ et honoris; sicque ministri Ecclesiæ in omnibus Christi Domini speciem et figuram gerant. 3. Crux quoque in tonsionis ritu delineatur, quia Clericus non vocatur ad quietem et delicias temporales, sed ad laborem et tribulationes. 4. Eadem ratione Clericus deponit *ignominiam* habitus secularis, seu veteris hominis cum vitiis et concupiscentiis, et induit superpelliceum, seu vestem novi hominis, *qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.*

3° *Finis* est, *ut* Clerus *se ad Ordines præparet*. Sicut enim homines ad Baptismum exorcismis, ad Matrimonium sponsalibus, ad professionem monasticam novitiatu præparari solent, ita, cum, tonso capillo, Deo dedicantur, tanquam *aditus ad Ordinis sacramentum* illis *aperitur : declaratur* enim *qualis esse debeat, qui sacris imbui cupit;* Catech. Rom. Et profecto, cum Sacerdotium sit res plane divina, æquum fuit ut Ecclesia suos candidatos, qui signa vocationis et bonæ spei præ se ferunt, prius rudimentis disciplinæ Sacerdotalis imbuendos curaret, quam ad ullum Ordinem

admitterentur. Et in hoc ab aliis differt hæc consecratio, quod sit *deputatio* quædam *ad cultum divinum* seu *præambulum ad Ordines*, ut ait S. Th., q. 40, a. 2.

Hinc *Tonsura non est Ordo*. Namque per Ordines, ut vidimus, initiandus aliquam in divinis *potestatem* a Deo recipit; in collatione autem Tonsuræ, seipsum Deo offert; illic Pontifex dicit : *Accipe potestatem legendi, offerendi*, etc.; hic initiandus ipse loquitur, atque se totum tradit Deo, ut sit ejus sors et hæreditas. Quare Conc. Trid., n. 2, dicit « plures ac diversos Ordines ita distribui, ut qui jam clericali Tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. » Ergo Tonsura est prævia ad Ordines.

6° *Dispositiones* ad Tonsuram requisitæ indicantur, n. 55-58.

ARTICULUS II

De quatuor Minoribus Ordinibus.

Trademus breviter eorum definitionem, materiam et formam, functiones, denique obligationem perfectioris vitæ.

61. — I. *Ostioratus* 1° est Ordo dans potestatem aperiendi et claudendi ecclesiæ januas, admittendi eos, qui mysteriis interesse debent, et repellendi indignos.

2° Ejus materia est traditio clavium; forma vero hæc verba : *Sic agite quasi reddituri rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur*.

3° Functiones sunt aperire fidelibus ecclesiæ januas, et eas semper infidelibus claudere; percutere cymbalum et campanam, et providere ne rerum, quæ in ecclesia sunt, aliquid depereat; procurare munditiem et ornatum ecclesiæ.

4° Ostiarii invisibilem Dei domum, corda scilicet fidelium, dictis et exemplis claudere debent diabolo, et aperire Deo, ut divina verba, quæ audierint, corde retineant et opere compleant. Pontif. Rom.

62. — II. *Lectoratus* 1° est Ordo dans potestatem legendi

ex pulpito in ecclesia, quæ magis expediunt ad utilem populi instructionem.

2° Ejus materia est traditio libri [1] de quo lecturi sunt Lectores; forma vero : *Accipite, et estote verbi Dei relatores; habituri, si fideliter et utiliter impleveritis officium vestrum, partem cum iis, qui verbum Dei bene administraverunt ab initio.*

3° Functiones sunt in ecclesia legere, quæ ad magis utilem populi instructionem inserviunt; parvulos ac rudes fidei principia edocere, ut tradit S. Th.; lectiones cantare; panem benedicere et omnes fructus novos.

4° Unde, quod ore legunt, corde credere debent, et opere complere, ut auditores verbo pariter et exemplo doceant; sicque cunctis, a quibus audiuntur et videntur, cœlestis vitæ formam præbeant. Pontif. Rom.

63. — III. *Exorcistatus* 1° est Ordo dans potestatem imponendi manus super energumenos, ad diabolum ab ipsis expellendum.

2° Ejus materia est traditio libri exorcismorum, vel Pontificalis, vel Missalis ; forma vero : *Accipite, et commendate memoriæ, et habete potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos.*

3° Functiones sunt imponere manus super energumenos, ad fugandos dæmones a corporibus, et aquam in ministerio fundere.

4° Igitur Exorcista studere debet, ut a mente et corpore suo omnem immunditiam et nequitiam ejiciat, ne in moribus ejus aliquid sui juris inimicus valeat vindicare. Tunc enim recte id aliis imperabit dæmonibus, cum prius in se eorum multimodam nequitiam superaverit. Pontif. Rom.

64. — IV *Acolythatus* 1° est Ordo dans potestatem accendendi, ex officio, ecclesiæ luminaria; et urceolos cum vino et aqua porrigendi in Missa.

1. In ordinatione Diaconi vel Subdiaconi eis tradi potest Missale, ex decis. S. Congr. Rit., 27 sept. 1873.

2° Duplex est Acolythatus materia et forma partialis : 1. traditio candelabri cum candela exstincta ; forma vero huic correspondens : *Accipite ceroferarium cum cereo, et sciatis vos ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari in nomine Domini.* ℟ *Amen.* 2. Traditio urceoli vacui. Forma vero : *Accipite urceolum ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam sanguinis Christi in nomine Domini.* ℟ *Amen.*

3° Functiones sunt urceolos cum vino et aqua Subdiacono porrigere, præpare luminaria ad sacrificium, cereum accensum ad altare transferre.

4° Itaque Acolythus debet esse sollicitus in omni justitia, bonitate et veritate, ut et se, et alios, et Dei Ecclesiam illuminet. Tunc etenim in Dei sacrificio dignum vinum suggeret et aquam, si ipsimet Deo sacrificium per castam vitam, et bona opera, oblatus fuerit. Pontif. Rom.

ARTICULUS III
De Subdiaconatu.

65. — Subdiaconatus 1° est Ordo sacer potestatem dans inserviendi ad altare, et porrigendi Diacono calicem cum vino, et patenam cum hostia, dum celebratur ; atque etiam legendi Epistolam, tam pro vivis quam pro defunctis.

2° Duplex est Subdiaconatus materia et forma partialis : 1, traditio calicis vacui cum patena vacua ; forma vero : *Videte cujus ministerium vobis traditur ; ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere positis.* 2° Traditio libri Epistolarum [1] sub hac verborum forma : *Accipite librum Epistolarum, et habete potestatem legendi eas in Ecclesia Dei, tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* ℟ *Amen.*

3° Subdiaconi functiones sunt assistere Diacono, ipseque ministrare in Missæ sacrificio, calicem et patenam ad altare deferre, calici aquam infundere, et Epistolam so-

1. In ordinatione Diaconi vel Subdiaconi eis tradi potest Missale ex decis. S. Congr. Rit., 27 sept. 1873.

lemniter legere, dum Missa celebratur, pallas altaris, corporalia et purificatoria abluere.

4° Subdiaconus contrahit insuper obligationem perpetuam servandi castitatem et recitandi Officium divinum; de his dicemus in Tract. *de Oblig.*, n. 50 et seq. Additur etiam obligatio gerendi clericalem habitum. Igitur debent esse ad ecclesiam *assidui, vigiles, sobrii, casti;* Pontif. Rom. Et quidem in eis *eximiam* requiri virtutem gravissimis verbis et ritu quam maxime solemni declaratur, dum Ecclesia militans, adjunctis beatorum Spirituum suffragiis, per Pontificem enixe Deum rogat ut initiandos Subdiaconos *benedicat, sanctificet* et *consecret,* eos, scilicet, cumulando omni donorum cœlestium genere, expurgando ab omni terrenæ cupiditatis labe, atque in æternum ministros in domo sua constituendo.

Quare eis datur *amictus* per quem designatur sermo in gratia sale conditus; *manipulus* etiam, quo significatur copiosa seges bonorum operum; denique *tunica jucunditatis et lætitiæ,* quæ sunt bonorum operum fructus et præmium.

ARTICULUS IV
De Diaconatu.

66. — Diaconatus 1° est Ordo sacer potestatem dans inserviendi proxime Sacerdoti celebranti, et legendi Evangelium in Missa.

2° Diaconatus, prout in Ecclesia Latina confertur, duplicem habet materiam et formam partialem : 1ª est impositio manus dextræ solius Episcopi super Ordinandi caput; forma vero : *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, ad resistendum diabolo et tentationibus ejus, in nomine Domini.* ℟ *Amen.* 2ª Est traditio libri Evangeliorum. Forma vero : *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini.*

3° Diaconi functiones sunt publice in Missa Evangelium legere, assistere et ministrare in sacrificio Missæ, baptizare; si absit Episcopus et Sacerdos, Evangelium explanare, non tamen e superiori loco, ut intelligatur hoc ejus proprium munus non esse. Catech. Rom.

4° Proinde Ecclesiam Dei, sicut Levitæ tabernaculum, portare et munire debent Diaconi *ornatu sancto, prædicatu divino, exemplo perfecto*; et esse nitidi, mundi, puri, casti, sicut decet ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei, ut *hæreditas* et *tribus* amabilis Domini esse mereantur. Pontif. Rom.; supra, n. 57.

Quare datur Diaconis *stola*, quæ est quoddam dignitatis insigne; atque in prosperis et adversis *fortitudinem* significat, sine qua cæteræ virtutes expugnantur, et minime coronantur. Ponitur autem super *sinistrum humerum*, ut per hoc se cognoscant accepisse jugum Domini, quo omnia quæ ad sinistram, id est, ad præsentem vitam pertinent, spernant et jugo Domini subjiciantur.

ARTICULUS V

De Presbyteratu.

67. — Presbyteratus 1° est Ordo sacer potestatem conferens conficiendi corpus et sanguinem Christi, atque sacramentum Pœnitentiæ et Extremæ Unctionis administrandi, positi ponendis.

2° In Ordinatione Presbyteri, prout in Ecclesia Latina confertur, duplex adhibetur materia et forma, ut jam vidimus, n. 28, 29; scilicet, impositio manuum, quæ in hac Ordinatione triplex est, n. 30, cum forma correspondente secundæ et tertiæ impositioni; et porrectio calicis cum vino et aqua, et patenæ cum pane, conjuncta cum verbis correspondentibus.

3° Functiones sunt *conficere Eucharistiæ sacramentum* et *Missæ sacrificium offerre, benedicere, sacramenta ministrare, præesse, prædicare,* n. 35, 40. Proinde Sacerdotes constituuntur *populorum Patres, intercessores mundi, Christi ministri, Ecclesiarum duces*. S. Laurent. Just., S. Chrys.

Ad tantam dignitatem necnon et onus significandum, *stola* presbyteris et quidem super utrumque humerum imponitur. Præterea integre conteguntur *casula* seu charitate, utpote virtute sacerdotibus specialiter propria et sine qua revera huic dignitati et oneri ferendis omnino impares remanerent.

Igitur *cum magno timore* ad tantum gradum ascendendum est, ac providendum ut *cælesti sapientia, probi mores,* et *diuturna justitiæ observatio* ad id electos commendent. Semel vero provecti, agnoscere debent quod agunt, imitari quod tractant; atque adeo eorum doctrina sit spiritualis medicina populo Dei, odor vitæ eorum delectamentum Ecclesiæ Christi, sicque prædicatione et exemplo ædificent familiam Dei; *nec Ordinantes de eorum provectione, nec ipsimet de tanti officii susceptione damnari a Domino,* sed *remunerari* potius mereantur. Pontif. Rom. Vide supra, n. 57.

ARTICULUS VI

De Episcopatu.

68. — Episcopatus 1° est Ordo supremus, quo datur Presbytero potestas specialis confirmandi, ordinandi, de fide judicandi, et consecrandi res ad divinum cultum pertinentes.

Jam vidimus, n. 21, Episcopatum esse Ordinem specie a simplici Presbyteratu distinctum et eo superiorem, veram sacramenii rationem habere, et ideo characterem imprimere. Hæc omnia etiam declarantur a Conc. Trid.; n. 5, 8, 10, 11. Vide etiam Pontif. Rom.

2° Multiplex in Episcopi consecratione ritus adhiberi solet : 1. liber Evangeliorum apertus a consecratore et Episcopis assistentibus ponitur supra cervicem et scapulas electi, et mox iidem caput electi tangunt ambabus manibus, simulque ista verba proferunt : *Accipe Spiritum Sanctum.* 2. Consecrator pollice dextero inungit Chrismate caput electi, formans crucem, et statim totum liniens intra coronam, cum hac verborum forma : *Ungatur et consecretur caput tuum cælesti benedictione in Ordine Pontificali, in nomine Patris,* etc. Deinde manus junctas Chrismate pariter inungens, hæc verba profert : *Ungantur manus istæ de sanctificato et de chrismate sanctificationis,* etc. 3. Consecrator pastoralem baculum consecrato tradit cum his verbis : *Accipe baculum pastoralis Officii, ut sis in corrigendis vitiis pie sæviens,* etc. Tunc annulum ejus dexteræ immitit sub

hac forma : *Accipe annulum, fidei scilicet signaculum ; quatenus sponsam Dei, sanctam videlicet Ecclesiam, intemeratam fide ornatus illibate custodias*. Postea librum Evangeliorum, opitulantibus Episcopis assistentibus, tradit consecrato tangendum, dicens : *accipe Evangelium, et vade, prædica populo tibi commisso*, etc,

3° Præcipuæ Episcopi functiones sunt Ecclesiæ Ministros ordinare, Confirmationis sacramentum administrare, altaria, calices, templa virginesque consecrare, atque ut uno verbo dicam, totam Diœcesim regere. Vide Institutiones canonicas, Tract. 4.

Denique quanta sit Ordinis Episcopalis dignitas, et quali cum reverentia et religione ab omnibus et præsertim Clericis sit habenda, quam graves et multiplices eorum obligationes, ex dictis in decursu Tractatus facile colligi potest, et ex Pontif. Rom.

Hæc de Ordinis sacramento satis dicta sint. Quæ si Clericorum, Sacerdotum et Episcoporum memoriam non prætereant, sed quotidie opere compleantur, feliciter adimplebitur, universa congaudente Ecclesia, verbum Christi : *Posui vos ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat.... In hoc clarificatus est Pater, ut plurimum fructum afferatis ;* Joan. 15, ỳ 8, 16.

CAPUT III

DE IRREGULARITATIBUS

Dicemus 1° de irregularitatum in genere, seu de earum notione, ratione, effectibus, speciebus, auctore, subjecto; 2° de irregularitatibus ex defectu ; 3° de irregularitatibus ex delicto ; 4° de cessatione irregularitatum.

ARTICULUS PRIMUS

De irregularitatibus in genere, seu de earum notione, ratione, effectibus, speciebus, auctore et subjecto.

69. — I. *Irregularitatum notio, ac ratio.*

1° Irregularitas est *impedimentum ab Ecclesia constitutum,*

quo quis inhabilis redditur ad licite recipiendos Ordines, vel eorum functiones obeundas. Unde hic non agitur de impedimentis respectu Ordinum a jure naturali aut divino procedentibus.

2° Duplex est illorum impedimentorum ratio, nempe, decor et utilitas ministerii ecclesiastici. *Decor* quidem. Ordinati enim in quadam dignitate præ aliis constituuntur; et ideo ex quadam honestate, decentia et reverentia requiritur in altaris ministris claritas quædam, ita ut tam *corpore* quam *animo* sint puri, immaculati, nitidi; ac proinde ab ordinum susceptione aut exercitio excludantur, qui deficiunt ab illa claritate et puritate ex parte corporis aut animi. S. Th., 4 sentent., dist. 25, q. 2, a. 2.

Utilitas etiam ministerii ecclesiastici. Magni enim interest ad animarum salutem, ut ministri altaris non laborent defectibus, qui eos inhabiles constituant ad suas functiones expedite et convenienter obeundas; et ideo ab hujusmodi functionibus per irregularitates removentur, quicunque ab illis adimplendis plus minusve impediuntur aliquo defectu ex parte corporis aut animi.

70. — II. *Irregularitatum effectus.*

Triplex est irregularitatum effectus, prout agitur de omnium ordinum susceptione, de exercitio sacrorum ordinum, de susceptione beneficii aut officii Ordini sacro adnexi, aut hujusce exercitio.

Et quidem 1° irregularitates *illicitam reddunt omnium Ordinum et ipsius primæ Tonsuræ susceptionem*. Talis est primarius irregularitatum effectus. Unde illa impedimenta obstant licitati, non vero validitati ordinum; atque prima Tonsura, licet non sit Ordo, tamen, quatenus est præambulum ad Ordines, n. 60, et aliqualis gradus in statu clericali, sub nomine *ordinum* hic comprehenditur. Lex enim, quæ directe prohibet susceptionem Ordinum, indirecte arcere debet a ritu, cujus proprius finis est ad Ordines suscipiendos disponere.

2° Irregularitates *illicitum faciunt exercitium Ordinum sacrorum*, sive quando suscepti sunt cum irregularitate, sive

cum, jam licite susceptis illis ordinibus sacris, supervenit irregularitas. Qui enim non potest ordines licite suscipere, multo magis prohibetur susceptis ordinibus uti. Revera, Ecclesia, statuendo irregularitates, exercitium Ordinum magis intendit, quam meram Ordinum susceptionem, nisi tamen adsit casus extremæ necessitatis. In prohibitione illius exercitii, agitur tantum de sacris ordinibus, quia minores Ordines ab ipsis laicis exerceri possunt.

Irregularitas ex defectu, superveniens aliquo ordine jam suscepto, est totalis quoad ordines superiores suscipiendos; partialis vero quoad exercitium ordinum jam susceptorum, quatenus illas tantummodo functiones impedit, quæ ob supervenientem defectum congruenter adimpleri non valent.

Irregularitas ex delicto, sive antecedens sive subsequens susceptionem ordinum; est totalis et ab omni Ordinis sacri executione arcet, nisi in casibus jure exceptis, n. 89-93.

3° Quoad *beneficium et officium ordini adnexum*, irregularitates, *directe* impediendo licitam ordinum susceptionem, aut eorum exercitium, *indirecte* ac consequenter 1. impediunt ne *licite accipi* possit beneficium aut officium ecclesiasticum alicui ordini adnexum ; 2. ne *licite exerceatur* jurisdictio cum ordinis *sacri* exercitio connexa; 3. dant judici ecclesiastico jus per sententiam declaratoriam privandi irregularem ab officio aut beneficio; sed non ipso facto privant irregularem ab officio aut beneficio ante irregularitatem obtento. Vide *Institut. canonicas*, Tract. 2, n. 53, 59, 79 ad 5.

An vero non solum illicita, sed etiam *invalida* sit *collatio* officii aut beneficii *facta* jam *irregulari*, disputant auctores. Alii quippe putant hujusmodi collationem non esse ex se irritam, sed a judice per sententiam declaratoriam esse irritandam. Alii vero contendunt talem collationem esse pleno jure invalidam, ex Conc. Trid., sess. 7, c. 3; sess. 14, c. 7; sess. 22, c. 4; et hæc sententia est communior ac probabilior, ait S. Ligor., lib. 7, n. 345.

Cum prior sententia non sit improbabilis, « hoc satis est, ait Suarez, *de Censuris*, disp. 41, sect. 2, n. 35, ut quis excusetur a peccato, si in praxi illam opinionem sequi vo-

herit, dummodo advertat non posse tuta conscientia retinere beneficium, manendo in irregularitate, sed debere illius dispensationem procurare. »

71. — Itaque 1. irregularis sacros ordines exercere nequit sine peccato mortali; nullam tamen propterea censuram, vel aliam irregularitatem incurrit.

2. Licite potest omnia sacramenta percipere, excepto Ordine; actus omnes Minorum ordinum exercere, baptizare in casu necessitatis absque ritu solemni, exercere jurisdictionem delegatam; imo et ordinariam in actibus, qui non requirunt Ordinem, v. g., concedere litteras dimissorias, dispensationes, deputare ad audiendas confessiones, ad conferenda sacramenta, assistere matrimonio, non vero per se dare benedictionem nuptialem, et generatim omnes actus perficere, qui sunt tantum jurisdictionis ecclesiasticæ.

3. Irregularitates non procedunt per modum pœnæ, sed *inhabilitatis*, ideoque non semper supponunt delictum; incurruntur etiam ab eis, qui eas ignorant, saltem si sint ex defectu, n. 74; neque jam conversi jus habent ad dispensationem ab irregularitate ex delicto.

In hoc discrepant tum a censura, quæ semper supponit peccatum, atque ex se est pœna medicinalis, quæ ideo tolli debet, posita emendatione rei; tum a depositione et degradatione, quæ directe non impediunt susceptionem Ordinum, sed potius eorum functiones.

72. — III. *Species irregularitatum*. Diversæ sunt irregularitates ratione motivi, durationis et effectus.

1° Ratione *motivi*, irregularitas est ex *defectu*, vel ex *delicto :* prior fundatur in aliquo defectu etiam *inculpabili*, ex quo oritur quædam indecentia aut inhabilitas in obeundis Ordinum functionibus; posterior fertur propter indecentiam ex *propria culpa* consequentem.

2° Ratione *durationis*, irregularitas est *perpetua*, vel *temporalis :* prior sola dispensatione tollitur; talis est irregularitas ex delicto: posterior tollitur sive dispensatione, sive ipso temporis lapsu, v. g., irregularitas ex ætatis defectu.

3° Ratione *effectus*, irregularitas est *totalis* vel *partialis* : prior a quolibet ordine suscipiendo vel exercendo excludit, v. g., irregularitas homicidii, bigamiæ; posterior privat tantum aliquo Ordinis ministerio, vel solum arcet ab ascensu ad superiorem Ordinem.

Totalis est irregularitas quam incurrunt laici, sive ex defectu, sive ex delicto, et Clerici qui incidunt in casum, cui pure et simpliciter adnexa est irregularitas.

73. — IV. *Auctor irregularitatum.*

Soli S. Pontifici competit jus constituendi irregularitates, juxta omnes. Etenim 1. omnes irregularitates constituuntur de facto ex jure communi : hoc autem jus a solo Pontifice oritur sive intra, sive extra Concilium generale; ergo, etc.

2. Nec ab alio constitui possunt de jure. Cum sint enim ad dignitatem Cleri servandam institutæ, debent ubivis gentium prævalere, nec pendere a singulorum Episcoporum arbitrio. Unde irregularitas nunquam fertur *ab homine* per *sententiam*, sed a jure per legem generalem, idque *ipso facto*, ita ut nulla opus sit judicis sententia, vel declaratione, ut incurratur.

74. — V. *Subjectum irregularitatis.*

1. Potest irregularitatem contrahere quicunque capax est ordinationis, et ideo omnis vir baptizatus. Attamen S. Pontifex jure communi obligari nequit per vim coactivam, sed directivam tantum.

2. *Ignorantia irregularitatis non eximit ab irregularitate ex defectu.* An idem dicendum sit de irregularitatibus *ex delicto*, tres sunt opiniones. Prima *tenet sufficere cognitionem legis divinæ*, qua res vetita est. Secunda *requirit cognitionem legis Ecclesiasticæ rem prohibentis*, non vero cognitionem irregularitatis huic delicto annexæ. Tertia demum eorum est, qui dicunt requiri *simul* et *cognitionem legis Ecclesiasticæ*, et cognitionem irregularitatis eadem lege constitutæ. Hæc opinio *probabilior* et magis principiis consentanea videtur.

3. Certum est ad incurrendam irregularitatem ex *delicto*, requiri culpam *mortalem*, *externam* et *in genere suo consummatam*; tum quia gravis pœna qualis est irregularitas, non nisi propter gravem culpam incurritur; tum quia in pœnis stricta fieri debet legis interpretatio; tum quia in casu culpæ levioris cessat ratio legis, id est, *indecentia ex crimine* orta. Sufficit autem delictum occultum, ex Conc. Trid., c. 6, sess. 24. Quandonam delictum sit occultum, vide Tract. *de Matrim.*, n. 278.

An aliquis possit detineri pluribus simul irregularitatibus ejusdem speciei, controvertitur; atque ideo, in praxi, quando postulatur dispensatio, « non opus est exprimere vices in particulari, in quibus irregularitas contracta est; sed necessarium est saltem in genere eas exprimere, ut pro omnibus concedatur dispensatio. » Ita Schmalzgrueber, tit. *de Pœnis*, lib. 5, Decret.; S. Ligor., lib. 7, n. 353.

ARTICULUS II

De Irregularitatibus ex defectu.

Aliquis irregularis esse potest defectu 1° natalium, 2° corporis, 3° animi, 4° ætatis, 5° libertatis, 6° famæ, 7° sacramenti, 8° lenitatis.

I. — *De Defectu natalium.*

75. — Defectu natalium irregulares sunt 1° qui *extra justas nuptias* nati sunt, ex c. 1, tit. 17, lib. 1 Decret. Tales sunt filii *naturales* seu nati ex duabus personis, inter quas poterat esse matrimonium tempore conceptionis vel nativitatis, aut saltem intermedio tempore, secluso omni impedimento dirimente ex jure naturali, aut divino, aut ecclesiastico; *manseres*, ex publica meretrice, id est, ex patre incerto; *nothi*, ex conjugato et soluta, et vice versa; *spurii*, si ex incesto, stupro, raptu, sacrilegio nati sint.

2° Qui ex justis nuptiis nati sunt, quorum tamen *usus* per *votum solemne*, aut *susceptionem ordinis sacri interdictus* est, licet quoad civilia jura successionis nihil deperdant; c. 14, *ibid.*

3° Qui quocunque modo *suam legitimitatem probare ne-*

queunt, ut *expositi*. Nonnulli auctores sentiunt illos expositos ut legitimos præsumendos esse, ac proinde habiles ad ordines et beneficia recipienda. Prævaluit tamen contraria sententia, ait de Angelis, tit. 17, lib. 1, n. 4, tum quia legitimitas probari debet; tum eo quod eadem ratio habetur ad eos excludendos, nempe, dubium legitimorum natalium, ne quis improperare possit clerico obscuros natales non aperte legitimos; et praxis id tenet; unde censetur necessaria dispensatio ad eos admittendos ad ordines et beneficia.

76. — Tollitur illa irregularitas per subsequens matrimonium, per professionem religiosam, per Rescriptum Papæ, per dispensationem.

1° Per *subsequens matrimonium* legitimantur filii *naturales* tantum, non vero manzeres, nothi, spurii; c. 1, 6, tit. 17, lib. 4 Decret. Nam hic modus legitimationis a jure civili primum invectus, et a jure canonico deinde receptus, procedit per juris fictionem, quo censetur natus constante matrimonio, qui ante illud genitus et natus est, quasi antea intervenisset matrimonium, quod serius intervenit; ac proinde prius debuit esse possibile : hoc autem non verificatur nisi in filiis naturalibus, ut expresse docetur in Sixti V Constitut. *Postquam*, 3 dec. 1586.

Hic legitimationis modus dicitur plenarius, quia redintegrat in omni jure legitimorum, excepta tamen cardinalatus dignitate, ad quam inhabiles permanent omnes defectu natalium irregulares, quomodolibet sint habilitati, et natalibus restituti, ex præfata Constit. Sixti V.

2° Per *religiosam professionem* votorum *solemnium* tollitur irregularitas tantum quoad Ordinum susceptionem, non vero quoad prælaturam et dignitates Ordinis; et si professus religionem dimiserit, obtenta dispensatione super votis, non potest promoveri ad ordines, nec obtinere beneficia, præsertim curam animarum habentia, absque dispensatione; c. 1, dist. 56; c. 1, tit. 17, lib. 1 Decret.

Per specialem exceptionem factam a Gregor. XIII, Bulla *Ascendente*, vota simplicia in societate Jesu edita eumdum

effectum habent quoad irregularitatem, ac professio votorum solemnium.

3° Per *Rescriptum S. Pontificis* fieri potest absoluta legitimatio quoad irregularitatem non solum filiorum naturalium, sed etiam manserum, nothorum et spuriorum; c. 13, tit. 17, lib. 4 Decret. Vide Tract. *de Matrim.* n. 299.

4° Per *dispensationem a legitimo superiore concessam* relaxatur defectus natalium quoad effectum seu casum in supplicibus precibus expositum.

Hæc dispensatio datur ab Episcopo pro ordinibus minoribus et beneficio simplici, et quidem unico, non vero pro ordinibus majoribus, nec pro dignitate, personatu, canonicatu ecclesiæ cathedralis, beneficio quod actu requirit ordinem sacrum; c. 1, tit. 11, lib. 1, in 6; c. 54, tit. 6, lib. 1 Decret. Idem potest vicarius capitularis, sede vacante; item prælatus inferior habens jurisdictionem quasi episcopalem, ut communiter tenent doctores, ex c. 1, tit. 11, lib. 1, in 6, ait de Angelis, lib. 1, tit. 17, n. 4. Attamen, ex decis S. Congr. Conc., 20 jan. 1860, Provinciales dispensare non possunt cum *novitiis* defectu natalium laborantibus, ad hoc ut his ordines conferantur, nisi ex Indulto Apostolico non revocato.

An Episcopus, vi c. 6, sess. 24, Conc. Trid. habeat potestatem dispensandi in hac irregularitate, etiam pro majoribus ordinibus. in casibus occultis, planum est negativum responsum, juxta Giraldi, *Epositio Jur. Pontif.*, p. 1, sect. 128, de Angelis, *ibid.*; quia in illo Conc. Trid. decreto agitur tantum de irregularitate ex delicto tantum, non ex defectu proveniente, qualis est defectus natalium, qui non provenit ex delicto proprio, sed parentum.

Dispensatio ista, etsi a Sede Apostolica proveniat, est strictæ interpretationis, ex c. 1, tit. 11, lib. 1, in 6. In Rescriptis Apostolicis hujus dispensationis solet apponi hæc clausula : « *Dummodo paternæ incontinentiæ imitator non sit.* » Ex decis. autem S. Congr. Conc., 23 dec. 1596, huic clausulæ satisfaciunt Episcopi « inquirendo quod nihil bonis moribus indignum repererit : quod si integro decennio dispensandus probe vixerit, Episcopus debet exequi

litteras dispensationis, quamvis prius incontinentiæ nomine suspectus esset; sed hoc casu tenetur Episcopus accuratius inquirere, ad diluendam prioris vitæ suspicionem. »

II. — *De Defectu corporis.*

77. — Irregulares sunt illi, qui corporis *mutilatione*, aut *debilitate*, aut *deformitate* laborant, ex quo ministerium, præsertim Missæ celebratio impeditur, aut non sinit illud exequi sine indecentia, periculo irreverentiæ, aut scandalo, ex tit. 20, lib. 1 Decret.

Porro 1° *mutilatus* ille dicitur, qui aliquo membro aut parte corporis caret habente peculiarem, notabilem, ac ab aliis corporis partibus distinctam et diversam operationem et officium, v. g., lingua, oculo, aure, manu, pede, etc.

Adest autem irregularitas ratione mutilationis 1. quando hæc reddit impossibile exercitium ordinis, vel deformitatem scandalosam inducit, c. 5, tit. 20, lib. 1 Decret. 2. Quando quis sine justa causa seipsum mutilavit aut mutilationem procuravit in quacunque parte corporis, etiamsi pars per se mutilata non induceret irregularitatem, et licet quis ex zelo indiscreto, aut putans obsequium se præstare Deo, semetipsum mutilaverit; et etiam licet abscissio hæc non sit notoria, ex c. 3, 4, 5, *ibid.* Nam in talibus non consideratur defectus, nec culpæ notorietas, sed affectus seu prava voluntas, atque sævitia, qua ausus est sibi vim inferre, can. 4, 6, dist. 55. Unde irregularis non est, qui in infantia sectus est, ex justa morbi causa etiam volens, dummodo exinde exercitium Ordinis non impediatur, nec alia notabilis deformitas consequatur, ex c. 3, 5, tit. 20, *ibid.*, quia cessat unica ratio crudelitatis, quæ obstabat.

2° *Debilitatus* ille est, qui omnibus quidem et singulis membris pollens, eorum tamen aliquod inutile aut insufficiens habet ad functiones aut ministerium, ad quod præstandum a natura est destinatum, v. g., oculus cæcus, auris surda, manus vel pes aridus, etc.

Unde, ratione debilitatis, irregularis est, qui vel omnino impotens est ad celebrandam missam, vel secure et debito

modo celebrare nequit, etsi cæteras functiones sacerdotales et cæterorum ordinum officia perficere valeret. Impeditus enim a celebratione missæ ob aliquem defectum corporis, absolute est irregularis ; et ideo ab omnium ordinum receptione excluditur, eo quod omnes ordines ad Sacerdotium referantur.

3° *Deformis* reputatur, qui habet notabilem maculam aut vitium in membris suis exterioribus, quod conspici nequit absque aliorum indecentia, horrore, scandalo aut risu, ita ut ejus ministerium non sit honorabile ; can. 53, dist. 50.

78. — Ab irregularitate ex defectu corporis solus dispensat S. Pontifex, et quidem nonnisi ex gravissima causa, præsertim ob eminentem scientiam, ob sanctitatem promovendi.

Attamen Episcopus dispensare potest ab irregularitate procedente ex voluntaria abscissione alicujus partis proprii corporis, quando hoc delictum est occultum, nec abscissio executionem ordinis suscipiendi impedit, ex Conc. Trid., sess. 24, c. 6.

Judicio etiam Episcopi relinquitur determinandum in dubio, an defectus corporis aut deformitas sit notabilis, ut exinde sequatur irregularitas, vel modica ; c. 2, tit. 20, lib. 1 Decret ; S. Congr. Conc., 12 jul. 1721.

Si defectus corporis superveniat post Ordines susceptos, non inducitur irregularitas simpliciter, sed tantum quoad illum Ordinis actum, quem ob impedimentum tale sine periculo, vel, ob deformitatem insignem, sine scandalo et irreverentia exercere nequit Ordinatus, c. 2, tit. 6, lib. 3 Decret.; Suarez, *de Censur.*, disput. 51, sect. 2, n. 3.

Ab hoc actu dispensatio a sola S. Sede conceditur ; atque facilius super corporis defectu Sacerdoti jam promoto datur dispensatio, difficilius vero clerico promovendo.

III. — *De Defectu animi.*

79. — Irregularitas inducitur ex defectu rationis, scientiæ, fidei confirmatæ.

1° Ex *defectu rationis* irregulares sunt 1. *amentes habitualiter* ex læsione organorum, non vero ex sola causa transeunte, v. g., febre vehementi, c. 2, dist. 33; 2. *lunatici*, qui per temporum intervalla amittunt usum rationis; 3. *epileptici*, qui caduco morbo vel semel correpti sunt; 4. *arreptitii*, qui a dæmone vexantur.

Hi autem, ex dispositione canonum, repelluntur a susceptione Ordinum, non solum *quandiu* tales sunt, sed etiamsi sanati *videantur*, quia raro aut nunquam constare potest de perfecta sanatione. Quoad tamen *epilepticos*, non adeo concordant auctores; et plures asserunt non permanere irregularitatem in iis, quos, judicio medicorum et post notabile tempus, *moraliter certum est* a morbo convaluisse. Præterea, repelluntur etiam ex exercitio Ordinum susceptorum, nisi ab aliquo tempore, juxta Episcopi arbitrium determinando, liberi fuerint ab ejusmodi defectu, ut colligitur ex c. 3, dist. 33.

2° Ex *defectu scientiæ* irregulares sunt illiterati, durante imperitia, ut patet ex c. 1, dist. 36; et hoc contingit, quando ignorant ea, quorum notititiam sacri Canones requirunt ad susceptionem Ordinum : de quo diximus n. 56.

3° Ex *defectu fidei confirmatæ* irregulares sunt Neophyti, seu recens ad fidem conversi, qui dispensatione Apostolica indigent, ut promoveri possint ad presbyteratum et Episcopatum, ex S. Paulo, I Tim. 3, v. 6, ex Conc. Nicæn. I, can. 2, dist. 48, can. 1, 3. Sed etiam, ex communi canonistarum calculo, et constanti Ecclesiæ praxi, eadem prohibitio extenditur ad quoscumque ordines et ad primam Tonsuram.

Imo praxis est, ut Neophyti, licet non recens conversi, ad Ordines et primam Tonsuram non promoveantur, nec de beneficiis provideantur, nisi obtenta dispensatione a S. Sede. Et hæc dispensatio conceditur prius pro ordinibus minoribus; deinde nova datur dispensatio pro suscipiendis majoribus Ordinibus, et quidem a S. Congr. S. Officii vel Concilii.

Porro baptizati in infantili ætate, v. g., in ætate duorum annorum, licet a Judæis, a Turcis originem duxerint, non

vocantur Neophyti, nec contrahunt irregularitatem, ex decis. S. Congr. Conc.. 13 aug. 1718, 12 mart. 1759. Contrahunt vero irregularitatem, si sint baptizati in ulteriore ætate, v. g., quinque annorum, ex decis. C. Conc., 21 maii 1783.

Filii hæreticorum sunt irregulares, ex tit. 2, c. 11, 15, tit. 11, c. 11, lib. 5, in 6, et quidem per paternam lineam usque ad secundum, et per maternam usque ad primum gradum. Attamen, si pater hæresim ejurasset, filii eo ipso irregularitate solverentur, ex Brevi Clement. VIII, 6 oct. 1593; vide Benedict. XIV, *de Synod.*, lib. 13, c. 24, n. 21. Attamen, in regionibus, in quibus nulla, ob crimen paternum hæresis, infamia contrahitur, liberi hæreticorum non sunt irregulares, juxta Pirhing, Layman Schmalzgrueber, etc., et id videtur admissum in Gallia, Germania, in Statibus Fœderatis Americæ.

Filii Judæorum aliorumque infidelium non sunt irregulares, nisi prò aliquo regno sit specialis exceptio ex voluntate S. Pontificis ; S. Congr. Conc. 13 janv. 1685 ; Benedict. XIV, ibid., lib. 12, c. 1, n. 4; de Angelis, lib. 1, tit. 17, n. 2.

Juxta plures, irregulares sunt, qui sacramento Confirmationis signati non fuerunt, n. 55.

IV. — *De Defectu ætatis.*

80. — *Irregulares sunt, qui non habent ætatem legitimam* jure communi requisitam ad Ordines, ex dictis n. 55 ; nec illa irregularitas tollitur nisi a S. Pontifice, qui vix ad plures quam ad duos annos dispensat, n. 95.

V. — *De Defectu libertatis.*

81. — Defectu libertatis irregulares sunt conjugati, servi ad ratiocinia obligati.

1° *Conjugati* non possunt Ordines suscipere, sine consensu uxoris religionem in Monasterio profitentis, vel saltem, si *maturæ sit ætatis et nulli obnoxia suspicioni,* de licentia Episcopi castitatem in seculo voventis ; unde, si quis conjugatus contra fecerit, suspensus erit ab usu Ordinis

suscepti et a superiorum susceptione, atque ab omni Officio et Beneficio ecclesiastico. Canones supponunt virum ab uxore separatum, initiari sacris Ordinibus in *congregatione regulari;* nisi sit ipse grandævus, et ab omni incontinentiæ suspicione remotus. Quod si abnuat, ad Ordines sacros ascendere in seculo intendens, maxime dubium est an id ipsi concedi possit ab Episcopo. Vide Bened. XIV, *de Synod.* lib. 13, c. 19.

2° *Servi* seu mancipia (gallice, *esclaves*), irregulares sunt durante servitute, et domino expresse vel tacite non consentiente in eorum Ordinationem.

3° Irregulares sunt, qui officiis secularibus ordinis sive militaris, sive judicialis, sive civilis, obligati manent juramento et stipendio, et alii qui ratiociniis reddendis implicantur, ne multæ lites contra clericum admittantur, quæ redundant in infamiam Ecclesiæ, ex tit. 19, lib. 1 Decret. Non exigitur tamen, ut debita solverint, sed hoc maxime optandum est; et, si Episcopus illos ordinaverit invidia, vel in fraudem creditorum, tenetur ipse ex justitia supplere.

Jura loquuntur tantum de obligato ad ratiocinia *non ordinato;* et ideo obligatio ad ratiocinia, si homini jam ordinato superveniat, non inducit irregularitatem.

VI. — *De Defectu famæ.*

82. — *Infamibus portæ non pateant dignitatum*, ex regula juris 87. Triplex est autem infamia, de qua hic agitur, juridica, legalis, popularis.

Juridica, 1. quando inducitur per sententiam judicis sive civilis, sive ecclesiastici, juridice condemnantis reum ad pœnam ex lege civili aut canonica infamantem, quales sunt triremes, exilium, mamellæ publicæ, excommunicatio, depositio, degradatio, etc.; 2. quando reus confitetur crimen coram tribunali; 3. quando adest actus juridicus, qui dat præsumptionem gravem criminis, v. g., citatio juridica, donec suspicione purgetur.

2. *Legalis* seu *Juris*, *ipso facto* et ante sententiam judicis incurrenda, quando adest crimen, cui *per legem* canonicam

adnexa est infamia, atque tale crimen est *publicum* in communitate. Porro crimina, ex jure communi infamantia, sunt sacrilegium, maleficium, perjurium in judicio factum, homicidium, duellum ac ejus patrocinium, incestus, adulterium, sodomia, crimen læsæ majestatis, Cardinalium injuriosa et violenta percussio, lœnocinium, exercitium usurarum, raptus mulierum. Conc. Trid., sess. 24, c. 6, sess. 25, c. 19; cap. *Infames*, 17, q. 1; cap. *Constituimus* 9, caus. 3, q. 5.

3. *Popularis* infamia seu *facti* ea est, quæ oritur ex hominum existimatione ratione peccati ab aliquo commissi, aut vilis artis, quam quis exercuerit.

Porro, sub hoc existimationis respectu, quodvis publicum crimen, de quo non exstat publica emendatio, per se reum constituit indignum ordinibus, et eorum exercitio, et ita, quasi ex jure naturali, exinde oritur aliqualis irregularitas, quæ per rei emendationem tollitur.

Similiter, ex indecentia seu *infamia sine culpa*, quam per se in hominum existimatione inducunt quædam conditiones aut artes, consequitur quædam irregularitas; talis est ars mimorum, histrionum in theatro publico, macellariæ, cloacariæ, funambulariæ, carnificinæ.

83. — Jam vero, irregularitas ex infamia juridica est perpetua, seu non tollitur rei emendatione, nec condonatione pœnæ, nec translatione in alium locum, sed judicialis sententiæ revocatione, qua recognoscatur rei innocentia. Attamen S. Pontifex, etiam remanente sententia juridica, sic irregularem dispensare potest ad ordinum susceptionem.

Non consentiunt auctores de perpetuitate irregularitatis ex legali infamia. Communiter tamen eam affirmant, ita ut tolli non possit illa irregularitas, nisi per S. Pontificis dispensationem. At sæpe requiritur sententia declaratoria, tum ut ille irregularis privetur beneficio, ut dicimus in Institut. canonicis, Tract. 2, n. 77-79; tum quia non semper constat an tali crimini infamia jure adnexa sit, vel an talis adnexio, olim certa, hactenus perduret.

Ex populari infamia irregularitas non repellit a dignitatibus quæsitis, sed habendis; valida tamen esset sine dubio collatio, eo quod illa infamia non inducat irregularitatem proprie legalem seu canonicam; sed, ratione indecentiæ, impedit ne superior licite sic infamato ordines aut dignitates conferat, quandiu in vulgi opinione permanet illa infamatio.

VII. — *De Defectu Sacramenti seu de Bigamia.*

84. — Triplex est Bigamia quæ irregularitatem inducit, realis, interpretativa, similitudinaria.

Realis bigamia est successiva reiteratio matrimonii *legitimi* et *consummati* ex parte viri, sive ante, sive post Baptismum. Talis bigamus est irregularis etiam pro prima Tonsura, ex c. 5, tit. 21, lib. 1. Decret., ex decis. S. Congr. Conc., 28 jan. 1587, ex can. 2, dist. 26, I Tim, c. 3, ỷ 2, 12.

Dicitur autem illa irregularitas esse ex defectu *significationis perfectæ*, quæ inest matrimonio, quatenus signum est conjunctionis Christi per Incarnationem cum Ecclesia, scilicet, *unius cum una*, et *virginis cum virgine*. Aliunde, viri, qui plures uxores successive habuerunt, veniunt in suspicionem, sin incontinentiæ, saltem imperfectæ virtutis; et minus idonei censentur ad suadendam fidelibus praxim consiliorum evangelicorum, de quibus parum solliciti fuerunt, pluries nubendo.

Interpretativa bigamia ea est, qua quis juris fictione seu interpretatione censetur habuisse duas uxores, etsi vere non habuerit. Hoc advenit in triplici casu : 1. si vir matrimonium contrahat et *consummet* cum vidua a priore viro carnaliter cognita, vel cum muliere ab alio corrupta extra matrimonium, can. 6, 7, dist. 12; vel 2. si vir accedat ad uxorem propriam, postquam hæc per adulterium ab alio est corrupta, can. 8, 9, dist. 34; vel 3. si vir iniat successive duo matrimonia ob aliquod impedimentum dirimens de jure invalida, aut unum validum, et alterum invalidum, et utrumque consummet, c. 4, tit. 21, lib. 1 Decret.

Similitudinaria adest bigamia, quando vir post suscep-

tum sacrum ordinem aut editam professionem solemnem in religione approbata, cum unica et virgine matrimonium contrahere attentat et consummat. In hoc enim adest quasi duplex matrimonium, unum spirituale per ordinem sacrum aut professionem solemnem, aliud carnale, in quo, licet irrito, attenditur *affectus intentionis cum opere subsecuto*, c. 5, 7, ibid.; can. 25, caus. 33, q. 1.

Bigamia impedit in illo, qui jam clericus est, etiam exercitium ordinum minorum, ex Conc. Trid., sess. 23, c. 17, et privat jure deferendi Tonsuram, habitum clericalem, et omni privilegio clericali; tit. 12, lib. 1, in 6.

Irregularitas ex illa triplici bigamia tolli nequit nisi a S. Pontifice, ut communiter docent auctores. Insuper irregulares ex bigamia similitudinaria, incurrunt suspensionem, Tract. *de Censuris*, n. 72, *de Matrim.*, n. 192, 193, 215; atque puniuntur tanquam suspecti de hæresi, vel de vehementi, vel de levi, juxta facti circumstantias, De Angelis, lib. 1, tit. 21.

VIII. — *De Defectu lenitatis.*

85. — Ex defectu lenitatis irregulares sunt, qui *directe concurrunt* ad *mortem* vel *mutilationem* hominis, *etsi justam, effectu secuto;* can. 8, dist. 50, can. 2, dist. 51; c. 5, 9, tit. 50, lib. 3, c. 24, tit. 12, lib. 5. Decret.; c. 3, tit. 24, lib. 3, in 6; Conc. Trid., sess. 14, c. 7. Indecens est enim quod ii, qui, quamvis licite, cruentas manus in alieno sanguine immerserunt, ad altaris ministerium accedant, et Agni mansuetissimi incruentam oblationem peragant.

Tres sunt igitur conditiones ad hujusmodi irregularitatem incurrendam. Scilicet, 1. *mors*, vel *mutilatio* hominis, qua, nempe, amputatur pars corporis, a cæteris distinctam habens operationem et officium, v. g., auris, oculus, lingua, manus, nares, pes, etc., ut dictum est n. 77.

2. *Directa efficacia* in illam mortem aut mutilationem. Talis est ex parte militum, qui in bello *offensivo etiam justo*, propria manu occidunt vel mutilant : si bellum non esset justum, incurreretur irregularitas ex delicto; si bellum esset evidenter injustum, et in eo contingerent homicidia;

vel mutilationes, irregulares essent etiam omnes milites, qui in tali bello sanguinem non effunderent, ex communi sententia[1].

Non incurritur autem irregularitas in bello defensivo, nec in repellendo injustam agressionem privatam contra se aut contra proximum, nec in casu fortuito homicidii aut mutilationis, quia in illis casibus non adest directa intentio occidendi aut mutilandi, ex regula : « Quoniam non *tua sponte* id fecisse cognosceris, inde canonice nullomodo judicaris ; » c. 8, dist. 1 ; Benedict. XIV, Instit. 101, n. 9. Decretum autem Conc. Trid., sess. 14, c. 7, significat causam deferendam esse ad Episcopum, ut judicet an, casu occisionis pro justa defensione, quis excesserit limites justæ defensionis, et ideo an indigeat dispensatione. Suarez, *de Censuris*, disput. 44, sect. 2, n. 7 ; ita etiam iteratim S. Congr. Conc.

Adest etiam directa coöperatio in causa sanguinis ex parte judicum, procuratoris, carnificis, satellitum, qui reum ad supplicium ducunt. De aliis non constat ; et ideo non incurrunt irregularitatem denuntiatores, testes, reum apprehendentes, judex *instructionis*, jurati (membres du jury), magistratus curiæ supremæ, decernentes judicium in causa sanguinis latum esse ad præscriptum legis ; legislator, qui leges pœnales et capitales fert contra malefactores in genere ; nec superior, qui tradit clericum degradatum judici seculari ; c. 3, tit. 24, lib. 3, c. 2. tit. 4, lib. 5, in 6.

3. *Justa cooperatio ;* si esset enim injusta, jam non ex defectu lenitatis, sed ex delicto incurreretur irregularitas.

Tandem medicinæ et chirurgicæ exercitium proprie loquendo non constituit irregularem, *dummodo suam ipse artem optime noverit, omnemque diligentiam* ac *studium*, juxta artis præcepta, adhibuerit in ægris curandis ; Benedict. XIV, *de Synod.*, lib. 13, c. 10, n. 4. Attamen, ut ait de Angelis, lib. 1, tit. 17, n. 3, « pravis hodierna tenet ad tollendas

1. Irregularis est clericus, qui inter milites ad pugnandum propria manu processit, quamvis ipse in pugnæ conflictu, neminem occiderit, vel mutilaverit, sed alii tantummodo, ex decis. S. Congr. Conc. 17 feb. 1816.

anxietates promovendorum, et ad sedandos scrupulos aliquorum Episcoporum cautioris conscientiæ, ut impetretur dispensatio ab irregularitate, ad cautelam. Insuper hodierna praxis tenet, ut absque Apostolico Indulto ars medica non valeat a clericis exerceri. »

Cæterum, in præfato defectu lenitatis, agitur de homicidio vel mutilatione post Baptismum commissis.

ARTICULUS III

De Irregularitatibus ex delicto.

Irregularitates ex delicto seu ex culpa propria, n. 72, oritur 1° ex homicidio, 2° mutilatione sui vel alterius, 3° Ordinum illegitima susceptione, indebita usurpatione, indigna administratione contra censuram, 4° ex Baptismo iterato aut ab hæretico suscepto, 5° ex apostasia et hæresi.

I. — *De Delicto ex homicidio.*

86. — *Irregularitas incurritur ex homicidio injusto et culpabili*, ita ut homicidium sit vere patratum, et quidem post Baptismum, et irregularis sit ejus causa efficax et culpabilis; Conc. Trid., sess. 14, c. 7; dist. 50, c. 4, 5, 8; c. 3, tit. 4, lib. 5.

Unde irregulares sunt omnes illi, qui sunt culpabiles homicidii causæ physicæ, vel morales positivæ, illud jubendo, consulendo, approbando, in solidum ei cooperando quocunque modo, vel morales negativæ, illud non impediendo, cum ad id tenentur ex pacto vel officio. Hic proinde non agitur de homicidio mere fortuito et casuali, quod nullatenus est volitum in se, nec in causa, seu quod nec fuit prævisum, nec potuit ac debuit prævideri.

In dubio de efficacitate et culpabilitate in casu homicidii, exstat irregularitas quandiu dubium perseverat, quia ne suspicio quidem tanti facinoris cadere debet in clericum, n. 82, 83.

Quoad irregularitatem ex procuratione abortus, distinguendum est. Scilicet, olim, juxta ipsius medicæ artis principia, probabiliter putabatur fœtum masculinum ani-

mari die 40ª a conceptione, fœmineum autem, die 80ª. Hodie vero, testantibus medicis, communiter creditur quemlibet fœtum animari ab ipsa conceptionis die. Quidquid sit de hac controversia, hæc constant quoad jus canonicum : 1. si agatur de censura, incurritur ex procuratione abortus ab ipsa conceptionis die, ex dictis in Tract. *de Censuris*, n. 73; si vero quæstio sit de irregularitate, incurritur ex procuratione abortus a die 40ª, si de masculo, a die 80ª, si de fæmina agatur, ex decis. S. Pœnitent.; vide S. Ligor., lib. 3, n. 394. Hæc sententia anteponi potest, donec aliter statuat S. Sedes.

87. — Conc. Trid., sess. 23, c. 6, Episcopis concessit potestatem dispensandi super omnibus irregularitatibus ex *delicto occulto* provenientibus, n. 94, excepta tamen ea, quæ ex *voluntario homicidio* oritur, quæ quodammodo est indispensabilis, ex eodem Conc. sess. 14, c. 7.

Attamen in hoc decreto c. 7, Concilium loquitur de homicidio *directe* voluntario, seu *per industriam* et *per insidias commisso;* et ideo, juxta sententiam valde probabilem, ut ait S. Ligor., lib. 7. n. 393-95, Episcopus dispensare potest ab irregularitate ex delicto occulto homicidii indirecte voluntarii, v. g., cum eo, qui mandavit famulo ut tantum percutiat, sed ille casu occiderit; vel cum medico, qui ex gravi negligentia causa fuit mortis alterius; vel cum eo, qui excessit moderamen inculpatæ tutelæ, et occidit injustum agressorem præter intentionem.

II. — *De Delicto mutilationis.*

88. — *Irregularitas incurritur ex culpabili mutilatione sui vel alterius;* c. 6, dist. 55; c. 3, tit. 4, lib. 5; Clement. In jure enim talis mutilatio occisioni æquiparatur quoad irregularitatem.

Hæc autem mutilatio culpabilis duplex esse potest : 1. vel est amputatio partis corporis, quæ a cæteris distinctam habet operationem et officium; uti auris, oculus, lingua, pes, manus, oculus, etc., ita ut exinde oriatur vel impedimentum aut deformitas in ordinis exercitio; 2. vel est

mutilatio in quacunque corporis parte, etiamsi per se non impediat ordinis exercitium, nec inducat deformitatem, nec sit notoria. Porro in utroqne casu adest irregularitas, etiamsi mutilatio sit inculpabilis, ex dictis n. 85; ergo a fortiori, quando fit ex gravi culpa. Suarez, *de Censuris*, disp. 44, sect. 2, n. 6, 10.

III. — *De Delicto illegitimæ susceptionis. usurpationis, exercitii non canonici Ordinum.*

89. — 1° Irregularis est 1. qui ordines *furtive suscipit*, nempe, per dolum se ingerendo ordinandorum numero, v. g., usurpando nomen alterius rite examinati et admissi.

Potest tamen Episcopus eosdem ab hac irregularitate dispensare, atque ad altiores ordines promovere, si Episcopus sub anathematis interminatione non prohibuerit quemquam accedere, nisi sit admissus, atque illi satisfecerint condigna pœnitentia, vel in monasterio aut canonica habitum regularem susceperint, et ibi laudabiliter fuerint conversati; c. 1, tit. 30, lib. 3 Decret.

2. Qui, cum sit uxoratus, etiamsi matrimonium non consummaverit, suscipit aliquem e sacris ordinibus extra casus a jure permissos, n. 81; tit. 6, Extrav. Joan. XXII.

3. Qui ordinati sunt ab Episcopo excommunicato, vel qui suæ dignitati renuntiavit. Episcopus enim renuntiare potest suo muneri, vel insuper suæ dignitati : si prius, potest conferre ordines, rogante Ordinario loci; si posterius, id licite non valet, ex c. 1, tit. 13, lib. 1 Decret.

Qui vero utuntur fraude ad dissimulandum personales defectus, vel qui dimissoriis litteris ex industria compositis, Episcopum decipiunt, et hoc modo ordinationem suscipiunt, peccant quidem graviter, sed non sunt exinde irregulares.

90. — 2° Irregularis est, qui *serio, scienter* et *solemniter* ministrat in ordine *sacro*, quem non habet; c. 1, tit. 28, lib. 5 Decret. Communiter asseritur illud decretum spectare, non laicum, sed solummodo qui jam est clericus. Insuper, quoad usum ordinum *susceptorum* ante illud delic-

tum, vel nulla est irregularitas, sed sola suspensio ab usu Ordinis suscepti, et quidem ad tempus biennii vel triennii, prout voluerit Episcopus, ex c. 2, ibid.; vel, si est irregularitas, concedi potest dispensatio ab Episcopo post biennium, quoad usum susceptorum ordinum; ibid.

In præfatis supponitur exerceri actum proprium ordinis sacri, et eo modo quo, vi ordinis, et juxta disciplinam canonicam, nonnisi ab ordinatis licite potest. Unde non incurrit irregularitatem, qui, in minoribus constitutus, deficiente subdiacono, cantat Epistolam, paratus absque manipulo : quod quidem non licet nisi in casu necessitatis, ex decis. S. Congr. 3 jul. 1698, 18 dec. 1784; nec laicus, qui munere diaconi fungitur vestibus sacris indutus, sed nullatenus functionem ordinis sacri adimplet : hoc tamen nunquam tolerandum est, ex decis. S. Congr. 11 sept. 1847.

Tandem incurritur irregularitas, si in alicujus ordinatione deficiat ritus etiam integralis tantum, et nihilominus exerceatur ille ordo, antequam compleatur ille ritus, v. g., si pontifex omiserit formulam et ritum, quo declarat concedere potestatem remittendi peccata ; licentia enim utendi potestate ordinis non censetur data, nisi adimpleto ritu etiam mere integrali ordinationis. Suarez, *de Censuris*, disp. 42, sect. 4, n. 12.

91. — 3° Irregularis est, qui, *innodatus vinculo excommunicationis aut suspensionis, exercet solemniter*, seu ex officio, *seclusa necessitate, actus proprios Ordinis sacri*, vel qui celebrat *in loco interdicto ;* c. 7, caus. 11, q. 3 ; tit. 27, lib. 5 Decret. ; c. 1, tit. 14, lib. 2, c. 18, 20, tit. 11, lib. 5 in 6. Qui autem violat censuras aliter, quam sacros ordines exercendo, v. g., utendo jurisdictione extrasacramentali, non incurrit irregularitatem ; nec, qui, cum sit ab ordine suspensus, ad superiorem ordinem ascendit ; in hoc enim actu non adest proprie exercitium ordinis jam suscepti ; nec qui perficit ordinis sacri suscepti exercitium a superiore prohibitum sub censura latæ sententiæ ; sed, semel hac censura innodatus, si exerceat, fit irregularis.

IV. — *De Delicto Baptismi suscepti ab hæretico, vel iterati.*

92. — Irregularis est 1° qui *voluntariie* et *extra casum necessitatis*, ab *hæretico* (declarato) *se baptizari sinit ;* c. 10, caus. 1, q. 7. In tali enim susceptione adest quædam participatio aut gravis præsumptio hæreseos.

2° Qui, cum sit valide baptizatus, seipsum *sciens* et *volens, permittit iterum baptizari,* ibid. ; vel *scienter* valide baptizatum *rebaptizat,* aut rebaptizanti ex officio tanquam *acolytus ministrat ;* c. 2, tit. 10, lib. 5 Decret. In decreto supponitur delictum esse publicum.

Multi doctores, contra alios, ab irregularitate excusant, non vero a peccato, qui rebaptizant temere quidem, sed sub conditione, quia canones supponunt rebaptizare *scienter ;* et intendunt excludere errorem rebaptizantium, qui satis excluditur per conditionis oppositionem. Vide Tract. *de Bapt.*, n. 76.

V. — *De Delicto Hæresis.*

93. — Irregulares sunt *hæretici notorii etiam post suam conversionem ad catholicam fidem,* ex jure communi. Idem igitur dicendum est de apostasia, cum hæresim includat. Quidam asserunt hujusmodi irregularitatem in pluribus regionibus hodie non vigere, v. g., in Germania ; vide Schmalzgrueber, tit. de Hæret., n. 108.

De irregularitate pro filiis hæreticorum dictum est, n. 79, ad 3.

ARTICULUS IV

De Irregularitatum cessatione.

In duplici articulo præcedenti indicavimus quomodo cessare possit unaquæque irregularitas sigillatim sumpta. Hic igitur exponendum superest quædam principia circa dispensationes in irregularitatibus, ac modum postulandi et exequendi illas dispensationes. Unde

94. — *Quæritur* 1° quis dispensare possit super irregularitatibus ?

Resp. 1° S. Pontifex, et quidem solus, jure proprio dispensat super omnes irregularitates. Nam ex dictis n. 73, solus S. Pontifex est auctor irregularitatum; ergo solus jure proprio super iisdem dispensare potest.

2° Episcopus, ex jure communi, præter casus, in quibus dispensare potest super aliquibus irregularitatibus, ut suo loco dictum est in duplici articulo præcedenti, dispensare valet etiam in irregularitate ex delicto occulto, ab aliis in casu necessitatis, aut dubii.

Et quidem 1. *in omni irregularitate proveniente ex delicto occulto,* nec ad *forum contentiosum deducto, excepta* ea, quæ oritur *ex homicidio voluntario;* Conc. Trid., sess. 24, c. 6, sess, 14, c. 7. Scilicet,

Ex delicto occulto proveniente. Quandonam delictum sit occultum, uti requiritur in præsenti materia, determinatur in Tract. *de Matrim.*, n. 278. Eadem est enim, respectu notorietatis, solutio pro irregularitate ac pro impedimentis matrimonii.

Nec *ad forum contentiosum deducto.* Delictum enim potest esse occultum, quatenus scitur tantum ab uno aut paucis, et simul jure vel injuria deduci ab his, qui illud cognoscunt, ad forum contentiosum. At, postquam causa delata est ad forum contentiosum, si reus a judice absolvatur, quia nec plene, nec semiplene delictum probari non potuit, videtur profecto delictum manere occultum, ideoque esse per Episcopum dispensabile. Si delictum coram judice semiplene probatum sit, exinde oritur generaliter publica infamia et publica notitia, quæ sufficit ut delictum non maneat occultum, sicut antea erat. Suarez, *de Censuris*, disp. 41, sect. 2, n. 6.

Excepta irregularitate, quæ oritur ex homicidio voluntario, ut explicatum est, n. 87.

2. In casu *necessitatis*, v. g., si irregularitas vergeret in periculum animæ, aut alia urgeret gravissima causa, super irregularitate S. Pontifici reservata dispensare valet Episcopus, ut docent communiter auctores, ait S. Ligor., lib. 7. n. 391.

3. In casu *dubii* sive *juris* seu legis de irregularitate,

sive *facti* seu de comprehensione facti sub illa lege, dispensare potest Episcopus, juxta communissimam sententiam, ait S. Ligor., lib. 1, n. 191, lib. 6, n. 902. Idem verum est in casu dubii de ipsa facultate dispensandi, aut de causa sufficienti ad dispensandum; S. Ligor., lib. 1, n. 192; vide Tract. *de Matrim.*, n. 157; Institut. canonicas, Tract. 1, n. 113; Tract. 2, n. 31, 32; Tract. 4, n. 99 ad 4.

Præfata dispensandi potestas Episcopo competit ratione officii, et ideo est ordinaria, eamque Episcopus delegare potest sive pro casu particulari, sive ad universalitem causarum; *ibid.*, Tract. 4, n. 99. Eadem facultate pollet vicarius Capitularis, sede vacante.

Quoad subjectum illius dispensationis episcopalis, distinguendum est : si agatur de ordinum *susceptione*, jus dispensandi pertinet ad Episcopum, qui est *proprius* ordinandi Episcopus respectu ordinationis, n. 47. Illius enim est judicare an expediat aliquem super irregularitate dispensare, cujus est eumdum suo clero adscribere eique ordinationem conferre. Si vero quæstio sit de ordinum *exercitio*, Episcopus suum subditum, sive intra, sive extra diœcesim versantem, dispensare potest super irregularitate, quæ jurisdictionem extrapœnitentialem spectat. Suarez, *de Censuris*, disput. 41, sect. 2.

Eadem auctoritate pollet Episcopus, saltem probabilius, respectu extraneorum, qui actu morantur in diœcesi, nisi venerint in fraudem legis; Tract. *de Censuris*, n. 25-28.

95. — *Quæritur* 2° quisnam sit modus postulandi et exequendi dispensationem super irregularitabus?

Resp. S. Officium vel S. Congr. Conc. dispensat super irregularitatem ex defectu fidei, n. 79, ad 3 ; S. Pœnitentiaria in irregularitatibus occultis, et etiam cum male promotis, ut omissos ordines possint secrete suscipere, non servatis interstitiis, extra tempora, et absque dimissoriis ; cum promotis ad sacros ordines, qui rei sunt simoniæ cum Episcopo promovente ; demum convalidat titulos beneficiorum cum occulta irregularitate, obtentorum, n, 70, et partem pretii simoniaci condonare potest.

Secretaria Brevium privative dispensat super defectu ætalis tredecim mensium, vel alterius temporis. Demum aliæ dispensationes super irregularitatibus æque conceduntur a Secretaria, aut a Dataria.

In supplicatione exponendum est a quanam irregularitate, et ob quam causam expostulatur dispensatio, et etiam, saltem in genere, vices in quibus eadem irregularitas contracta est, n. 74.

Dispensatio absolute facta, est totalis; sed, etiam in hoc casu, non censetur comprehendere prælaturam majorem, nec officium et beneficium, præsertim cum animarum cura. *In concessione* enim *generali* non veniunt, quæ superior *forte non esset in specie concessurus*, ex regulis juris, 28, 81.

Dataria Rescriptum dispensationis dirigit ad Episcopum aut ad ejus officialem; Pœnitentiaria ordinarie rem demandat Confessario. Attendendum est ad Rescripti tenorem pro ejus executione.

Nulla specialis solemnitas requiritur in executione dispensationis. Attamen confessarius, data absolutione a peccatis, si ea fuerit injuncta, vel sponte petita, hac utitur forma in Rituali Rom. exhibita : *Et eadem auctoritate dispenso tecum super irregularitate* (vel *irregularitatibus*) *quam* (vel *quas*) *incurristi, et habilem te reddo, et restituo te exsecutioni Ordinum et Officiorum in nomine Patris*, etc... Si pœnitens ordine sacro careat, dicendum est : *habilem te reddo ad omnes Ordines suscipiendos.* »

Licet Sacerdos simpliciter approbatus super irregularitate dispensare nequeat, potest tamen a peccatis irregularitatem adnexam habentibus, si illa non sint reservata, absolvere : irregularitas enim ex se non arcet nisi a Sacramento Ordinis. Vide Institut. canonicas, Tract. 3, n. 22, 23, 24. 25; Tract. 2, n. 91-99.

FINIS TRACTATUS DE ORDINE.

TRACTATUS

DE MATRIMONII SACRAMENTO

CONC. TRID. DECLARATIONES, CANONES, DECRETA

DE SACRAMENTO MATRIMONII, *Sess. XXIV.*

1. — Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit : « Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea : quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. »

2. — Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari et conjungi Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba, tanquam a Deo prolata referens dixit : « Itaque jam non sunt duo, sed una caro ; » statimque ejusdem nexus firmitatem, ab Adamo tanto ante pronuntiatam, his verbis confirmavit : « Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. »

3. — Gratiam vero, quæ naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus, venerabilium sacramentorum institutor atque perfector, sua nobis passione promeruit, quod Paulus Apostolus innuit dicens : « Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam ; et seipsum tradidit pro ea ; » mox subjungens : « Sacramentum hoc magnum est : ego autem dico, in Christo et in Ecclesia. »

4. — Cum igitur Matrimonium in Lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratia præstest ; merito inter novæ Legis sacramenta annumerandum, sancti Patres nostri, Concilia et universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt : adversus quam impii homines hujus seculi insanientes, non solum perperam de hoc venerabili sacramento senserunt, sed de more suo prætextu Evangelii, libertatem carnis introdu-

centes multa ab Ecclesiæ catholicæ sensu, et ab Apostolorum temporibus probato consuetudine aliena, scripto et verbo asseruerunt, non sine magna Christi fidelium jactura : quorum temeritati sancta et universalis Synodus cupiens occurrere, ne plures ad se trahat perniciosa eorum contagio exterminandos, duxit, hos in ipsos hæreticos eorumque errores decernens anathematismos.

5. — Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis Evangelicæ sacramentis, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre : anathema sit.

6. — Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum : anathema sit.

7. — Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus qui Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum, et dirimere contractum; nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere ut plures impediant et dirimant : anathema sit.

8. — Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse : anathema sit.

9. — Si quis dixerit, propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi posse Matrimonii vinculum : anathema sit.

10. — Si quis dixerit, Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi , anathema sit.

11. — Si quis dixerit, Ecclesiam errare cum docuit et docet juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi; et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere; mœcharique eum qui, dimissa adultera, aliam duxerit, et eam quæ, dimisso adultero, alii nupserit : anathema sit.

12. — Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad torum, seu quoad

cohabitationem, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit : anathema sit.

13. — Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto; et oppositum nil aliud esse, quam damnare Matrimonium, posseque omnes contrahere Matrimonium qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum : anathema sit : cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus, tentari.

15. — Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel cælibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cælibatu, quam jungi Matrimonio : anathema sit.

16. — Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab ethnicorum superstitione profectam, aut benedictiones et alias cæremonias quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit : anathema sit.

17. — Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos : anathema sit.

DECRETUM DE REFORMATIONE MATRIMONII

CAP. 1. *Matrimonii solemniter contrahendi forma in Concilio Lateranensi præscripta innovatur : quoad proclamationes dispensare possit Episcopus. Qui aliter quam præsentibus Parocho et duobus vel tribus testibus contrahit, nihil agit.*

18. — Tametsi dubitandum non est clandestina Matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse Matrimonia, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit, et proinde jure damnandi sint illi, ut eos sancta Synodus anathema damnat, qui ea vera ac rata esse negant, quique falso affirmant Matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse; nihilominus sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit.

19. — Verum, cum sancta Synodus animadvertat prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non pro-

desse: et gravia peccata perpendat, quæ ex eisdem clandestinis conjugiis ortum habent; præsertim vero eorum qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, et cum ea in perpetuo adulterio vivunt : cui malo cum ab Ecclesia, quæ de occultis non judicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur; idcirco sacri Lateranensis Concilii, sub Innocentio III celebrati, vestigiis inhærendo, præcipit ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuntietur inter quos matrimonium sit contrahendum.

20. — Quibus denuntiationibus factis, si nullam legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur, ubi Parochus, viro et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: *Ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti :* vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum.

21. — Quod si aliquando probabilis fuerit suscipio matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes; tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel saltem Parocho et duobus vel tribus testibus præsentibus Matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant; ut, si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur : nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit ut prædictæ denuntiationes remittantur; quod illius prudentiæ et judicio sancta Synodus relinquit.

22. — Qui aliter quam præsente Parocho vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus, Matrimonium contrahere attentabunt; eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit et annullat. Insuper Parochum, vel alium Sacerdotem, qui cum minore testium numero, et testes qui sine Parocho vel Sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes, graviter arbitrio Ordinarii puniri præcipit. Præterea eadem sancta Synodus hortatur ut conjuges ante benedictionem Sacerdotalem in

templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent; statuitque benedictionem a proprio Parocho fieri; neque a quoquam, nisi ab ipso Parocho, vel ab Ordinario, licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alii Sacerdoti concedi posse; quacunque consuetudine, etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda est, vel privilegio non obstante. Quod si quis Parochus, vel alius Sacerdos, sive regularis sive secularis sit, etiam si id sibi ex privilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponsos sine illorum Parochi licentia Matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tandiu suspensus maneat, quandiu ab Ordinario ejus Parochi, qui Matrimonia interesse debebat seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. Habeat Parochus librum in quo conjungum et testium nomina, diemque et locum contracti Matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat.

23. — Postremo sancta Synodus conjuges hortatur ut antequam contrahant, vel saltem triduo ante Matrimonii consummationem, sua peccata diligenter confiteantur, et ad sanctissimum Eucharistiæ sacramentum pie accedant. Si quæ provinciæ aliis, ultra prædicta, laudabilibus consuetudinibus et cæremoniis hanc in re utuntur, eas omnino retinere sancta Synodus vehementer optat.

24. — Ne vero hæc tum salubria præcepta quemquam lateant, Ordinariis omnibus præcipit ut, cum primum potuerint, curent hoc decretum populo publicari ac explicari in singulis suarum diœceseon parochialibus ecclesiis, idque in primo anno quam sæpissime fiat, deinde vero quoties expedire viderint. Decernit insuper ut hujusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post tringinia dies habere incipiat, a die primæ publicationis, in eadem parochia factæ, numerando.

CAP. 2. *Inter quos cognatio spiritualis contrahatur.*

25. — Docet experientia propter multitudinem prohibitionum multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi Matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque sancta Synodus huic incommodo providere, et a cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit ut unus tantum, sive vir, sive mulier, juxta sacrorum Canonum instituta vel ad summum unus et una baptizatum de Baptismo suscipiant;

inter quos ac baptizatum ipsum, et illius patrem et matrem, nec non inter baptizantem et baptizatum baptizatique patrem ac matrem tantum, spiritualis cognatio contrahatur. Parochus, antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis ad quos spectabit, sciscitetur, quem vel vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant : et eum vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat; et in libro eorum nomina describat; doceatque eos quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excusari valeant. Quod si alii, ultra designatos, baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant, Constitutionibus in contrarium facientibus, non obstantibus. Si Parochi culpa vel negligentia secus factum fuerit, arbitrio Ordinarii puniatur. Ea quoque cognatio quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem et confirmatum, illiusque patrem et matrem ac tenentem non egrediatur : omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.

Cap. 3. *Publicæ honestatis impedimentum certis limitibus coarctatur.*

26. — Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacunque ratione valida non erunt, sancta Synodus prorsus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant : quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari.

Cap 4. *Affinitas ex fornicatione ad secundum gradum restringitur.*

27. — Præterea sancta Synodus, eisdem et aliis gravissimis de causis adducta, impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, et matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum qui in primo et secundo gradu conjunguntur, restringit. In ulterioribus vero gradibus statuit, hujusmodi affinitatem matrimonium postea contractum non dirimere.

Cap. 5. *Ne quis intra gradus prohibitos contrahat; quave ratione in illis dispensandum.*

28. — Si quis intra gradus probibitos scienter Matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, et spe dispensationis consequendæ careat : idque in eo multo magis locum habeat qui non tantum Matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. Quod si ignoranter id fecerit, si quidem

solemnitates requisitas in contrahendo Matrimonio neglexerit, eisdem subjiciatur pœnis. Non enim dignus est qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cujus salubria præcepta temere contempsit. Si vero, solemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit; tunc facilius cum eo, et gratis dispensari poterit. In contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque ex causa, et gratis concedatur. In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos principes, et ob publicam causam.

CAP. 6. *In raptores animadvertitur.*

29. — Decernit sancta Synodus, inter raptorem et raptam, quandiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere Matrimonium. Quod si rapta a raptore separata, et in loco tuto et libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat; et nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, et favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; et si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam sive eam uxorem duxerit sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare.

CAP. 7. *Vagi caute Matrimonio jungendi.*

30. — Multi sunt qui vagantur et incertas habent sedes, et ut improbi sunt ingenii, prima uxore relicta, et aliam et plerumque plures, illa vivente, diversis in locis ducunt. Cui morbo cupiens sancta Synodus occurrere, omnes ad quos spectat paterne monet, ne hoc genus hominum vagantium ad Matrimonium facile recipiant; magistratus etiam seculares hortatur, ut eos severe coerceant. Parochis autem præcipit ne illorum Matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.

CAP. 8. *Concubinatus pœnis gravissimis punitur.*

31. — Grave peccatum est homines solutos concubinas habere; gravissimum vero, et in hujus magni sacramenti singularem contemptum admissum, uxoratos quoque in hoc damnationis statu vivere, ac audere eas quandoque domi, etiam cum uxoribus alere et retinere. Quare, ut huic tanto malo sancta Synodus opportunis remediis provideat, statuit, hujus-

modi concubinarios, tam solutos quam uxoratos, cujuscunque status, dignitatis, et conditionis existant, si, postquam ab Ordinario, etiam ex officio, ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non ejecerint, seque ab earum consuetudine non sejunxerint, excommunicatione feriendos esse; a qua non absolvantur, donec reipsa admonitioni factæ paruerint. Quod si in concubinatu per annum, censuris neglectis, permanserint, contra eos ab Ordinario severe pro qualitate criminis procedatur. Mulieres, sive conjugatæ sive solutæ, quæ cum adulteris seu concubinariis publice vivunt, si ter admonitæ non paruerint, ab Ordinariis locorum nullo etiam requirente, ex officio graviter pro modo culpæ puniantur; et extra oppidum, vel diœcesim, si id eisdem Ordinariis videbitur, invocato, si opus fuerit, brachio seculari, ejiciantur; aliis pœnis contra adulteros et concubinarios inflictis, in suo robore permanentibus.

CAP. 9. *Ne domini temporales aut magistratus quidpiam libertati Matrimonii contrarium moliantur.*

32. — Ita plerumque temporalium dominorum ac magistratuum mentis oculos terreni affectus atque cupiditates excæcant, ut viros et mulieres sub eorum jurisdictione degentes, maxime divites, vel spem magnæ hæreditatis habentes, minis et pœnis adigant cum iis matrimonium invitos contrahere, quos ipsi domini vel Magistratus illis præscripserint.

Quare cum maxime nefarium sit Matrimonii libertatem violare, et ab eis injurias nasci a quibus jura spectantur, præcipit sancta Synodus omnibus, cujuscunque gradus dignitatis et conditionis existant, sub anathematis pœna quam ipso facto incurrant, ne, quovis modo, directe vel indirecte, subditos suos, vel quoscunque alios cogant, quo minus libere Matrimonia contrahant.

CAP 10. *Nuptiarum solemnitates certis temporibus prohibentur.*

33. — Ab Adventu Domini nostri Jesu Christi usque in diem Epiphaniæ, et a feria quarta Cinerum usque in octavam Paschalis inclusive, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari sancta Synodus præcipit; in aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittit : quas Episcopi, ut ea qua decet modestia et honestate fiant, curabunt : sancta enim res est Matrimonium, et sancte tractandum.

OBJECTUM, UTILITAS ET DIVISIO TRACTATUS

34. — In præcedenti Tractatu, actum est de Sacramento, quo constituuntur et sanctificantur ipsi Dei cooperatores ad vitam supernaturalem in animabus infundendam. Nunc vero agendum superest de Sacramento, quo constituuntur et sanctificantur Dei cooperatores ad ipsius vitæ humanæ constitutionem seu hominum procreationem, et secundum regulas juris naturalis, divini et ecclesiastici institutionem.

Nec sane parva est hujusce Tractationis utilitas : siquidem salus cujusque, imo societas tum civilis, tum ecclesiastica nititur in hominum convenienti procreatione et informatione per concursum patris et matris, ac proinde in utriusque sanctificatione ad tanta officia fideliter obeunda.

Quare et ipse Christus nuptiarum celebritatem sua præsentia honestare voluit, atque S. Petrus et S. Paulus quæ non solum ad dignitatem, sed etiam ad officia Matrimonii pertinebant, pluribus locis accurate scripta reliquerunt. « Divino enim Spiritu afflati, optime intelligebant quanta et quam multa commoda ad Christianam societatem pervenire possent, si fideles Matrimonii sanctitatem cognitam haberent, et inviolatam servarent : contra vero, ea ignorata, vel neglecta, plurimas maximasque calamitates et detrimenta in Ecclesia importari. » Catech. Rom.

Quinque erunt capita, scilicet, de Sacramenti Matrimonii 1° notione, existentia et necessitate ; 2° materia et forma ; 3° ministro ; 4° effectibus ; 5° subjecto et subjecti conditionibus [1].

1. Circa Tract. *de Matrimonii sacramento* consuli possunt, Sanchez, qui præ cæteris abunde de hac materia disserit ; Carrière, qui inter recentiores præcellit : legendus est tamen cum emendationibus in ultima editione insertis ; Habert, Billuart, P. Perrone, Theologia Nanceinensis, Theologia Wirceburgensis, Téphany, *Traité des dispenses ;* Cadet, *Le Mariage en France*.

CAPUT PRIMUM

DE NOTIONE, EXISTENTIA ET NECESSITATE SACRAMENTI MATRIMONII

ARTICULUS PRIMUS

De notione Sacramenti Matrimonii.

35. — *Quæritur* 1° quid sit Matrimonium quoad *nomen?*

Resp. Matrimonium secundum diversas considerationes varia sortitur nomina. Scilicet, ratione *essentiæ* seu conjunctionis maris et feminæ, dicitur *conjugium*, quasi junctio duorum sub uno jugo, unde et *conjuges*.

Ratione *causæ*, quæ est desponsatio seu contractus solemnitas, vocatur *connubium*, *nuptiæ*, a verbo *nubo* seu *velo*, quia in ipsa solemnitate desponsationis olim capita nubentium velamine obnubebantur in signum pudoris et modestiæ, quam inter se servare debent; sic Rebecca, videns virum suum Isaac deambulantem, obviam ei veniens, caput suum velavit; Gen. 24, ℣ 65.

Ratione *effectus*, seu prolis, vocatur *matrimonium* quasi *matris munium*, quia ut ait S. August. *contra Faustum*, lib. 19, c. 26, « non ob aliud debet femina nubere, (saltem ordinarie), quam ut mater fiat. » Potius autem dicitur matrimonium a matre, quam patrimonium a patre, tum quia, ut ait Gregorius IX, licet pater sit sexu dignior, matri tamen fœtus est ante partum onerosus, dolorosus in partu, post partum laboriosus; maxime enim illi cura prolis incumbit; tum quia prolis certa mater est, non semper certus pater.

Tandem quatenus est *signum* efficax gratiæ ad conjunctionem viri et mulieris sanctificandum, hæc eadem conjunctio dicitur *sacramentum Matrimonii*.

36. — *Quæritur* 2° quid sit Matrimonium quoad *rem?*

Resp. Matrimonium spectari potest vel ut contractus, vel ut sacramentum.

Quatenus *contractus*, Matrimonium definitur : *Conjunctio*

legitima viri et mulieris mutuum et perpetum jus ipsis *conferens sive in corpora in ordine ad actus de se aptos ad generationem prolis, sive in communis vitæ officia.*

Dicitur 1 : *conjunctio*, qua voce duo significantur, nempe, tum *consensus* quo vir et mulier sese mutuo tradunt et accipiunt, et tunc vox *conjunctio* sumitur in sensu *activo*, atque designat matrimonium *in fieri*; tum *vinculum* permanens, quod ex illo consensu traseunte resultat, et tunc vox *conjunctio* sumitur in sensu *passivo*, atque exprimit matrimonium *in facto esse*. Quare vox hujusmodi potius adhibetur, quam vox *contractus*, cui uterque ille sensus non ita facile aptatur.

Dicitur 2 : *legitima*, id est, inita juxta leges, quibus hujusmodi conjunctio regi debet, et quas in hocce Tractatu exponendas habemus. In hoc conjunctio matrimonialis differt a conjunctione per fornicationem aut adulterium.

Dicitur 3 : *viri et mulieris*, quibus indicatur matrimonii subjectum, ad quod, propter ejus finem primarium, requiritur sexuum diversitas.

Dicitur 4 : *mutuum et perpetuum jus ipsis conferens sive in corpora in ordine ad actus de se aptos ad generationem prolis*; quibus significantur sive primarium objectum et primarius finis illius conjunctionis, scilicet, generatio prolis; sive secundarius finis ejusdem conjunctionis, nempe, remedium concupiscentiæ, quando per illos actus generatio prolis per accidens obtineri nequit; sive obligationes ex hoc duplici fine et illo objecto consequentes, atque ideo specifica distinctio conjunctionis matrimonialis a qualibet alia.

Dicitur 5 : *sive in communis vitæ officia*; in his innuuntur secundarium objectum et alius secundarius finis Matrimonii, atque etiam obligationes reciprocæ ex hoc fine et illo objecto defluentes.

37. — Quatenus autem *Sacramentum*, Matrimonium definitur : *Conjunctio matrimonialis ex Christi institutione significans unionem Christi cum Ecclesia, et gratiam conferens conjugibus, ad Matrimonii officia christiane adimplenda.*

Dicitur 1 : *conjunctio matrimonialis;* quæ est ipsum signum sensibile, quo constituitur Sacramentum, de quo agimus; et ideo Sacramentum Matrimonii præsupponit illa omnia quæ requiruntur ad Matrimonium quatenus est contractus.

Dicitur 2 : *ex Christi institutione;* quibus indicatur conjunctionem matrimonialem non esse signum efficax alicujus rei sacræ nisi a promulgatione novæ legis.

Dicitur 3 : *significans unionem Christi cum Ecclesia;* in his exprimitur objectum primarium conjunctionis matrimonialis quatenus est signum rei sacræ. Scilicet, duplex est unio Christi cum Ecclesia, alia *physica* per unionem hypostaticam Verbi cum natura humana, alia *moralis* per charitatem ex jugi gratiæ influxu. Propter duplicem hujusmodi unionem Filius Dei reliquit quodammodo Patrem cœlestem et matrem Synagogam, et factus est cum Ecclesia una caro, unus spiritus, ut per eam procreet gratiæ filios : porro conjunctio matrimonialis, propter quam homo patrem et matrem suam relinquit, ut uxori suæ adhæreat, et per eam procreet filios, signum est, ex institutione Christi, tum illius unionis Christi cum Ecclesia, tum consequenter gratiæ qua perficitur hujusmodi unio, tum proinde gratiæ qua, ad similitudinem ejusdem unionis, christiane perficitur unio matrimonialis.

Dicitur 4 : *et gratiam conferens conjugibus ad Matrimonii officia christiane adimplenda;* quibus significatur effectus seu gratia huic Sacramento propria ; atque subjectum sive gratiæ, sive Sacramenti, scilicet, uterque conjux.

38. — *Quæritur* 3° quotuplex sit matrimonium?

Resp. Triplex est matrimonium, nempe, mere legitimum, ratum, consummatum.

Mere legitimum illud est, quod secundum leges celebratum est, ibi præcice sistendo, atque ideo mere contractus est, non autem sacramentum. Tale fuit in lege naturæ et mosaica; atque tale etiam nunc initur inter infideles.

Ratum est illud, quod juxta legem christianam et ecclesiasticam initur, atque est non solum contractus, sed etiam

sacramentum; unde *ratum* dicitur, quia fit approbante Ecclesia, atque majorem firmitatem et indissolubilitatem obtinet. Aliquando tamen ratum minus proprie nuncupatur Matrimonium non consummatum etiam invalidum, modo non sit invalidum defectu consensus.

Consummatum est Matrimonium sive legitimum, sive ratum, quod per usum completur; si sit ratum quod consummatur, nunquam dissolvi potest.

ARTICULUS II

De existentia Sacramenti Matrimonii.

Matrimonium esse novæ legis sacramentum negarunt ii omnes, qui illud ut malum et inhonestum habuerunt, n. 86, et etiam Protestantes, cum rejiciant verum omne sacramentum per se gratiæ productivum.

PROPOSITIO

39. — *Matrimonium, juxta legem Christi celebratum a Christianis, est Sacramentum novæ legis*. De fide est.

Prob. 1° *Script.* Etenim S. Paulus, Eph. 5, ỷ 23 et seq., postquam gravissimis verbis exposuerit dignitatem unionis matrimonialis inter christianos mutuaque conjugum officia, quæ assimilat relationibus Christi cum ejus sponsa Ecclesia, addit : « Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. *Sacramentum hoc magnum est*, ego autem dico, *in Christo et in Ecclesia.* »

Unde sic : ad sacramentum novæ legis, ex dictis in Tract. *de Sacram. in genere*, n. 19, tria requiruntur et sufficiunt, scilicet, ut sit signum rei sacræ, gratiæ sanctificantis productivum, a Christo permanenter institutum : atqui hæc tria de matrimonio novæ legis inter christianos innuuntur in laudato Apostoli textu.

Et quidem 1. matrimonium est *signum rei sacræ*. Dicitur enim *sacramentum* in Christo et in Ecclesia, id est, ut legitur in græco textu, *in Christum* et *in Ecclesiam*, utpote quod refertur ad Christum et Ecclesiam tanquam ad terminum et rem significatam. Per hoc enim quod homo, relic-

tis parentibus, adhæret uxori suæ, et cum ea una caro efficitur, mystice significatur Filium Dei e sinu Patris ac quasi relicto Patre in terras descendisse, ut Ecclesiæ conjungeretur, unumque cum ea corpus per incarnationem et charitatem efficeretur, ut dictum est n. 37, ad 3.

2. *Gratiæ sanctificantis productivum.* Namque sine illa gratia conjunctio matrimonialis perfici nequit charitate, unitate et indissolubilitate, nec ideo esse signum et quidem magnum unionis charitate, unitate et indissolubilitate perfectæ inter Christum et Ecclesiam. Et profecto, si matrimonium esset signum vacuum et inefficax, non adeo magnificis verbis a S. Paulo extolleretur. Quare Conc. Trid., n. 3, declarat S. Paulum in præfato textu innuere meritum passionis Christi in matrimonium novæ legis derivari, ut perficiatur unitate, indissolubilitate et sanctitate, sicque fiat signum unionis Christi cum Ecclesia.

3. *A Christo permanenter institutum.* A *Christo* quidem, qui solus potest conferre conjunctioni matrimoniali vim gratiam producendi; *permanenter* etiam, eo quod S. Paulus de hujusmodi signo loquitur non uti transitorio, sed tanquam ipsi matrimonio inter Christianos sub nova lege inhærenti. Ergo in verbis, de quibus agitur, S. Paulus innuit matrimonium juxta legem Christi celebratum esse novæ legis sacramentum.

Dixi : *innuit*, tum quia hoc verbo utitur Conc. Trid., n. 3; tum quia ex S. Paulo constat sane conjuges indigere maxima gratia, sed non concluditur rigorose eam ipsis conferri vi matrimonii; tum quia satis difficile esset invicte adstruere quod verba Apostoli non respiciant etiam matrimonia ante Christum, quæ tamen non erant vere sacramenta.

2° *Traditione.* SS. Patres eodem modo locuti sunt de Matrimonio, ac de aliis sacramentis : « Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus Matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et *obsignat benedictio*, Angeli renuntiant, Pater cœlestis *ratum habet*. » Tertull., *ad Uxor.*, lib. II.

« Ipse Christus invitatus (ad nuptias) venit, ut genera-

tionis humanæ principium *sanctificaret*, quod ad carnem nimirum attinet. Conveniebat enim ut, qui naturam hominis renovaturus erat..., non solum iis, qui jam in ortum vocati erant, *benedictionem* impertiretur, sed iis quoque qui *postea nascituri essent*, gratiam *præstrueret*, et eorum *ortum sanctum* efficeret. » S. Cyrill. Alex. in Joan. I.

« In christianorum nuptiis plus valet sanctitas *sacramenti*, quam fecunditas uteri... Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque homines in causa generandi est, et in fide castitatis. Quod autem ad *populum Dei pertinet*, etiam in *sanctitate sacramenti*, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere, dum vir ejus vivit. » S. August., *de Bono conjugali*.

Idem credit Ecclesia sive Græca, sive Latina, atque declaratum est in Concil. Later. III, Constantiensi, et definitum a Conc. Flor. et Trid., quod sic se habet, n. 5 : « Si quis dixerit *Matrimonium* non esse *vere et proprie unum* ex septem legis evangelicæ *Sacramentis*, a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, *neque gratiam conferre* : anathema sit. »

3° *Ration. theol.* 1. Christus, ex dicendis, voluit Matrimonium inter Christianos esse unius viri cum una muliere et indissolubiliter : porro ad hujusmodi unitatem et indissolubilitatem necessaria erat specialis gratia, siquidem nec sub lege naturæ et mosaica, nec apud quemlibet populum legi christianæ extraneum, iniri aut permanere potuit Matrimonium unum et indissolubile ; ergo conjunctioni matrimoniali inter Christianos annexa est gratia specialis ad talis unionis onera a conjugibus sustinenda[1].

2. Sacramenta novæ legis instituta sunt vel ad perficiendum hominem ad cultum Dei secundum Religionem vitæ

1. « Quand on considèrera que Jésus-Christ a donné une nouvelle forme au Mariage, en réduisant cette société à *deux* personnes *immuablement* et *indissolublement* unies, et quand on verra que cette inséparable union est le signe de son union éternelle avec l'Eglise, on n'aura pas de peine à comprendre que le mariage des fidèles est accompagné du Saint-Esprit et de la grâce ; et on louera la bonté divine de ce qu'il lui a plu de consacrer de cette sorte la source de notre naissance. » Bossuet, *Exposition*, etc., n. 9.

Christianæ, vel in remedium contra defectum peccati : atqui, inter defectus peccati originalis, in primis est concupiscentia carnis, tum quia vitiat non solum personam, sed etiam naturam, tum quia, ob ejus vehementiam, rationem absorbet ; ergo contra illam concupiscentiam opportuit specialiter remedium adhiberi per aliquod sacramentum. S. Th., 3 p., q. 65, a. 1, ad 5.

3. Parentes, christiane procreando, nutriendo et disciplinando prolem, sunt Christi cooperatores in ordine naturali et supernaturali : atqui Sacerdotes, eo quod sint Christi coadjutores, per aliquod sacramentum cum Christo conjunguntur in ministerium supernaturale ; ergo similiter conveniens fuit parentes per aliud sacramentum cum Christo conjungi in ministerium aliquo modo vere supernaturale et gravissimi momenti pro animarum salute.

40. — *Quæritur* 1° an Sacramentum Matrimonii consistat in actu transeunte, quo vir et mulier sese mutuo tradunt, an vero in statu permanente seu vinculo, quod ex illo actu resultat, n. 36?

Resp. Juxta Bellarm., Sacramentum Matrimonii simile est Eucharistiæ, quæ non solum dum fit, sed etiam dum *permanet*, sacramentum est. Alii vero longe communius docent sacramentum consistere in *actu transeunte*, scilicet, in ipsa celebratione contractus, ut mox dicetur : et solam Eucharistiam esse sacramentum permanens, quia ex usu suo et applicatione sanctificat : quod non occurrit in aliis sacramentis. Sed nihil obstat quod dicatur Matrimonium in facto esse sacramentum latiori sensu, quatenus scilicet repræsentat permanentem unionem Christi cum Ecclesia.

41. — *Quæritur* 2° quandonam Christus instituerit hoc sacramentum ?

Resp. Incertum est. Quidam assignant nuptias in Cana Galilææ, quando eis Christus benedixit, et eas sua præsentia ac insigni miraculo honestavit ; idque innuunt SS. Cyrillus, Epiphanius et August.

Alii dicunt institutum fuisse quando Christus, Matth. 19,

abrogata lege repudii, Matrimonium ad suam primam indissolubilitatem revocavit, dicendo : *Quod Deus conjunxit, homo non separet;* et revera, ut vidimus, n. 39, talis indissolubilitas imponi non potuit, absque certa majoris gratiæ promissione.

Alii tandem institutum existimant post resurrectionem, intra illos quadraginta dies, quibus Christus frequenter de regno Dei cum Apostolis loquebatur.

42. — *Quæritur* 3° in quonam novæ legis matrimonium quatenus ritus sacer discrepet a matrimonio in statu naturæ innocentis, sub lege naturæ, mosaica, et apud infideles inito?

Resp. 1° Matrimonium Adæ cum Eva fuit speciali modo signum futuræ unionis inter Christum et Ecclesiam, tum quia illud matrimonium initum fuit et permansit unum et indissolubile; tum quia Adam sopore correptus repræsentabat Christum in cruce dormientem; Eva autem ædificata ex Adæ dormientis costa, significabat Ecclesiam ex Christi in cruce dormientis latere manantem. Propterea et Ecclesiam indigitabat protoparens his verbis, Gen. 2, ℣ 23 : *Hoc nunc os ex ossibus meis,* etc., ut innuit S. Paulus, Eph. 5, ℣ 32, asserunt SS. Patres, atque docet Conc. Trid., n. 3.

Similiter sub lege naturæ et scripta, et etiam apud infideles, matrimonium signum fuit ac symbolum futuræ unionis Christi cum Ecclesia. At, cum sub lege naturæ, saltem post diluvium, sub lege mosaica et apud infideles fere omnes invaluerint polygamia et divortium, idcirco matrimonium jam evaserat signum futuræ unionis Christi cum Ecclesia valde imperfectum, atque adeo ab ejus primæva honestate, decore ac significatione deciderat.

2° Nec unquam ante Christum matrimonium fuit sacramentum etiam ad sensum veteris legis. Etenim ad verum Sacramentum duo, inter cætera, in primis requiruntur, ex dictis in Tract. *de Sacram. in genere,* n. 18, 21, 22, scilicet, 1. ut sit signum sacrum, cujus usus sit religiosus et cæremonia sacra seu pars cultus divini; 2. ut sit efficax alicujus sanctitatis saltem exterioris seu legalis : porro, ante Christi adventum, matrimonium non erat cæremonia sacra

seu religiosa quædam professio, per quam nubentes sanctificarentur, quemadmodum sanctificabantur per sacrificia, per circumcisionem, esum agni pascalis, etc.; et ideo non erat sacramentum etiam ad veteris legis sensum.

3° Attamen inesse Matrimonio præter humanum contractum, aliquid divini, quod ad religionem certo quodam ritu pertineat, vel ipsi infideles agnovisse videntur, qui non sine sacrificiis, ac religiosis cæremoniis nuptias celebrabant, ut infra dicemus, n. 82; et ob eam rem vagos concubitus a naturæ lege alienos esse, itemque stupra et alia libidinis genera vindicanda esse judicabant. Revera, divinum prorsus est opus procreatio filiorum, in qua non solum ex corpore vivente generatur corpus vivens, sed etiam e nihilo educitur anima, quæ, Deo ipso operante, hypostatice cum illo corpore unitur, ut hoc modo efformetur persona humana.

Præterea, cum promissionem accepissent Judæi fore aliquando, ut omnes gentes in semine Abrahæ benedicerentur, magnæ apud eos pietatis officium merito esse videbatur filios procreare, et electi populi sobolem, ex qua Christus Dominus, salvator noster, ortum habiturus erat, propagare; et exinde profecto matrimonia apud Judæos majori sanctitate prædita fuerunt.

Sub lege autem nova, Matrimonium christianorum habet, ex ipsa institutione Christi, quod significet unionem Christi cum Ecclesia non ut futuram, sed uti jam peractam et indissolubilem.

Proinde Christus, ut Matrimonio christianorum conferret perfectam primævam significationem, in pristinam unitatem et indissolubilitatem illud restituit.

Tandem, ut sacratiorem faceret Matrimonii significationem, ejusque unitatem et indissolubilitatem plane firmaret, Christus hujusmodi conjunctionem ad sacramenti dignitatem evexit, ita ut gratia sanctificans derivaretur in conjuges per ipsam Matrimonialem conjunctionem, ad hujus unitatem indissolubilitatemque efficaciter servandam et consecrandam, indeque *honorabile in omnibus*, factum est *connubium, et torus immaculatus*; Hebr, 13, ỳ 4.

43. — *Obj.* 1° In textu allato S. Pauli, n. 39, agitur tantum de Matrimonio Adæ cum Eva, vel ad summum de Matrimonio ante adventum Christi, ut patet ex verbis Adæ quæ referuntur, Eph. 5, ỳ 30, 31; ergo ex illo textu probari nequit Matrimonium esse novæ legis sacramentum.

Resp. Nego anteced. Etenim Apostolus in illo textu meminit Matrimonii Adæ tanquam præcipuæ figuræ Matrimonii Christianorum; laudat quæ cecinit protoparens in gratiam sacramenti Matrimonii, docetque ea in Christo fuisse impleta; et ideo non loquitur de Matrimonio Adami nisi ad explanandam ex hac figura rem significatam seu Matrimonium Christianorum, quemadmodum Christus per serpentem æneum a Moyse in deserto erectum, suæ passionis mysterium probavit.

2. Si attendatur tota series textus apostolici, agnoscetur non spectare in tota sua extensione nisi Matrimonium Christianorum; siquidem soli conjuges christiani possunt ope divinæ gratiæ mutuo conjungi per unitatem, indissolubilitatem et charitatem, quam tantopere commendat Apostolus.

44. — *Obj.* 2° Matrimonium est signum vacuum, cum, posito quod significet unionem Christi cum Ecclesia, sane hanc unionem non producit.

Exstant alia signa illius unionis, quin tamen dici possint sacramenta.

Conjugii opus tale est, ut mentem a Deo avocet, neque in ejus essentia Spiritus Sanctus adesse potest. Ergo Matrimonium non est novæ legis sacramentum.

Resp. Ad 1um : *disting.* « Matrimonium a Christo electum est ad ejus unionem cum Ecclesia significandam, *conc.*; ad eam efficiendam, *nego.* Sic Eucharistia intituta est ad repræsentandam Christi passionem, quin tamen eam efficiat. Sed eo quod conjugium non causet unionem Christi cum Ecclesia, non sequitur quod non producat ex opere operato gratiam talis conjunctionis similitudini accomodatam.

Ad 2um : *nego paritatem.* Institutio enim Sacramentorum omnino pendet a voluntate Christi, et ideo licet alia essent signa unionis Christi cum Ecclesia, eo ipso non instituerentur ut sacramenta. Cæterum ex omnibus humanis necessitudinibus, nulla inter homines magis quam Matrimonii vinculum constringit, et ideo nulla adeo apta est ad significandam arctissimam unionem, quæ Christo cum Ecclesia intercedit.

Ad 3um : *nego.* Opus enim conjugii est per se honestum at

meritorium, ut infra dicetur. Cæterum, exstat Matrimonium absque ejus usu.

ARTICULUS III

De necessitate Sacramenti Matrimonii ad existentiam ipsius contractus.

45. — Hic non agitur de necessitate Matrimonii quatenus est contractus; patet enim Matrimonium esse in ipsa hominis natura fundatum, atque ad generis humani propagationem de facto omnino necessarium; propterea dicitur *officium*, non quidem cujusque individui humani, sed *naturæ humanæ*. De hoc iterum dicemus n. 87.

Quæstio est autem an, *pro baptizatis*, contractus Matrimonialis possit iniri absque Matrimonii Sacramento, id est, an, posito contractu valido, eo ipso conficiatur sacramenmentum; et, non confecto sacramento, nullo modo perficiatur contractus. Negant omnes Rationalistæ et Politici, qui uti verum et validum, haud secus ac cæteri contractus, habent Matrimonium etiam Christianorum coram lege civili initum; ac proinde contractum nuptialem a sacramento disjungunt, eo sane consilio, ut, Ecclesiæ reservatis sacramenti rationibus, contractum tradant in potestatem arbitriumque principum. Contra sit

PROPOSITIO PRIMA

46. — *Inter fideles dari non potest contractus Matrimonii, quin uno et eodem tempore sit Sacramentum*. Certum est.

Prob. 1° *Script*. Etenim, ex textu allato, n. 39, Christus voluit ut Matrimonium inter fideles esset « sacrum signum et efficiens gratiam, et imaginem referens mysticarum nuptiarum Christi eum Ecclesia : porro istarum forma ac figura illo ipse exprimitur summæ conjunctionis vinculo, quo vir et mulier inter se colligantur, quodque nihil aliud est, nisi ipsum matrimonium, » ut ait Leo XIII, Encycl. *Arcanum*, 10 febr. 1880; ergo, quoties adest inter Christianos matrimonium, toties adest illud signum sacrum seu sacramentum.

2° *Traditione*. SS. Patres, quoties de Matrimonio inter fideles loquuntur, semper supponunt illud esse Sacramentum, ut patet ex gravissimis verbis, quibus illud extollunt, n.39.

« Etsi Matrimonium *verum* inter infideles existat, non tamen est *ratum* : inter fideles autem *verum et ratum existit, quia sacramentum fidei,* quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed *ratum effici conjugii sacramentum.* » Innoc. III, c. 7, tit. 19, lib. 4 Decret.

« Cum nemo ex Catholicis ignoret aut ignorare possit, Matrimonium esse vere et proprie unum ex septem Evangelicæ legis Sacramentis a Christo Domino institutum, ac propterea *inter fideles dari non posse, quin uno eodemque tempore sit Sacramentum* ; atque idcirco *quamlibet* aliam *inter Christianos* viri et mulieris *conjunctionem,* cujuscunque etiam civilis legis vi factam, *nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum* ab Ecclesia tantopere damnatum : ac proinde *a conjugali fœdere Sacramentum separari nunquam posse ;* et omnino spectare ad Ecclesiæ potestatem ea omnia decernere, quæ ad idem Matrimonium quovis modo possunt pertinere. » Pius IX, Allocut. 27 sept. 1852.

« Exploratum est, inquit Leo XIII, *ibid.,* in Matrimonio Christiano *contractum a sacramento non esse dissociabilem ;* atque ideo *non posse contractum verum* et *legitimum consistere, quin sit eo ipso sacramentum.* Nam Christus Dominus dignitate sacramenti auxit matrimonium ; matrimonium autem est ipse contractus, si modo sit factus jure... Itaque apparet... *nihil magis abhorrere a veritate,* quam esse sacramentum decus *quoddam adjunctum,* aut proprietatem *allapsam extrinsecus,* quæ *a contractu disjungi* ac disparari hominum arbitratu queat. » Unde inter contractum et sacramentum unio non est *accidentalis* et ex humana voluntate pendens, sed *substantialis,* a contrahentium fidelium voluntate independens, juxta ipsius Christi institutionem.

3° *Ration. theol.* Matrimonium inter Christianos est unum et indissolubile, atque, ad hoc onus sustinendum, Christus tale Matrimonium ad Sacramenti dignitatem, evexit, ut dictum est, n. 39 ; ergo Christus non permisit unquam iniri contractum absque Sacramento, alioquin voluisset hujusmodi contractum unum et indissolubilem permanere absque medio seu gratia sacramentali.

Itaque 1° si qui vellent inire matrimonium et non sacramentum, expendenda esset voluntas eorum prædominans : si ferretur in contractum, *implicite* includeret quidquid ab eo est inseparabile, ac proinde sacramentum ; si contra, *voluntate prædominanti* vellent excludere sacramentum, ne contractum quidem efficerent, cum illum non vellent nisi sub conditione *impossibili*.

2° Conjuges tenentur omnia præstare, quæ necessaria sunt ad certam sacramenti susceptionem. Certitudo enim contractus pendet a certitudine sacramenti, et vice versa; et ideo sive dirimentia impedimenta contractus, sive sacramenti defectus obstant ipsius Matrimonii validitati.

PROPOSITIO II

47. — *Matrimonium inter baptizatos, etiam quatenus contractus, subtrahitur auctoritati seculari*. Certum est,

Hoc immediate consequitur ex præcedenti propositione, et confirmatur 1° *Doctrina Ecclesiæ*. Etenim Conc. Trid., n. 17, contra Protestantes definivit « causas matrimoniales ad judices *ecclesiasticos* spectare »,

Idem docuerunt contra Jansenismum, Febronianismum, Rationalismum, Pius VI, Constit. *Auctorem fidei*, prop. 59, 60, *de matrim.*, et Litt. ad Episcopum Motulensem, 16 sept. 1788 ; Pius VIII, Encycl. 21 maii 1829 ; Gregor. XVI, Encycl. 15 aug. 1832 ; Pius IX in textu relato in præcedenti propositione, et in Syllabo, prop. 66, 68-74 ; Leo XIII, Encycl. *Arcanum*, qui sic loquitur ; « Christus matrimonium ipsum ex officio naturæ in sacramenta transtulit, et quod *ad vinculum* spectat, *legiferam* et *judicialem Ecclesiæ suæ attribuit potestatem* ».

2° *Historia et constanti praxi*. Nam, « teste temporum historia, potestatem sive legiferam sive judicialem de re matrimoniali sibi vindicavit Ecclesia a primordiis usque ad nos, regnantibus imperatoribus tum ethnicis, tum catholicis ; atque ita exercuit, ut illam *propriam* ejus appareret, *nec hominum concessu quæsitam*, sed auctoris sui voluntate *divinitus adeptam*. »

« Atque adeo Honorius, Theodosius junior, Justinianus

(Novel. 137) fateri non dubitarunt, in iis rebus, quæ nuptias attingunt, non amplius quam custodibus et defensoribus sacrorum canonum sibi licere. Et de connubiorum impedimentis, si quid per edicta sanxerunt, causam docuerunt non inviti, nimirum, id sibi sumpsisse ex Ecclesiæ permissu et auctoritate. » Ita Leo XIII, *ibid.*

3° *Ratione theol.* Ex dictis in præcedenti propositione, Christus contractum matrimonii inter Christianos elevavit ad dignitatem sacramenti seu ad ordinem supernaturalem : atqui auctoritas secularis, cum sit ordinis mere naturalis, nihil potest circa sacramenta : « De sacramentis statuere et præcipere ita, ex voluntate Christi, sola potest et debet Ecclesia, ut absonum sit plane potestatis ejus vel *minimam partem ad gubernatores rei civilis* velle esse translatam ; » Leo XIII, *ibid.* ; ergo auctoritati civili omnino subtrahitur matrimonium inter baptizatos etiam quatenus contractus.

Revera, Ecclesia infallibilis est in exercitio suæ auctoritatis spiritualis et supernaturalis ; ideo nihil circa matrimonii contractum statuere potest sacramento et bono societatis nocivum ; secularis autem auctoritas nulla infallibilitate donatur ; et ideo, si aliquid posset circa matrimonii contractum inter christianos, eo ipso statuere posset leges utili, imo et necessariæ receptioni sacramenti atque bono religionis supernaturalis nocivas ; ergo repugnat auctoritatem temporalem et naturalem aliquid statuere circa matrimonii contractum inter baptizatos.

48. — Hinc matrimonium inter baptizatos *coram magistratu civili*, per se nullum matrimoniale vinculum gignere potest, sed est ritus aut mos *mere civilis*. Ex duplici enim præcedenti propositione, contractus matrimonialis inter fideles omnino subtrahitur laicæ potestati.

« Sciant itaque Catholici, cum *civili magistratui* aut hæretico ministello matrimonii celebrandi causa se sistunt, *actum* se *mere civilem* exercere. » Benedict. XIV, in Brevi 17 sept. 1746. Idem constat ex decis. S. Congr. Conc. 13 mart. 1879, a S. Pontifice approbata, infra, n. 114, 215, 231, 249. Insuper, « omnibus exploratum esse debet,

ait Leo XIII, *ibid.*, si qua conjunctio viri et mulieris inter Christi fideles citra sacramentum contrahetur, *ea vi ac ratione justi matrimonii carere;* et quamvis *legibus civicis facta sit,* tamen *pluris esse non posse,* quam *ritum* aut *morem, jure civili introductum,* qui res in genere civili gignere *non potest, nisi nuptiale vinculum existat.* »

« Nec sponsi, inquit S. Pœnitentiaria, 15 janv. 1866, se sistere debent gubernii officiali, nisi cum intentione nihil aliud faciendi, quam ut *civilem cæremoniam* exequantur; atque hunc actum, antequam matrimonium coram Ecclesia celebraverint, peragere nequaquam debent. Si qua coactio aut absoluta necessitas, quæ facile admittenda non est, ejusmodi ordinis invertendi causa esset, tunc omni diligentia utendum erit, ut matrimonium coram Ecclesia quamprimum contrahatur, atque interim contrahentes sejuncti consistant. »

48[1] — *Obj.* Matrimonium, etsi dignitatem sacramenti induerit, non desiit tamen esse contractus : atqui contractus sunt sub regimine auctoritatis civilis; ergo matrimonii contractus, etiam inter baptizatos, remanet sub civilis auctoritatis regimine.

Resp. Dist. maj. Non desiit esse contractus ad ordinem supernaturalem jam pertinens, per sacramentum substantialiter ei conjunctum, *conc.*; secus, *nego.* Atqui auctoritas civilis nihil potest circa contractus ordinis supernaturalis; ergo nec circa matrimonii contractum semel elevatum ad sacramenti dignitatem.

48[2] — *Inst.* 1° Matrimonium spectari potest uti officium naturæ, communitatis et religionis : porro ille contractus, uti officium communitatis, et ad bonum politicum ordinatus, remanet sub regimine auctoritatis civilis; ergo sub hoc respectu matrimonium, etiam inter baptizatos, remanet sub seculari auctoritate.

Resp. Nego minor. Etenim matrimonii contractus inter christianos non consistit, nisi elevetur ad sacramenti dignitatem; ac proinde non fit communitatis officium, nec ad bonum politicum ordinatur, nisi prius existat in dignitate sacramenti : porro ille contractus in hac dignitate semel consistens, eo ipso seculari auctoritati ex natura sua subtrahitur;

ergo matrimonii contractus, etiam uti officium communitatis et ad bonum politicum ordinatus, sub auctoritatis civilis regimine non remanet.

Aliunde repugnat in eodem genere haberi duas supremas potestates, quæ unum eumdemque hominem in oppositas partes agerent.

48[3]. — *Inst.* 2°. Hodie societates sunt mixtæ religionis, habeturque principium libertatis conscientiæ, et omnium religionum protectio: porro, in hujusmodi circumstantiis, ut gubernium pro omnibus civibus servet uniformitatem, debet pro omnibus civibus proponere eamdem matrimonii formam ac legislationem, facta abstractione a symbolo sectarum religiosarum; ergo, saltem attento præsenti statu sociali respectu religionis, contractus matrimonii inter baptizatos sub civilis auctoritatis regimine remanet.

Resp. Nego minor. Namque 1. nulla requiritur, nec esse potest uniformitas in forma matrimonii inter baptizatos, et inter non baptizatos, cum pro prioribus contractus matrimonii sit sacramentalis, non sacramentalis autem pro posterioribus; ac proinde in priori casu omnino subtrahatur seculari auctoritati; dum in posteriori casu, huic auctoritati hactenus aliquomodo subjectus maneat, saltem juxta multos, ex dicendis n. 48[4].

2. Stupendum sane est illud libertatis conscientiæ principium, ex quo civilis auctoritas inducit jus et officium pro nihilo reputandi cujuscunque religionis dogmata ac præcepta, ratione uniformitatis legis, omnibusque civibus imponendi leges, quas uti illegitimas et impias respuit cujusque religio.

3. Nec minus miranda est illa omnium religionum protectio, quæ identificatur cum omnium religionum conculcatione ac despectione; ita ut hujusmodi uniformitas legis statui nequeat, nisi populus mixtæ religionis velut populus atheus a legislatore consideretur, et ut talis agatur! Procul dubio, ex invocato libertatis religionis principio consequitur, e contra, ut quivis satisfacere plane valeat obligationibus suæ conscientiæ, et ideo suæ religionis, ac leges civiles in hoc quemvis protegant, non vero ei obstent.

48[4]. — *Quæritur* 1° an civilis potestas aliquid addere possit, quoad matrimonii vinculum, ordinationibus *juris*

naturalis et *positivi divini primigenii*, si agatur de Matrimonio a *non baptizatis* contracto?

Resp. Non consentiunt auctores. Alii quippe negant; alii vero numerosiores affirmant, modo salvum maneat jus naturale et positivum divinum primigenium, n. 101, 104. 110, 112. Vide de Angelis, lib. 4, tit. 1, n. 8.

483. — *Quæritur* 2° an civilis auctoritas aliquid possit saltem circa *accessoria* matrimonio *inter christianos*?

Resp. *Affirmative*. Scilicet, inest potestati laicæ 1° jus imponendi nonnullas conditiones in impedimentis prohibentibus, quoties bonum publicum id exigit, v. g., prohibendi ne minorum matrimonia fiant absque consensu parentum, vel ne militiæ addicti matrimonium contrahant absque certis servatis regulis, ac de venia auctoritatis militaris.

2° Jus communiendi sanctione illas prohibitiones, v. g., mulctis pecuniariis, aut carcere, aut amissione jurium, dummodo non attingat ipsius matrimonii validitatem.

3° Jus denegandi talibus a se vetitis connubiis nonnullos effectus civiles. Porro sub nomine *effectuum civilium*, juxta communem Doctorum sententiam, hæc veniunt : nempe, *jura reciproca conjugum individuæ vitæ consuetudinis*, quatenus ex lege civili, teneantur conjuges ad invicem officia maritalia sibi exhibenda, nec valeant ad alias nuptias, primis per mortem non resolutis, convolare. 2. *Recognitio constitutionis dotis*, aliorumque instrumentorum aut pactorum respicientium assignationes et administrationem bonorum causa matrimonii. 3. *Legitimitas filiorum ; eorum successio intestata* in hæreditatem parentum, aliarumque personnarum cum illis sanguine conjunctorum ; item eorumdem successio in feuda, aliosque honores a statu familiis tributos, præsertim in societatibus, quæ constant pluribus ordinibus.

Attamen, gubernium omnes illos effectus civiles denegare nequit iis matrimoniis, quæ valida sunt, etsi inita contra legem civilem prohibentem. Sic non potest non tueri jura reciproca conjugum, quatenus permittere nequit,

absque causa sufficienti, conjugum separationem quoad torum et habitationem, nec unquam tolerare, ut, primo connubio contempto, aliud ineatur.

E contra, in conjugiis a se vetitis denegare potest recognitionem dotis aliorumque pactorum, quæ spectant assignationes et administrationem bonorum causa matrimonii. Istarum enim pactionum juridicus valor pendet a constitutionibus civilibus, quæ idcirco diversæ sunt penes diversas nationes. In hoc sensu explicatum fuit edictum Ludovici XIII, an. 1629, 1639, quo constituebantur *invalida* matrimonia celebrata absque consensu parentum : nempe, in illo edicto « non agitur de sacramento matrimonii, neque de ejus cæremoniis essentialibus, sed de validitate conventionum matrimonialium, de accessoriis matrimonii, de dotis validitate, etc. »

Disputant Doctores an Status filiis ex talibus matrimoniis genitis valeat denegare legitimitatem civilem, quam habent coram Ecclesia; eisque denegare jus successionis in hæreditatem parentum intestatam : hæc enim successio, licet a jure civili determinata, fundamentum habet in jure naturæ; unde, juxta omnes, istorum duorum effectuum civilium denegatio esset saltem insipiens et crudelis.

Tandem successio in feuda aliosque honores proprios nobilitatis sunt ex omnimoda status institutione; et ideo illos effectus civiles denegare potest filiis ex interdictis conjugiis genitis.

Civile autem gubernium prædictos effectus civiles tribuere nequit matrimonio coram Ecclesia manifeste invalido, juxta hanc doctrinalem Leonis XIII declarationem, ut supra, n. 48, nempe, matrimonium civile *res in genere civili* gignere non potest, nisi nuptiale vinculum existat. »

4° Jus habet Status registrandi matrimonia, considerandi hanc registrationem uti legalem probationem existentiæ prædicti matrimonii, atque puniendi conjuges, qui illam registrationem negligunt; sed quantumcumque serotina sit registratio, semper retinendum est matrimonium existere a tempore, quo constat esse contractum, non vero a die tantum registrationis. Insuper ex æquitate receptum

est, ut hæc probatio legalis per æquipollentem suppleri possit, quando non existat registratio legalis. De Angelis, lib. 4, tit. 1, n. 14.

49. — *Quæritur* 3° an validum sit Matrimonium *inter hæreticos*, qui non admittunt sacramentum Matrimonii?

Resp. Si sint vere baptizati et expresse excludant Sacramentum Matrimonii, invalidum est eorum Matrimonium, ex dictis n. 46. Si vero, dum putant Matrimonium non esse Sacramentum, nihilominus habeant intentionem generalem et prædominantem nubendi juxta legem a Christo institutam, tunc vere non excludunt Sacramentum, atque, ex hac parte, erit Matrimonium sacramentale atque validum.

50. — *Quæritur* 4° an *validum* sit Matrimonium *inter infideles?*

Resp. Matrimonium inter *duos infideles* validum est ratione contractus, si nihil aliud obstet, sed non est Sacramentum, ut expresse docet Innoc. III, n. 46, et apud omnes constat. Cum enim Baptismus sit Sacramentorum janua, omnis infidelis incapax remanet matrimonii quatenus est Sacramentum. Communiter tamen Theologi sentiunt Matrimonium inter duos infideles esse Sacramentum largiori et improprio sensu, in quantum aliquo modo designat unionem Christi cum Ecclesia, licet improprie, quia fide carent illi conjuges, nec eorum unio gratia Matrimonii Sacramento propria perficitur, n. 42.

51. — *Quæritur* 5° an *infideles nupti, si convertantur,* recipere possint Matrimonii sacramentum?

Resp. Si *infideles nupti convertantur*, Matrimonium in infidelitate initum atque validum quatenus contractus tantum, potest Sacramenti rationem obtinere, juxta non paucos, quorum opinionem communiorem dicit Benedict. XIV, *de Synod.* lib. 8, c. 13, qui nihil tamen ea de re pronuntiat. Nam renovatio consensus potest esse materia Sacramenti, cum sit consensus in traditionem corporum novo titulo et modo firmiore, indissolubilem scilicet, et ratione

sacramenti, et quia perfectius repræsentatur unio Christi cum Ecclesia; et sic haberi possit uti contractus moraliter intrinsece distinctus a contractu infidelium. Ita Sanchez, Bellarm, Kugler, etc.

Alii vero negant, inter quos Vasquez, Pontius, Salmant., Tournely, Collet, Billuart, Carrière. Etenim materia Sacramenti, ex dicendis, n. 54. est ipse consensus, quo efficitur contractus : atqui renovatio illius consensus non efficit contractum, cum hic jam existat inter illos infideles conjuges; revera res semel donata, non potest de-novo valide donari, cum non remaneat sub potestate donatoris; et aliunde Ecclesia non hortatur ad renovandum consensum post conversionem; ergo contractus in infidelitate initus non potest Sacramenti rationem postea obtinere.

Proinde, si tunc matrimonium novam firmitatem acquirat, id oritur tantum ex eo quod cesset casus exceptionis, de quo dicetur, n. 110, 112.

52. — *Quæritur* 6° an *fidelis, si cum infideli* nubatur, possit Matrimonii Sacramentum recipere?

Resp. Si *fidelis cum infideli nubatur*, non consentiunt auctores, an sacramentum possit esse ex parte fidelis, id est, an, ut loquuntur Theologi, *Sacramentum possit claudicare*. Alii negant, quia Matrimonium ut contractus non potest esse in uno et non in altero, sed est unum in duobus : porro Sacramentum sequitur naturam contractus; ergo, etc. Ita Sanchez, Kugler, Billuart, Theol. Wiceburg, etc.

Alii vero affirmant, inter quos Salmant., Tournely, Collet, etc. Gratis enim asseritur contractum non posse esse sacramentalem ex una parte, quin sit ex altera, cum id pendeat ex institutione Dei. Imo contrarium verisimile videtur. Cum enim in prioribus seculis, aliquando moraliter necessarium esset ut christianæ nuberent ethnicis, durissimum esset dicere eas caruisse gratia valde ipsis necessaria, ad sanctificandos viros infideles. Voluntas Dei hac de re ex Scriptura vel Traditione non innotescit, et ideo hactenus sub judice lis est.

CAPUT II

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTI MATRIMONII

Dicemus 1° de contractu matrimoniali quatenus est materia et forma Sacramenti Matrimonii; 2° de dotibus consensus ad hujusmodi contractum ; 3° de licitate et validitate consensus conditionalis ad eumdem contractum.

ARTICULUS PRIMUS

De contractu matrimoniali quatenus est materia et forma Sacramenti Matrimonii.

53. — *Quæritur* quid de hoc puncto opinati sint Theologi aut adversarii ?

Resp. 1. Theologi catholici omni tempore docuerunt consensum contrahentium esse materiam Sacramenti Matrimonii ; sed a tempore Melchioris Cani multi propugnarunt formam reponendam esse in benedictione seu verbis a Sacerdote prolatis.

2. Quidam neoterici, ut contractum matrimonialem auctoritati ecclesiasticæ eripiant, contendunt materiam et formam Matrimonii in ipso contractu non consistere, sed in aliquo speciali ritu a Christo instituto cum virtute producendi gratiam. Ita Le Ridant, Maultrot, Agier, Tabaraud. Vide Carrière n. 95.

3. Aliqui sed pauci Theologi, inter quos Basilius Pontius, opinati sunt jus ad usum non esse de Matrimonii, nec ideo de Sacramenti essentia.

4. Tandem, juxta Julianum, Pelagii discipulum, essentia Matrimonii, nec proinde Sacramenti, stare non potest absque usu. Quæ omnia solventur in triplici propositione.

PROPOSITIO PRIMA

54. — *Contractus seu consensus partium est materia proxima et forma Sacramenti Matrimonii.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* Namque, ex statutis n. 39, S. Paulus dicit Matrimonium, id est, contractum Matrimonii, esse Sa-

:ramentum novæ legis seu signum per se efficax gratiæ : ıtqui signum quo nititur Sacramentum novæ legis, est ma- :eria et forma, ex dictis in Tract. *de Sacram. in genere*, ı. 32; ergo contractus seu consensus partium est materia ɔroxima et forma Sacramenti Matrimonii.

2° *Traditione*. Etenim Innoc. III, post Nicolaum I, Cap. :*um apud sedem, Tuæ paternitatis, de sponsa duorum*, dicit : « *Sufficiat solus* secundum leges *consensus eorum* (sponso- ·um); *Matrimonium solo consensu contrahitur* : » porro, ex lictis, n. 46, Matrimonium inter christianos dari non po- .est, quin uno et eodem tempore sit Sacramentum; ergo nateria et forma hujus Sacramenti in ipso contractu tota :onsistit.

Similiter, ex decreto Eugenii IV ad Armenos, « *causa ef- ficiens* Matrimonii est *mutuus consensus* regulariter per verba de præsenti expressus. » Juxta omnes, S. Pontifex n præfatis verbis loquitur de Matrimonio in ratione Sacra- nenti. Unde sic : causa efficiens Sacramenti novæ legis est llius materia et forma; utraque enim posita, eo ipso exis- :it signum gratiæ productivum : atqui, ex laudato decreto, :ausa efficiens Sacramenti Matrimonii est mutuus partium :onsensus; ergo talis consensus est materia et forma Sa- :ramenti Matrimonii.

Sed etiam, ex dicendis n. 78, certum est ipsos contra- ıentes esse Sacramenti Matrimonii ministros : atqui con- .rahentes ad Matrimonium ineundum nihil aliud præstant, ıec conferunt, quam mutuum consensum; ergo talis con- :ensus est Sacramenti Matrimonii constitutivi, seu ejusdem nateria et forma.

3° *Ration. theol.* 1. Juxta doctrinam Ecclesiæ, et ex dic- .is n. 39, 42, illud idem est Sacramentum Matrimonii, quod Deus instituit ut signum jam peractæ unionis Christi cum Ecclesia; quod ante erat Sacramentum improprie dictum; ɪuodque Christus reduxit ad primævam institutionem : at- ɪui hæc omnia competunt ipsi contractui matrimoniali, ıon vero alii speciali ritui; ergo ipse contractus matrimo- ıialis est signum sacramentale seu materia proxima et 'orma Sacramenti Matrimonii.

titur : atqui mutuus sponsorum consensus non est ritus religiosus, sed actus mere psychologicus; ergo non potest esse materia et forma sacramenti.

Resp. Nego minor. Consensus enim contrahentium quatenus exterius manifestatus non minus per se aptus est ad constituendum ritum religiosum, quam actus pœnitentis qui sunt materia Sacramenti Pœnitentiæ, et verba sacerdotis aut Episcopi, quæ pro cæteris Sacramentis sunt forma sacramentalis. Revera, ad ritum sacramentalem sufficit res aliqua sensibilis a Deo instituta ad significandam et producendam aliquam sanctitatem : porro externa traditio et acceptatio corporum per consensum est quid sensibile ex se aptum ad significandam et producendam gratiam conjunctioni Matrimoniali connaturalem et necessariam; ergo hujusmodi consensus potest esse ritus religiosus, atque materia et forma sacramenti.

60. — *Inst.* 2° Matrimonium non raro initur absque ullis verbis, et nutibus tantum : atqui, ex decreto Eugenii IV ad Armenos, Sacramenta novæ legis constant verbis tanquam forma; ergo consensus non potest esse forma Sacramenti Matrimonii.

Resp. Dist. minor. Ex decreto ad Armenos, forma Sacramentorum *regulariter* constat verbis tanquam forma, *conc.*; nunquam constat verbis æquivalentibus, nutibus, scilicet, *nego.* Nam ipse Eugenius IV ait consensum in Matrimonio *regulariter* per verba exprimi : quod satis indicat posse etiam exprimi per signum æquivalens. Revera, omnino decuit ut et ipsi surdi-muti a Matrimonio contrahendo non excluderentur sub nova lege, et ideo quod ad illius Sacramenti formam signum verbis æquivalens sufficeret. Pro cæteris Sacramentis forma proprie verbis constare necesse est.

COROLLARIUM

61. — *Idem contractus Matrimonii, pro diverso respectu sub quo consideratur, est simul naturalis, religiosus, ecclesiasticus, et civilis.* Certum est,

1° *Naturalis*, eo sensu 1. quod necessarius est ad generis humani propagationem et societatis conservationem: 2. quod conformis est institutioni naturæ, per se satis inclinantis ad Matrimonium, quia requirit congrua educatio prolis, ut parentes sint quodam vinculo inter se alligati;

3. quod vinculum Matrimonii naturaliter sequitur ex mutuo consensu partium.

Pertinet tamen ad jus naturale non *primarium*, sed *secundarium*. Jus naturale *primarium* illud est, quod fundatur in ipsa rerum essentia, atque ideo est prorsus immutabile; sic, v. g., in hypothesi quod Deus creet homines, his non præcipere non potest ipsius adorationem et amorem super omnia; secundarium autem seu conditionatum illud est, quod pendet non ab essentia rerum, sed a speciali conditione in qua Deus constituit rerum naturam, sic, v. g., non est de hominis essentia ut per commixtionem sexuum propagetur; et nihilominus, in statu præsenti, ex institutione Dei, non est aliud medium naturale propagandi genus hominum; ergo Matrimonium ad jus naturale secundarium pertinet.

Unde matrimonium uti mere contractus, abstrahendo a ratione Sacramenti, longe præstat cæteris contractibus ex parte tum originis, tum objecti, tum etiam finis. Alii siquidem contractus non ab ipsa natura seu a Deo trahunt originem, sed ab hominum voluntate; versantur circa res mere temporales, quæ sunt in commercio; et multum abest quin adeo directe spectent ad bonum societatis sive civilis, sive ecclesiasticæ.

2° *Religiosus*, tum quia Deus per supernaturalem revelationem, ab exordio mundi voluit Matrimonium esse unum et indissolubile, illudque constituit uti Sacramentum improprie dictum, n. 42, 82; tum quia Christus ad illam primævam unitatem et indissolubilitatem Matrimonium in perpetuum revocavit, provexitque ad dignitatem Sacramenti novæ legis, ita ut inter fideles jam non possit esse matrimonialis contractus, quin sit Sacramentum proprie dictum, n. 46.

3° *Ecclesiasticus*, in quantum ordinatur ad bonum Ecclesiæ, atque regitur pluribus sive prohibentibus, sive dirimentibus legibus ab Ecclesia statutis.

4° *Civilis* tandem, in quantum ordinatur ad bonum societatis civilis, et fit inter cives, atque ideo regitur quibusdam legibus a principe conditis, atque jus naturale, aut

divinum, aut ecclesiasticum in hac materia comprobantibus, et effectus mere civiles matrimonii determinantibus, n. 47, 48[1], 48[3], 215.

62. — Attamen 1. contractus Matrimonii existere nequit, quin sit naturalis, imo et religiosus, utpote quod semper nititur in mutuo partium consensu, atque, ex lege evangelica, est etiam inter infideles unus et indissolubilis, ut infra, n. 104, 112. At potest existere contractus naturalis et religiosus, quin sit ecclesiasticus, si, nempe, iniretur inter personas non baptizatas, aut si Judex ecclesiasticus, ex falsa informatione, ut irritum haberet Matrimonium vere in foro conscientiæ et coram Deo validum. In hoc casu adesset mera invalidi contractus apparentia coram Ecclesia.

Sed etiam Matrimonii conctractus existere potest quatenus naturalis, religiosus et ecclesiasticus, quin sit civilis : si, nempe, iniretur inter personas baptizatas extra societatem degentes; vel si lex civilis ut irritum haberet Matrimonium in foro conscientiæ, coram Deo et Ecclesia validum: sic in Gallia ut irritum a lege civili reputatur Matrimonium coram officiario civili non initum; et tamen talis conditio nullomodo requiritur ut Matrimonium sit validum coram Deo et Ecclesia. In hoc igitur casu adesset mera invalidi contractus apparentia coram lege civili.

2. Simili ratione fieri potest, ut Judex ecclesiasticus uti validum reputet Matrimonium invalidum in foro conscientiæ et coram Deo; et tunc adesset mera validi contractus apparentia coram Ecclesia.

Item fieri potest ut lex civilis uti validum habeat Matrimonium, quod non existit quatenus contractus naturalis, nec religiosus, nec ecclesiasticus; sic, v. g., in Gallia contractus coram officiario civili a sponsis initus ad tradendum mutuum jus in corpora, etsi desit debita Parochi et testium præsentia, a lege civili reputatur validus Matrimonii contractus; et nihilominus invalidus est coram Deo et Ecclesia ob clandestinitatis impedimentum. Tunc adest mera validi contractus apparentia coram lege civili.

3. Præter contractum, de quo hactenus diximus, qui pro objecto habet traditionem corporum, adest alius contractus in Gallia coram notario ineundus. respiciens dispositionem bonorum inter conjuges, vel successionem filiorum, qui aliquando vocatur contractus civilis Matrimonii (*Contrat de Mariage, conventions matrimoniales*), licet ab altero prorsus diversus sit, et a quo proinde sedulo distingui debet, ne detur locus multis erroribus.

PROPOSITIO II

63. — *Ad essentiam Matrimonii pertinet dominium in corpora, seu jus saltem radicale ad usum.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* Juxta S. Paulum, I Cor. 7, ℣ 4, *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier :* atqui illa potestas nihil aliud est quam jus saltem radicale ad usum, ut per se patet; ergo jus illud ad essentiam Matrimonii pertinet.

2° *Ratione.* Si jus illud ad essentiam Matrimonii non pertinet, ideo Matrimonio essentiale est solummodo jus ad individuam vitæ societatem : atqui jus istud non sufficit, alioquin Motrimonium omnino licitum esset inter fratrem et sororem; et aliunde nemo sane dixerit contractum de mutuis duntaxat amicitiæ officiis inter virum et mulierem verum esse Matrimonium; ergo jus saltem radicale ad usum est de Matrimonii essentia.

64. — Dixi : *jus saltem radicale,* quia agnoscunt Theologi non requiri ad essentiam Matrimonii ut habeatur jus, ut aiunt, *expeditum et morale,* quo contrahentes uti possint *absque peccato.* Potest enim jus ligari, v. g., ex virtute Religionis, quin cesset existere, sicque explicatur quomodo validum agnoscatur Matrimonium initum a sponsis, quorum unus aut uterque votum castitatis emisit. Illud enim votum sive ante Matrimonium, sive durante Matrimonio emissum, non est *ex se,* et independenter a lege positiva, incompatibile cum *jure mutuo* conjungum *radicali,* sed tantum reddit Matimonii usum *illicitum* et *sacrilegum,* quia vo-

tum obligat ex virtute Religionis, *non ex justitia;* adeo ut qui, non obstante voto, Matrimonium iniissent, non forent fornicarii, Matrimonio utentes; nec filii eorum essent illegitimi; et licite uterentur, obtenta dispensatione, *absque novo Matrimonio;* tandemque adulteri fierent, si commercium haberent cum extraneis. De Matrimonio inter B. Mariam et S. Joseph vide Tract. *de Incarn.*, n. 308, 310.

Tunc tantum castitatis servandæ propositum obstare potest validitati Matrimonii, quando est inter conjuges deductum in *pactum expressum*, ex dicendis n. 76, in fine.

PROPOSITIO III

66. — *Usus non est de essentia Matrimonii.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* Fide certum est Beatam Mariam illibatam Virginem semper permansisse, ut probatum est in Tract. *de Incarn.*, n. 306 : atqui tamen certissimum est inter B. Virginem et S. Joseph verum fuisse Matrimonium. Namque I. Matth. 1, ℣ 16, 18, 19, 20, Joseph *vir* Mariæ, et Maria *conjux* et *uxor* Josephi simpliciter appellatur. Præterea Matth. c. 13, Luc. c. 3, Joann. c. 6, ipsi Judæi Jesum Josephi, ideoque fabri filium, et Josephum ejus patrem appellant : porro hujus opinionis licet falsæ, non alia causa fuit, quam quod notum erat inter Josephum et Mariam verum contractum fuisse Matrimonium; ergo, etc.

2° *Traditione*, cujus luculentiores testes inter alios appellare sufficiat S. Ambr. *de Inst. Virg.* c. 6, et S. Aug. pluribus in locis, præsertim lib. *contra Julianum*, lib. 5, c. 16, n. 62, ubi refellens supra memoratam Juliani sententiam, sic loquitur : « Non est ista definitio nuptiarum...; nam sine corporum commixtione possunt esse conjuges : alioquin non erunt conjuges..., certe cum senuerint, sibique misceri non potuerint. »

3° *Ration. theol.* Si usus esset de essentia Matrimonii, vir et femina quamtumvis publice Matrimonium contraxissent, non prius esse conjuges inciperent, quam contractum Matrimonium consummassent, nec primum sine crimine Matrimonio uterentur, cum non fierent conjuges, nisi per usum Matrimonii : atqui talia sensui communi repugnant; ergo usus non est de essentia Matrimonii.

67. — *Quæritur* an perfectum omnino sit Matrimonium sine usu?

Resp. Duplex perfectio in Matrimonio, ut et in aliis rebus, onsiderari potest : altera *primaria*, id est essentialis, sine ua res non subsistit, altera *secundaria* seu accessoria, sine ua res existit quidem, sed finem suuum perfecte non ssequitur.

Porro Matrimonium mutuo consensu partium firmatum, st quidem perfectum perfectione primaria, quia veram abet rationem Matrimonii; non vero secundaria, quoadusque usus accesserit. Namque Matrimonium consummatum . est omnino indissolubile inter fideles, ratum autem nultiplici modo dissolvi potest, ut infra dicetur, n. 119, 124; 2. solum potest prolem consequi; 3. melius exhibet mionem Christi cum Ecclesia, tum quia signum est unionis non solum moralis, quæ fit per gratiam, sed et physicæ seu hypostaticæ per incarnationem, tum quia signum est effectus utriusque illius unionis, nempe, procreationis iliorum Dei per gratiam ex utraque illa unione deluentem.

ARTICULUS II

De dotibus consensus necessarii ad contractum et Sacramentum Matrimonii.

68. — *Quæritur* quænam sint dotes consensus ad matrimonium requisiti?

Resp. In Tract. *de Contract.*, n. 33 et seq., diximus de dotibus omni contractui necessariis. Easdem igitur hic indicare satis erit, iis tantum insistendo principiis, quæ specialius Matrimonium spectant. Scilicet, consensus in Matrimonio debet esse liber, internus, externus, mutuus.

69. — I. *Liber*. Sine libertate enim nec est, nec esse potest contractus, ex quo oriatur jus et obligatio correspondens. Quæ porro libertas duo implicat, nempe, 1. ex parte intellectus, plenam cognitionem seu deliberationem, quæ excludat amentiam et errorem circa personam; 2. ex parte voluntatis, voluntarietatem, quæ excludat vim et metum relative gravem. Exinde oriuntur impedimenta amentiæ, erroris, vis seu metus, Matrimonium dirimentia, n. 183-186,

Revera, Matrimonium inducit pro utroque conjuge graves et omnino speciales obligationes; et ideo, ad ineundum hujusmodi contractum, necessariæ sunt cognitio et voluntarietas, quæ requiruntur ad peccatum mortale.

70. — II. *Internus, id est, verus, et non fictus.* Certum est ad valorem Matrimonii omnino requiri ut consensus sit verus, sincerus, et ex animo; c. 26, tit. 1, lib. 4 Decret.

Ratio est, quia Matrimonium est essentialiter contractus, quo contrahentes sibi invicem donant suas personas, quod certe non potest fieri sine consensu sincero. Itaque non sufficit voluntas proferendi, etiam serio, verba quibus exprimitur intentio contrahendi, si ea proferens *nolit* interius contractum inire, sed decipere, seu non sufficit consensus *mere* externus.

Attamen affirmanti se ficte consensisse, neque alter conjux, neque Judex ecclesiasticus in foro exteriori fidem adhibere debent, nisi sufficienter probet; alioquin innumera orirentur incommoda.

Ideo conjux, qui verum assensum posuit, licite debitum peteret, donec defectus consensus evidenter probaretur.

Concipitur autem quod quis ficte consenserit, si dolo fuerit deceptus, aut gravi metu inductus ad contrahendum. Nam difficile supponi et probari potest eum, qui libere matrimonium iniit, nihilominus ficte consensisse.

71. — Hinc 1. si unus contrahentium Matrimonio ficte tantum consenserit, sine dubio graviter peccavit, tum peccato sacrilegii contra reverentiam Sacramenti, quod invalidum fuit, tum etiam peccato injustitiæ, propter injuriam, quam in re gravi alteri bona fide contrahenti intulit. Quare *ordinarie* tenetur sub peccato mortali vere de novo consentire, et verum Matrimonium efficere. Aliunde, cum in foro Ecclesiæ difficile probari possit fictum fuisse consensum, alteri conjugum ordinarie non permittetur aliud Matrimonium inire cum alia persona. Cæterum, nullo modo uti potest Matrimonio, donec verum consensum adhibuerit, cum Matrimonium sit nullum.

Attamen deceptor non tenetur deceptam ducere, 1. si impossibile foret, v, g., quia novum jam iniisset Matrimonium; 2. si compars tali Matrimonio ineundo renuntiet; 3. si ipse deceptor ad contrahendum coactus fuerit; 4. si fraus ex altera quoque parte intercesserit, v. g., si falso se jactaverit virginem; 5. si nullum parti deceptæ damnum obvenit; 6. si damnum illatum alio modo compensari queat; 7. si contrahens manifesta dederit indicia ficti consensus : cujusmodi indicium adesse reputaretur, si deceptor esset conditionis ac status longe altioris, ex qua disparitate aliunde merito timeantur pro tali conjugio infelix exitus, scandala, aliaque incommoda : sed hæc ratio difficile admitteretur, si coram parocho celebratus fuisset contractus.

72. — Hinc 2. si unus contrahentium consensit, falso putans se impedimento dirimente ligari, v. g., si Titius novum contrahit Matrimonium, existimans priorem conjugem adhuc vivere, licet revera obierit, distinguendum est : vel ita animum habebat idea impedimenti detentum, ut sibi persuasum esset se actu nubere non posse, adeoque solummodo concubinatum quæreret; et tunc irritum est Matrimonium, defectu consensus necessarii : vel, ex ignorantia aut inadvertentia, voluit revera et intendit Matrimonium contrahere, quantum in sua potestate erat; et tunc valet Matrimonium, quia voluntas contrahendi est prædominans.

73. — III. *Externus,* id est, verbis vel signis sufficienter manifestatus. Non est enim contractus Matrimonii absque mutua acceptatione inter contrahentes : atqui hæc acceptatio omnino impossibilis est, nisi consensus utriusque partis sit utrique parti manifestatus; ergo consensus debet esse externus.

Regulariter, ut loquitur Eugenius IV in decreto ad Armenos, consensus debet exprimi per verba de præsenti, secundum usum Ecclesiæ, a quo sine justa causa recedere non licet.

Dixi ; *regulariter consensus debet exprimi per verba*, quia aliquando sufficiunt alia signa consensum sufficienter exprimentia, quando verba vel proferri vel audiri a contrahentibus non possunt, v. g., quando contrahentes sunt surdi aut muti.

Addo insuper consensum posse etiam exprimi in absentia per procuratorem, modo tamen procurator contrahat coram Parocho et testibus. Verum hoc fieri non debet nisi ex causa necessitatis, et de consensu Episcopi.

74. — IV. *Mutuus*. Agitur enim de juribus reciproce tradendis et acceptandis : atqui hujusmodi traditio et acceptatio exigunt, ut consensus unius alteri intimetur, et ab hoc altero acceptetur ; ergo requiritur consensus mutuus.

Sed non opus est ut intimetur ipsa acceptatio, siquidem statim ac adfuit vera acceptatio, eo ipso concurrit duorum consensus in idem placitum, et ideo perfectus est contractus. Ordinarie tamen et de facto contractus non reputatur initus et perfectus, nisi postquam innotuerit acceptatio.

Ex his patet non esse necessarium ut utriusque consensus detur eodem instanti, sed, quando ex una parte datus est, perseverat, donec revocetur ; adeo ut, accedente consensu alterius, validum fiat Matrimonium, licet inter utrumque longum intercesserit temporis spatium.

ARTICULUS III

De licitate et validitate consensus conditionalis ad contractum et Sacramentum Matrimonii.

75. — *Quæritur* 1° an *licitum* sit Matrimonium sub conditione initum?

Resp. Matrimonia conditionata non sunt ordinarie *permittenda*. Illud enim esset contra praxim Ecclesiæ ; et timendum esset, ne sic nupti se haberent ut veros conjuges, etiam ante adimpletam conditionem. Adhiberi tamen potest conditio, quando agitur de revalidando Matrimonio dubio, etsi non sit verbis exprimenda, ut non recedatur a forma in Rituali præscripta. Cæterum illicitum est conditionatum Matrimonium, quoties ratione conditionis fit invalidum. Unde

76. — *Quæritur* 2° an *invalidum* sit Matrimonium sub conditione initum?

Resp. Distinguendum est, prout conditio est honesta et possibilis; vel inhonesta et impossibilis; vel contra substantiam aut bona matrimonii; vel de qualitate personæ, aut de aliquo onere, aut de causa accidentali contractus.

Scilicet, 1. *honesta* conditio ea est, quæ impleri valet salvis honestatis legibus, v. g., contraho tecum, si pater meus consenserit. *Inhonesta* autem, quæ impleri nequit nisi honestatis legibus despectis, v. g., contraho tecum, si prius occidas Petrum.

2. *Possibilis* conditio ea est, quæ ex natura rei vel de facto impleri potest; v. g., contraho tecum, si S. Pontifex ex impedimento consanguinitatis ad tertium gradum inter nos existentis dispensaverit, vel si prius solvas, uti revera potes, mea debita. *Impossibilis* conditio ea est, quæ ex natura rei vel de facto impleri nequit; v. g., contraho tecum, si ex impedimento ligaminis ob matrimonium jam existens et consummatum dispensaverit S. Pontifex, n. 111, 124, 191; vel si S. Pontifex dispensaverit ab impedimento conjugicidii publici, n. 230.

3. *Contra substantiam* matrimonii ea est conditio, quæ mulier in antecessum abdicat potestatem in corpus viri, et vir in corpus mulieris.

4. *Contra bona* matrimonii eæ sunt conditiones, quæ adversantur triplici ejus bono, nempe, prolis, fidei, sacramenti. Et quidem bono *prolis*, seu procreationi et educationi prolis, v. g., conditio de procuratione abortus; bono *fidei* seu mutuæ fidelitati, v. g., conditio de adulterio committendo; bono *sacramenti*, seu indissolubilitati matrimonii, v. g., conditio de dissolutione matrimonii, si unius adulterii reus probetur.

5. De *qualitate* sive accidentali, v. g., nobilitate, virtute, sive substantiali, v. g., contraho cum *primogenita* Petri, quam puto esse præsentem.

6. De aliquo onere, v. g., duco te ut mihi procures officium.

7. De causa accidentali contractus, v. g., duco te quia dives es.

Jam vero 1° si conditio sit honesta et possibilis, validum est matrimonium statim ac verificatur, atque tunc omnes habentur effectus matrimonii validi, juxta omnes.

An vero, adveniente conditione, iterandus sit consensus, et quidem coram parocho et testibus, non omnino constat inter doctores. Communiter canonistæ, et communius Theologi recentiores docent satis esse, ut consensus primum datus fuerit coram parocho et testibus, nec fuerit revocatus; atque ita judicavit S. Congr. Conc., teste Fagnano, c. 5, tit. 5, lib. 4 Decret., n. 2 et seq. Attamen Clemens VIII noluit præfatam decisionem S. Congr. Conc. omnibus casibus inservire, sed omnes qui acciderint in futurum, cum suis circumstantiis esse specialiter considerandos. Vide de Angelis, lib. 4, tit, 5, n. 3.

2° Si conditio sit *inhonesta* aut *impossibilis*, pro non adjecta habetur; ac proinde ab initio absolutum ac validum est matrimonium, ut expresse dicitur in c. 7, tit. 5, lib. 4 Decret. Præsumitur enim, et quidem in favorem matrimonii, hujusmodi conditionem ex joco fuisse adjectam. At hæc præsumptio est *juris* tantum, non etiam *de jure*, et ideo valet *in dubio;* atque si probetur talem conditionem, fuisse serio positam et in pactum deductam, ita ut, ea non posita, non contraheretur, invalidum est matrimonium.

3° Si conditio sit contra *substantiam* vel *bona matrimonii*, invalidum est matrimonium ex cap. 7, *ibid.*, et etiam ex jure naturali pro omnibus aliis contractibus; talis enim conditio repugnat ipsimet contractus essentiæ. Constat aliunde decis. S. Congr. Conc., 8 jul. 1782; vide Benedict. XIV, *de Synod.*, lib. 13, c. 22, n. 10.

Supponitur præfatam conditionem appositam fuisse ab ambobus contrahentibus; si enim ab uno ponatur altero contradicente aut saltem tacente, censetur prior a conditione recessisse, atque matrimonium absolute contrahere, ut communiter sentiunt canonistæ, juxta Fagnan., c. 7, tit. 5, lib. 4.

Supponitur etiam eamdem conditionem esse in pactum deductam, ita ut, illa sublata, non contraheretur.

4° Si conditio sit de qualitate *accidentali*, vel de aliquo

onere præstando, vel de causa accidentali contractus, non suspendit, nec invalidat contractum, etiamsi non verificetur, nisi ei alligetur consensus, sicque deducatur in pactum, n. 183, 184.

Conditio autem de qualitate *substantiali* suspendit consensum, nullumque reddit matrimonium, si non verificetur, n. 184.

CAPUT III

DE MINISTRO SACRAMENTI MATRIMONII, ET DE BENEDICTIONE NUPTIALI

ARTICULUS PRIMUS

De Ministro Sacramenti Matrimonii.

77. — *Quæritur* quinam circa hoc punctum erronee opinati sint?

Resp. Post supradicta de forma Sacramenti Matrimonii, n. 54, vix ulla remanet difficultas de ministro, sed quædam tantum explanatio superest. Scilicet,

Ante Melchiorem Canum, perantiqua et communis sententia propugnabat ipsos contrahentes, dum formam applicant per consensus acceptationem, n. 57, ministros esse Sacramenti Matrimonii.

At Melchior Canus, qui scripsit an. 1562, contendit contractum ab ipsismet contrahentibus mutuo consensu perfectum, esse materiam proximam Sacramenti Matrimonii ; ministrum autem esse sacerdotem, atque formam esse benedictionem seu formulam, qua conjugibus bene precatur, v. g. : *Ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris*, etc.

Hanc Cani sententiam primo male acceptam, secuti sunt plures præsertim in Gallia ; sed vetus, quæ communior semper remanserat, rursus invaluit ; et hodie ab omnibus propugnatur, propter recentes et iteratas S. Sedis declarationes, quæ veritatem hujus sententiæ manifeste supponunt, etsi directe et expresse eam non definiant. Itaque

PROPOSITIO

78. — *Contrahentes sunt ministri Sacramenti Matrimonii.* Certum est.

Sequitur ex dictis, n. 54. Sed etiam confirmatur 1° *Traditione*. Etenim 1. ex Conc. Trid., n. 18, *vera* et *rata* fuerunt Matrimonia *clandestina*, seu absque præsentia sacerdotis inita, quandiu ea Ecclesia irrita non fecit, scilicet, per impedimentum clandestinitatis : atqui illa eadem matrimonia absque Sacerdote inita, erant vere Sacramentum, ex dictis, n. 46; ergo Sacerdos non est Sacramenti Matrimonii minister, bene vero contrahentes.

2. Eugenius IV, in decreto ad Armenos, docet *causam efficientem* Matrimonii *esse mutuum consensum* per verba de præsenti expressum ; atqui causa efficiens alicujus sacramenti est minister, qui formam materiæ applicat ; ergo ipsi contrahentes, cum per consensum sint causa efficiens Matrimonii, sunt eo ipso ejusdem ministri. Revera Eugenius, licet doctrinam Sacramentorum exponere intenderit, nihil aliud dicit de ministro et forma Matrimonii.

2° *Ratione theol.* Minister Sacramenti Matrimonii idem debet esse ac ille, qui conficit Matrimonii contractum, cum Sacramentum Matrimonii nihil aliud sit, quam contractus matrimonialis inter Christianos validus, ad Sacramenti dignitatem a Christo evectus, n. 39 : atqui soli contrahentes conficiunt contractum per mutuam traditionem et acceptationem consensus ; ergo soli contrahentes sunt ministri Sacramenti Matrimonii.

Revera, omnino decuit, ut jam notatum est n. 54, Sacramentum, quo firmatur et sanctificatur conjugalis societas, in qua civilis, imo et ecclesiastica stant et fundantur, omnibus baptizatis obvium esse ; et Christianos conjuges nullo spatii intervallo, nulla Sacerdotum penuria, nulla rerum publicarum et ecclesiasticarum perturbatione tanto bono privandos.

Sed Ecclesia, ex auctoritate sibi a Christo concessa, providit per clandestinitatis impedimentum et benedictionis nuptialis præceptum, ut temerariæ impedirentur conjunc-

tiones, atque semper Sacramento debitus honor haberetur, et omnium oculis pateret spiritualis illa significatio christiani conjungii, unde Sacramenti dignitatem accepit, ut magis ex dicendis patebit.

79. — *Obj.* 1° S. Paulus sacerdotes exhibet ut *Dispensatores mysteriorum Dei*; id est, Sacramentorum ; I Cor. 4, ℣ 1 ; porro illa regula deficeret, si contrahentes essent ministri Sacramenti Matrimonii ; ergo, etc.

Resp. Nego minor. Subsistit enim regula generalis, licet aliqua ponatur exceptio : porro exceptionem reipsa ponendam esse pro Matrimonio colligitur sive ex omnibus argumentis, quibus fulcitur asserta propositio; sive ex eo quod Sacramentum Matrimonii in multis differre ab aliis agnoscunt omnes.

Aliunde nullum Sacramentum per se requirit sacerdotis actum ; sed ad hoc sufficit res ex se apta ad significandam aliquam sanctitatem, et voluntas Dei rem hujusmodi instituens ad aliquam sanctitatem significandam, et producendam, ex dictis in Tract. *de Sacram. in genere*, n. 18, 19.

80. — *Obj.* 2° Ille est minister Sacramenti Matrimonii, quem ut talem semper perhibuere SS. Patres : atqui SS. Patres nunquam Matrimonium christianorum verum Sacramentum nominarunt, quin simul meminerint sacerdotis in illo ministerio ; ergo, etc.

Resp. Dist. minor. SS. Patres sacerdotem uti ministrum proprie dictum Sacramenti Matrimonii perhibuere, *nego*; uti ministrum benedictionis nuptialis, *conc.* Etenim SS. Patres per benedictionem sacerdotalem sæpe designant totum ritum Sacramenti integraliter sumptum, atque denominant formam a ritu mere accidentali, sicut effectus Sacramenti Pœnitentiæ sæpe tribuunt impositioni manuum, et ipsam gratiam nuptialem impositioni velaminis. Insuper non desunt testimonia in quibus nulla fit mentio de benedictione, v. g., S. Cyrilli, S. Augustini. Aliunde Sacerdotem ministrum vocare potuerunt sive veteres sive recentiores, quia est minister solemnitatis, quatenus nempe Matrimonium sua benedictione, quæ ab Ecclesia præcipitur, confirmat, ut ait Tertullianus.

81. — *Inst.* In lege nova femina non est minister Sacramenti, eo quod hujusmodi ministerium sit participatio quædam sacerdotii viris exclusive a Christo devoluti, ex dictis in Tract. *de Ordine*, n. 53 ; porro, si contrahentes sunt ministri Sacra-

menti Matrimonii, femina per acceptationem consensus sponsi, applicaret formam materiæ, et ideo esset ipsa Sacramenti cominister; ergo contrahentes non sunt hujus Sacramenti ministri.

Resp. Dist. maj. Femina in lege nova non est subjectum sacerdotii, cujus proprium objectum est sacrificii oblatio; *conc.*; non potest esse minister alicujus sacramenti, quod per se nullomodo præsupponit characterem sacerdotalem, *nego.* Revera Baptismus valide confertur a femina; cur ergo et Matrimonii sacramentum a femina confici non potest? Ad hoc profecto per se non requiritur character sacerdotalis, qui ex se confert aliqualem feminæ non convenientem superioritatem et præeminentiam sive ad offerendum sacrificium, sive ad judicandum in foro interno per Sacramentum Pœnitentiæ; et per ejus complementum et supplementum Extremam unctionem; in collatione autem Sacramenti Matrimonii nulla hujusmodi superioritas et præeminentia præsupponitur nec includitur; ergo nihil per se obstat quominus femina sit illius sacramenti cominister.

ARTICULUS II

De Benedictione nuptiali.

82. — *Quæritur* 1° quotuplex sit benedictio sponsis data, et quænam sit præcepto recipienda?

Resp. Duplex est benedictio nuptialis, una quæ datur ante Missam celebrandam, cum, scilicet, præstito ab utraque parte consensu coram parocho et testibus, Sacerdos jubet contrahentes jungere dexteras, atque dicit : *Ego conjungo vos in matrimonium, in nomine Patris † et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.* Et postea aspergit contrahentes aqua benedicta.

Alia vero datur intra Missam, cum, post recitationem orationis Dominicæ, et *Ite Missa est*, celebrans versus sponsum et sponsam recitat orationes in Missali positas, ubi de Missa pro sponso et sponsa. Hujusmodi orationes constituunt benedictionem *nuptialem* simpliciter dictam, seu benedictionem *solemnem*, atque nuptiarum *solemnitatem*.

Porro 1. benedictio quæ datur ante Missam his verbis;

Ego conjungo vos, etc., vel aliis verbis juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum, est pro omnibus de præcepto, ex Conc. Trid., n. 20, et ex constanti Ecclesiæ praxi; atque ideo semper danda est in matrimonio catholicorum. Etsi enim illa benedictio non sit Sacramenti forma, est nihilominus ritus antiquissimus et sacer, a primis Ecclesiæ seculis in Matrimoniis fidelium usurpatus. « Unde sufficiamus, ait Tertullianus, ad enarrandum felicitatem hujus Matrimonii, quod Ecclesia conciliat et confirmat oblatio, et obsignat *benedictio?* »

Revera, apud omnes populos viguit opinio quod Matrimonium sit aliquid divinum et religione consecrandum. Sic apud ipsos paganos matrimonium Pontifices spectabat, ex Tacito et Dione, nec sine sacrificiis ac religionis cæremoniis nuptiæ celebrabantur. Sic, apud Judæos, Raguel tradens Tobiæ filiam suam in Matrimonium, apprehensa utriusque manu, dixit : *Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob vobiscum sit, et ipse conjungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis;* Tob. 7, ℣ 15. Similis reliogiosus ritus, mediante cultus ministro, servatur apud varios populos christianos.

« Cum matrimonium habeat Deum auctorem, ait Leo XIII, Encycl. *Arcanum*, fueritque vel a principio quædam Incarnationibus Verbi Dei adumbratio, idcirco inest in eo *sacrum* et *religiosum quiddam*, non adventitium, sed *ingenitum*, non ab hominibus acceptum, sed *natura insitum*. Quocirca Innoc. III et Honorius III, non injuria, nec temere affirmare potuerunt, apud fideles et *infideles* existere *sacramentum conjugii*.

« Testamur et monumenta antiquitatis, et mores atque instituta populorum, qui ad humanitatem magis accesserant, et exquisitiore juris et æquitatis cognitione præstiterant : quorum omnium mentibus informatum anticipatumque fuisse constat, ut cum de matrimonio cogitarent, *forma occurreret rei cum religione et sanctitate conjunctæ*. Hanc ob causam nuptiæ apud illos *non sine cæremoniis religione, auctoritate Pontificum, ministerio sacerdotum* fieri sæpe consueverunt. Ita magnam in animis cœlesti doctrina

carentibus vim habuit natura rerum, memoria originum, conscientia generis humani! [1] ».

An *gravis* sit obligatio recipiendi præfatam benedictionem, alii negant, inter quos Sanchez, Salmant., Bonacina, Pontius, tum quia materia non est gravis, cum ea verba non sint materia Sacramenti, nec pertineant ad solemnitatem magni momenti, nec includant aliquod mysterium magnæ significationis; tum quia, etsi Conc. Trid. utatur verbis præceptivis, sub eodem præcepto continentur alia magni momenti, nempe, ut præmittantur denuntiationes, et ut Matrimonium celebretur coram parocho et testibus. Ita Sanchez, lib. 3, disput. 38, n. 7.

Alii vero putant probabilius gravem esse laudatam *obligationem*, tum quia agitur de re sacra, et quidem maximi momenti; tum quia illam praxim multam commendavit tota antiquitas, nec minus eam urget uberioris benedictionis necessitas ad tanta Matrimonii onera per totam vitam sustinenda. Ita S. Ligor., n. 899, 1094, Carrière, n. 115.

An peccet mortaliter sacerdos qui matrimonium benedicit in statu peccati mortalis, affirmat Carrière, n. 116, quia ob rationes jam allatas, gravis adest irreverentia. Negant Sanchez, S. Ligor., n. 899, et ii omnes qui putant præfatam benedictionem sub mortali non præcipi. Hæc sententia omnino probabilior et satis tuta nobis videtur.

2. Secunda autem benedictio, quæ dicitur proprie *nuptialis, solemnis,* semper danda est, quoties non prohibetur,

1. « Tous les peuples, ait Portalis, *Cod. et Motifs*, t. 2, p. 222, ont fait intervenir le ciel dans un contrat qui doit avoir une si grande influence sur le sort des époux, et qui, liant l'avenir au présent, semble faire dépendre leur bonheur d'une suite d'évènements incertains, dont le résultat se présente à l'esprit comme le fruit d'une bénédiction particulière. C'est dans de telles occurrences que nos espérances et nos craintes ont toujours appelé les secours de la religion, établie entre le ciel et la terre, pour combler l'espace immense qui les sépare. » — « Quiconque croit en Dieu, croit aussi que le Mariage est une de ses lois les plus précieuses pour la consolation de la vie humaine. On éprouve le besoin d'élever son âme vers le Créateur au début de ce grand acte, qui va fonder une famille nouvelle et ajouter un anneau à la chaîne infinie de la création. De là ces rites si divers, qui, au milieu de leur diversité, attestent le consentement universel du genre humain pour solenniser le mariage. » Troplong, *Mémoire sur l'esprit démocratique dans le Code civil*. Vide Carrière, n. 537.

etiam iis, qui diu jam in matrimonio vixerunt, ex decis. S. Officii 31 aug. 1881.

An vero mortale sit illam benedictionem omittere, negatur communiter, cum hæc cæremonia non ita universaliter sit recepta; sed eam adhibere valde præstat ad uberiores fructus percipiendos.

Attamen hæc benedictio non datur, sed omittitur duplex illa oratio, si mulier sit vidua et jam benedictionem illam in aliis nuptiis acceperit, vel ab Adventu Domini nostri Jesu Christi usque in diem Ephiphaniæ, et a feria quarta Cinerum usque in octavam Paschatis inclusive, n. 162; item probabilius, si, conjungibus jam benedictis, postea detegatur nullum fuisse conjugium; quia benedictio primario respicit personas.

83. — *Quæritur* 2° an benedictio *solemnis* seu *nuptialis* possit abstrahi a celebratione Missæ, et qualis Missa dicenda sit?

Resp. 1. Non licet dare benedictionem nuptialem, quæ, scilicet, in duplici præfata oratione consistit, extra Missam. Constat tum ex Rituali Romano, ex quo *benedictio nuptiarum non potest nisi inter Missarum solemnia fieri;* tum ex decis. S. Congreg. Rit., 31 aug. 1872, S. Officii 31 aug. 1881.

2. Missa pro nuptiis assignata dicenda est, et quidem, uti decrevit Prius VII, 3 mart. 1818, sine *Gloria* et *Credo*, præter Dominicas, festa de præcepto, duplicia 1ª et 2ª classis, totam octavam Epiphaniæ et SS. Corporis Christi, vigiliam Pentecostes, tempus Adventus et Quadragesimæ. Ita S. Congreg. Rit., 3 mart. 1818, 20 apr, 1822 [1].

Quibus vero diebus dici non potest Missa pro sponso et sponsa, addatur ex illa Missa commemoratio pro sponsis per collectam, secretam et postcommunionem. Hæc commemoratio omittitur tempore Adventus et Quadragesimæ. Ita ex decis. S. Congreg. Rit., 31 aug. 1839.

1. Missa pro sponso et sponsa dicitur cum colore albo, et cum tribus orationibus, scilicet, prima ejusdem Missæ votivæ propria; secunda de eo de quo factum est officium; tertia, quæ aliunde dicenda foret secundo loco in Missa de officio.

Si mulier sit vidua, et jam in aliis nuptiis solemnem benedictionem acceperit, non solum omitti debet benedictio solemnis, sed etiam Missa pro sponso et sponsa, ex decis. S. Congreg. Rit., 3 mart. 1761. Sed tunc fit tantum commemoratio pro sponsis.

In nullo casu Sacerdos tenetur Missam ipsis sponsis applicare, nisi ab iisdem eleemosynam accipiat, uti declaravit S. Congreg. Inquisit., 1 sept. 1841.

Nulla ex supradictis benedictionibus dari potest ab aliquam a proprio Parocho, vel de ejus licentia, et quidem sub pœna suspensionis ipso facto latæ, ut statuit Conc. Trid., n. 22.

Tandem prohibetur et reprobatur usus veli albi explicandi super sponsos, ex decis. S. Congreg. Rit., 7 sept. 1850.

CAPUT IV

DE EFFECTIBUS SACRAMENTI MATRIMONII

Inter effectus Sacramenti Matrimonii, alii spectant ipsam contrahentium animam, alii autem ipsum Matrimonii contractum. Itaque duplex erit articulus.

ARTICULUS PRIMUS

De effectibus Sacramenti Matrimonii, qui spectant contrahentium animam.

PROPOSITIO

84. — *Sacramentum Matrimonii contrahentibus confert gratiam sanctificantem, non primam, sed secundam, fini Matrimonii inter Christianos propriam.*

Et quidem 1° *gratiam sanctificantem.* De fide est. Ex dictis enim in Tract. *de Sacram. in genere*, n. 63, omnia Sacramenta novæ legis conferunt ex opere operato gratiam sanctificantem omnibus non ponentibus obicem. Sed insuper hoc de Matrimonio expresse sic definivit Conc. Trid., n. 5 : « Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicæ Sacramentis.

neque *gratiam conferre :* anathema sit : » porro gratia simpliciter et sine addito est gratia sanctificans; ergo Matrimonii Sacramentum confert gratiam sanctificantem.

2° *Non primam, sed secundam.* Certum est. Namque, ex dictis in Tract. *de Sacram. in genere,* n. 65, duo tantum Sacramenta, scilicet, Baptismus et Pœnitentia, ex primaria institutione, conferunt primam gratiam sactificantem ; et ideo Matrimonium est sacramentum vivorum, atque per se præsupponit sponsos esse in statu gratiæ, et in eis producit secundam tantum gratiam, qua augentur ac perficiuntur in sanctitate. Revera, quomodo sponsi in statu peccati mortalis purissimam Christi et Ecclesiæ unionem referrent, aut in tanta morum dissimilitudine essent expressa divini istius exemplaris imago?

An vero gratia prima per accidens conferatur conjugibus, qui ex bona fide et inculpabiliter putantes se esse justificatos, etsi non sint, ad hoc Sacramentum accedunt cum attritione tantum, an etiam idem Sacramentum in conjugibus, qui illud indigne receperunt, suum postea, recedente obice, sortiatur effectum, jam expendimus in Tract. *de Sacram. in genere,* n. 66, 79.

3° *Fini Matrimonii inter christianos propriam,* et ideo cum *jure* ad auxilia huic fini accommodata, et tempore opportuno concedenda.

Ex dictis enim in Tract. *de Sacram. in genere,* n. 68, gratia per Sacramenta collata ordinatur ad finem unicuique Sacramentorum proprium. Porro, ex Conc. Trid., n. 3, triplex est finis Sacramento Matrimonii proprius, nempe, perficere amorem inter conjuges, sanctificare procreationem et educationem prolis, concupiscentiam coercere.

Et quidem 1. *perficere amorem inter conjuges.* Sicut enim Christus quotidie mundat, nutrit et fovet Ecclesiam, non obstantibus vitiis membrorum ejus : ita christiani conjuges, ut unionem Christi cum Ecclesia perfecte repræsentent, mutuo sese fovere debent, viri uxores infirmiores diligere *ut corpora sua,* uxores viris adhærere ut membra suo capiti a quo licet ægro separari summopere formident : « Conju-

ges necesse est sic esse animo semper affectos, ut amorem maximum, constantem fidem, solers assiduumque præsidium alteri alterum debere intelligant. Vir est familiæ princeps, et caput mulieris; quæ tamen, quia caro est de carne illius et os de ossibus ejus, subjiciatur pareatque viro, in morem non ancillæ, sed sociæ; ut scilicet obedientiæ præstitæ nec honestas, nec dignitas absit. In eo autem qui præest, et in hac quæ paret, cum imaginem uterque referant alter Christi, altera Ecclesiæ, divina charitas est perpetuo moderatrix officii. » Leo XIII, Encycl. *Arcanum*.

Porro ad hujusmodi amorem perficiendum, indissolubilem unitatem confirmandam, mutuasque infirmitates sive animæ sive corporis benigne et amanter perferendas, confertur gratia Matrimonio propria, ut expresse docet S. Paulus, Eph. 5, et evincitur ex ipso fine hujus Sacramenti.

2. *Sanctificare procreationem et educationem prolis.* Namque Christus non alio fine conjunctus est Ecclesiæ, quam ut ex divino illo conjugio nascerentur filii Dei adoptivi, eosque ad gloriam adduceret; ergo, cum christianorum nuptiæ a Christo sint institutæ uti sacrum hujusce fecundissimæ unionis signum, sacramentalis Matrimonii gratia fit ut conjuges prolem quærant, quæ, per regenerationis Sacramentum mundata, in Dei timore et sancta conversatione educetur, crescat, proficiat, et ad æternam felicitatem perveniat. « *Nascituris* gratia præparatur, quando Matrimonium, quod est aditus ad hanc vitam, *benedicitur*, » ait S. Cyrill. Alex. Et hinc communiter docent Theologi signum esse et effectum prædestinationis, quod quis nascatur in familia bene morata et religiose administrata.

« In liberis tuendis atque ad virtutem potissimum informandis omnes parentum curas cogitationesque evigilare necesse est: *Patres educate illos in disciplina et correptione Domini;* Eph. 6, v. 4. Ex quo intelligitur, nec pauca esse conjugum officia, neque levia; ea tamen conjugibus bonis, *ob virtutem quæ sacramento percipitur*, non modo tolerabilia fiunt, *verum etiam jucunda.* » Leo XIII, *ibid.*

3. *Coercere concupiscentiam*, ut conjuges amore casto se

diligant. Christus enim castissimo amore diligit Ecclesiam; et ideo conjuges, cum sint hujusmodi dilectionis sacra vivaque imago, ex illo Sacramento gratiam haurire necesse est, ne quasi obruantur spumantibus concupiscentiæ fluctibus, sed ut *honorabile sit eorum connubium in omnibus, et thorus immaculatus*, Hebr. 13, ỳ 4; et ita, contra concurrentes carnis tribulationes et illecebras firmati charitate conjugali, quæ ut mors fortis est, Cant. 8, invincibiliter servent honestatem, et decus christiani conjugii, ne quid impudenter fiat, neve thorus maritalis ullius peccati labe contaminetur.

Quam autem maximi momenti sit hujusmodi gratia, norunt illi, quibus ex altissima humanæ naturæ infirmitate et universali experientia constat *castitatem conjugalem perfecta continentia esse difficiliorem*. « Ubi enim castitas in majori periculo esse potest, quam juxta incentivum libidinis, scilicet, ubi vir juxta uxorem, et uxor juxta virum? Unde, quia conjunctio maris et feminæ proxima est contaminationi libidinis ac vicinissima, et sola virtute divina superabilis, nullum opus est magis adjuvandum, magisque muniendum oratione et sacramentali gratia. » Guillel. Paris., *de Matrim.*, c. 7.

« Religione christiana semota ac rejecta, redigi nuptias oportet in servitutem vitiosæ hominum naturæ et pessimarum dominarum cupiditatum, honestatis naturalis parum valido defensas protrocinio. » Leo XIII, *ibid.*

Non mirum igitur quod tot conjuges ad hoc Sacramentum omnino indispositi accedentes, postea *vas suum non possideant in sanctificatione et honore, sed in passione desiderii, sicut gentes, quæ ignorant Deum*; I Thess. 4, ỳ 4, 5; atque haud raro Deus eos plectat, etiam in præsenti vita, extinctione familiæ, prole male morigerata, insuperabilibus et infelicissimis dissidiis, infirmitatibus præproperis, improvisa morte, aliisve calamitatibus.

Nec minus bono Ecclesiæ et societatis civilis interest illa sacramentalis gratia. Ex parentibus enim qui, ope illius gratiæ, libidinis insanias compescunt, nec conveniunt nisi posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen Dei sanc-

Christus in Evangelio, approbarunt Apostoli : atqui ita est de Matrimonio. 1. Deus in statu innocentiæ Matrimonium instituit, ut legitur Genes. 1, ℣ 27, 28, et 2, ℣ 24. — 2 Illud confirmavit Christus, Matth. 19, ℣ 4, ubi memorans verba Genesis modo indicata, sic concludit : *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet;* et Joan. c. 2, ipse Christus ad nuptias invitatus, illas eo splendidiori miraculo commendavit, quod omnium primum foret. 3. Approbarunt Apostoli ; Heb 13, ℣ 4. S. Paulus Matrimonium vocat *honorabile connubium ;* et I ad Cor. 7, ℣ 38, ait : *Qui Matrimonio jungit virginem suam, bene facit.* Imo et I ad Tim. 4, ℣ 1 et seqq., *doctrina prohibentium nubere* ab eodem Apost. inter *doctrinas dæmoniorum* computatur.

2° *Traditione.* Ecclesia enim honestatem Matrimonii contra detractores semper vindicavit, ut constat ex SS. Patribus qui hæreticos supra memoratos impugnaverunt, et ex decretis Conciliorum, quæ eosdem profligarunt. Vide Drouin, lib. 9, q. 2, c. 1.

3° *Ration. theol.* Matrimonium inter christianos est, ex divina institutione, signum unionis Christi cum Ecclesia, atque gratiæ sanctificantis productivum : porro ad tale signum sane Christus non elegit rem ex se malam ; ergo Matrimonium ex se non est malum, sed honestum.

Aliunde, propagatio generis humani non est quid ex se malum, nec ideo malum est unicum medium ad illam : atqui, in præsenti rerum statu, Matrimonium est unicum medium ad illam propagationem ; ergo non est quid ex se malum, sed honestum.

88. — *Obj.* I ad Cor. 7, ℣ 6, Matrimonii usum concedit Apostolus *secundum indulgentiam ;* porro quod per indulgentiam conceditur, de se malum est; ergo, etc.

Resp. 1. Ex jam dictis, constat Apostolum Matrimonium habuisse tanquam simpliciter *bonum et honorabile;* si ergo Matrimonii usum de se malum diceret, jam ipse secum manifeste pugnaret, quod profecto supponi nequit. 2. Ideo *secundum indulgentiam* Matrimonii usum Corinthiis concedit Apostolus, quia usus ille est aliquid minus perfectum quam ipsa continentia, ut satis indicatur ex iis quæ statim subjun-

it, ℣ 7 : *Volo enim omnes vos esse sicut meipsum; sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic.*

89. — *Inst.* Illud certe malum est, per quod transfunditur peccatum originale : atqui peccatum originale per Matrimonium transfunditur; ergo, etc.

Resp. Dist. major. Illud est, etc., per quod originale peccatum transfunditur ex natura sua, *conc.* : per accidens, *nego.* Itaque peccatum originale ex natura Matrimonii non transfunditur, « cum nuptiæ essent, etiamsi nemo peccasset, » inquit S. August. lib. 1, *de Nupt. et Concup.* Si vero accidentaliter per matrimonium transfundatur peccatum originale, illud in Adamum solum, non autem in personas nuptas rejiciendum est; *quæ si honeste conjugio utantur, actum virtutis eliciunt.* Vide Tract. de Gratia, n. 234, 235.

PROPOSITIO II

90. — *Virginitas pro Deo suscepta Matrimonio excellentior est.* De fide est.

Prob. 1° *Script.* Matth. 19, ℣ 10, postquam Christus Apostolis declaravit Matrimonii indissolubilitatem, reponunt isti : *Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere;* quorum sententiam comprobans Christus addit : *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est;* ergo non nubere donum Dei est adeo perfectum, ut pauci illud capiant. — I Cor. 7, ℣ 38 : *Qui Matrimonio jungit virginem suam, bene facit, et qui non jungit, melius facit;* cujus rationem jam attulerat, ℣ 34 : nam *mulier innupta et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu; quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.*

2° *Traditione.* Tertull., lib. 1 *ad uxorem;* S. Ambr., lib. 1, *de Virginibus;* S. Aug., lib. *de sancta Virginitate;* Hier., in duobus libris *contra Jovinianum,* etc., virginitatis excellentiam propugnant. S. Cypriani testimonium referre sufficiat, lib. de habitu Virginum, ubi sic virgines miro extollit encomio : « Flos est ille, inquit, ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis..., Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis

At vero virginitatis status tanto hujusmodi remedio non indiget; per se enim felicius procedit; a plerisque periculis immunis est; multiplici gratia juvatur, eo quod ad angelicam vitam propius accedat; demum ipsius vitæ Christi signum est atque exemplar. Unde sub omni respectu status virginitatis Matrimonio anteponendum est.

§ II

De unitate Matrimonii.

94. — *Quæritur* in quonam consistat Matrimonii unitas et an ei adversentur polyandria et polygamia ?

Resp. 1. Unitas Matrimonii est conjunctio unius viri cum una femina. Tali unitati adversari possunt *polyandria* et *polygamia* : prior est conjunctio unius uxoris cum pluribus viris; posterior est conjunctio unius viri cum pluribus uxoribus. Utraque potest esse simultanea vel successiva, prout conjunctio unius uxoris cum pluribus viris, aut unius viri cum pluribus uxoribus fit simul vel successive.

2. Jam vero polyandria *simultanea*, qua nempe eadem uxor simul pluribus viris conjungeretur, repugnat juri naturali saltem secundario, quia repugnat sive generationi prolis, cum experientia constet tales mulieres esse infæcundas, sive educationi prolis, cum incertum redderet patrem, sive subjectioni naturaliter a muliere viro debitæ. Quare ethnici ipsi solo rationis lumine illustrati, velut abominandam turpitudinem ac naturæ adversantem polyandriam simultaneam exsecrati sunt. Aliunde non minus repugnat mysticæ significationi, cum Ecclesia unicum sponsum Christum habeat.

Igitur agendum superest 1° de successiva polyandria et polygamia ; 2° de simultanea polygamia.

NUMERUS PRIMUS

De successiva Polyandria et Polygamia.

95. — Quæstio est, scilicet, an secundæ et ulteriores nuptiæ sint licitæ. Negarunt Montanistæ, quibus se adjunxerunt Tertullianus, et postea Novatiani. Græci schismatici olim docuerunt quartas nuptias jure divino esse prohibi-

tas ; jam nunc vero tenent illam prohibitionem penes ipsos esse tantum jure ecclesiastico. Itaque

PROPOSITIO

96. — *Secundæ et ulteriores nuptiæ sunt licitæ.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* Dicitur enim, I Cor. 7, ℣ 39, « Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit : quod si dormierit vir ejus, *liberata est; cui vult nubat*, tantum in Domino. » Idem docetur, I Tim. 5, ℣ 14. Quod autem dicitur de muliere, verum est quoque de viro, ut per se patet.

2° Traditione. S. Ambr., lib. *de Viduis*, 11 : « Non prohibemus inquit, secundas nuptias, sed non probamus sæpe repetitas : non enim expedit quidquid *licet*. » Idem docet Conc. Laodicenum, can. 1 ; et Conc. Florent. errorem Græcorum perstringens, declarat « non solum secundas, sed etiam tertias et quartas, atque ulteriores nuptias, si aliquod impedimentum non obstet, *licite* contrahi posse. »

3° *Ration. theol.* Si iteratæ nuptiæ essent prohibitæ hoc vel jure naturali, vel jure divino, vel jure ecclesiastico : atqui nihil horum dici potest. Non 1um; nihil quippe in iteratis nuptiis occurrit, quod fini et naturæ Matrimonii repugnet. Non 2um et 3um, cum e contra Evangelica et Ecclesiastica lex iteratas nuptias potius permittat, ut modo vidimus; ergo, etc.

97. — Ad ea quæ ex SS. PP. et Conc. opponuntur, non difficilis est responsio, modo ad sequentia attendatur. 1° Quidam SS. PP. de polygamia *simultanea* intelligi possunt, aut saltem de successiva, per divortium.

2° Plures alii more oratorum de Polygamia paulo durius locuti sunt : ita S. Hieronymus, qui tamen cum a Joviniano accusatus fuisset quod iteratas damnaret nuptias, et hujus erroris suspicionem repelleret, sic ad Pammachium scribit Epist. 50 : « Non damno bigamos, imo nec trigamos, et si sic dici possit, octogamos. »

3° Ex nonnullis Canonibus SS. PP. et Concil. præsertim Ecclesiæ Græcæ, qui bigamos pœnitentiæ publicæ addixerant, inferri nequit iteratas nuptias ab Ecclesia tanquam *per se* malas reprobatas esse ; sed in illis castigatam duntaxat fuisse

immoderatam, ex qua ut plurimum procedunt, libidines « Secundæ nuptiæ, inquiebat Theodorus Studites, tametsi permittantur, pœna castigantur. »

NUMERUS II

De Polygamia simultanea.

98. — *Quæritur* quinam sint circa hoc punctum præcipui errores?

Resp. 1. Juxta plures, inter quos Durandus, Maldonatus, Simonnet, Schwarz, P. Merlin, simultanea polygamia non repugnat ullomodo juri naturali, nec ideo Patriarchæ ad hoc indiguere dispensatione.

2. Juxta Calvinum, Baylium, post Manichæos, simultanea polygamia adeo juri naturali repugnat, ut excusari nequeant veteres Patriarchæ.

Tandem Lutherus asserere ausus est polygamiam contrariam non esse primævæ institutioni, nec legi evangelicæ. Contra sit

PROPOSITIO PRIMA

99. — *Polygamia simultanea adversatur juri naturali, sed solum secundario, nec modo absoluto.* Ita communiter.

Et quidem 1° *adversatur juri naturali.* Hoc enim juri naturali contrarium est, quod impedit reciprocam debiti redditionem, quod jura uxoris lædit, quod pacem domesticam perturbat, et nocet prolis educationi et generationi ipsi : atqui ita est de polygamia simultanea.

Et profecto 1. impedit reciprocam debiti redditionem, et æqualitatem contractus. Namque, sicut corpus uxoris est in viri potestate, ita corpus viri in potestate uxoris *est* : atqui, posita polygamia simultanea, jam vir inter plures uxores divisus est, dum istæ uxores sunt pro uno *viro* : ergo æqualitati contractus et reciprocæ redditioni debiti repugnat uxorum pluralitas. Sed etiam

2. Juribus uxoris contraria est, quæ non tantum assumitur in *consortium tori*, verum etiam in *societatem gubernationis familiæ* ; unde uxori competit quidam principatus in familia cui obstat polygamia.

3. Polygamia pacem domesticam perturbat, maximeque nocet congruæ prolis educationi, imo et generationi, ut facile parum attendenti patebit, et experientia hodierna constat apud orientales Mahumetanos; ergo obstat finibus Matrimonii, et ideo juri naturali.

Unde Bened. XIV : « Quamvis, inquit, singularis hæc eorum opinio (quam impugnamus), dici non possit a Conc. Trid. fuisse proscripta, censuram tamen non fugit doctrinæ improbabilis et alienæ a communi sententia aliorum Theologorum. » *de Synod.*, lib. 13, c. 31, n. 9.

Exinde etiam infertur polygamiam qualis viguit et viget adhuc apud quosdam populos infideles, certo adversari juri naturali, cum tota sit ex libidine, vix ullis coerceatur limitibus. et innumera secum inducat incommoda.

2° *Sed solum secundario, nec modo absoluto,* tum quia hic agitur de re non in *essentia* rerum fundata, tum quia *per se* polygamia non impedit *omnino,* sed tantum moraliter finem primarium, nec etiam omnes secundarios fines Matrimonii. Unde graviora ejus incommoda Deus, speciali providentia, avertere posset; ac proinde ab illa lege dispensare, sicut revera dispensasse veteres Patriarchas mox dicemus.

PROPOSITIO II

100. — ***Polygamia simultanea contraria est institutioni primævæ Matrimonii, prohibita fuit ante diluvium, licita Patriarchis et Judæis sub lege mosaica.***

Et quidem 1° *contraria est institutioni primævæ Matrimonii.* Certum est. Constat verbis Gen. 2, ỳ 24, quæ Matth. 19, ỳ 5, ab ipso Christo tanquam ipsius Dei verba, referuntur : *Dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Adhærebit,* inquit, *uxori suæ,* non uxoribus suis; et *erunt duo,* non vero *tres*, ait Tertull., *de exhort. castitatis,* c. 5; « alioquin non jam una caro, nec duo in carne una. » Illa verba in eodem sensu interpretatur Conc. Trid., n. 1. Idem confirmatur ex statim dicendis.

2° *Prohibita fuit ante diluvium.* Hoc non est omnino cer-

tum, quia non ita constat Deum præcepisse ut Matrimonium in statu suæ institutionis permaneret. Attamen verisimiliter deducitur 1. tum ex ipsa institutione : probabile est enim legem et voluntatem Dei fuisse huic consentaneam ; 2. tum ex SS. Patribus, qui reprehendunt *Lamech* eo quod omnium primus duas accepisset uxores : ita Tertullianus, S. Hieron., etc. ; 3. tum ex SS. Pontificibus *Nicolao* I et Gregorio IX, qui dicunt : « Lamech adulterii flagitium perpetrasse in duabus uxoribus, et sanguinarium factum esse, dum uxorem suam in duas divisit ; » et ex Innoc. III, qui docet « nulli unquam licuisse insimul plures uxores habere, nisi cui divina revelatione fuit concessum. » 4. Tum denique ne putarent homines polygamiam esse primævam matrimonii constitutionem, ideoque ipsa monogamia perfectiorem.

3° *Licita fuit Patriarchis, et Judæis sub lege mosaica, Patriarchis* quidem. Abraham enim et Jacob, testante Scriptura, plures simul uxores habuerunt, et tamen nullibi vel levissime, hac de re vituperantur ; quin e contra ubique in Scripturis laudantur tanquam viri sanctissimi, Deoque valde accepti ; ergo polygamia, Deo dispensante, veteribus Patriarchis fuit licita. Idem docent SS. Patres, inter quos S. Chrysost., S. Hieron., S. August.

Judæis etiam *sub lege mosaica*, ut constat tum ex Deuter. 21, ✝ 16 et seq., tum ex praxi Sanctorum, v. g., *Elcana*, David, qui maxime pietate insignes, plures simul habuere uxores, nec tamen hac de re reprehenduntur. Vide de Angelis, lib. 4, tit. 4, n. 4.

Cæterum, Moyses non introduxit polygamiam, sed eam in usu invenit, et licitam supposuit, atque variis modis coercuit, tum ut minus frequens redderetur, tum ut vitarentur incommoda, quæ exinde consequi possunt. Vide Guénée, 4e p., *lettre* 8.

Juxta SS. Patres, dispensationis hujus ratio duplex fuit : altera manifestior, nempe, infirmitas naturæ humanæ et legis mosaicæ ; altera latentior, scilicet, significatio futurorum mysteriorum ; nam illi Patriarchæ non solum in verbis, sed in gestis prophetæ fuerunt. Quid porro significent

uxores Abrahæ et Jacob, necnon aliarum quorumdam, ut Davidis et Salomonis, vide apud Scripturæ interpretes.

101. — *Quæritur* autem an illa dispensatio data fuerit non solum Judæis, sed et ipsis gentilibus?

Resp. Controvertitur. Quidam Theologi negant, inter quos Sanchez, lib. 7, disp. 80, n. 13, Estius, Drouin. Alii vero communius affirmant, inter quos Bellarm., Simonnet, Collet, Billuart, Sardagna, de Angelis, *ibid*. Revera, Esau, extraneus populo Dei, plures duxit uxores; Esther conjuncta est Assuero jam uxorem habenti : porro nec Esau, nec Esther hac de re in Scriptura reprehenduntur. Aliunde, apud Gentiles magis etiam infirma fuit natura humana, atque præfigurari potuit conjunctio multorum populorum ad unum Christum.

PROPOSITIO III

102. — *Non licet Christianis plures simul habere uxores et hoc lege divina prohibitum est*. De fide est.

Constat 1° *Script*. Sciscitantibus Pharisæis si licet homini dimittere uxorem suam quacunque ex causa, Christus respondit, Matth. 19, ℣ 4 et seq. : « Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos, et dixit ; *Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro*. Voluit proinde Christus ut Matrimonium jam sit unius cum una, sicut ab initio.

Et hoc expressius etiam declarat his verbis, *ibid*. ℣ 9 : *Quicunque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, mœchatur* : porro, si mœchatur qui alteram ducit, quia prior in rei veritate non desinit esse uxor, a fortiori mœchatur qui, priore uxore retenta, aliam ducit ; ergo Christus abrogavit polygamiam simultaneam.

2° *Traditione*. Doctrina SS. Patrum et Conciliorum atque Ecclesiæ praxis adeo constans est et unanimis, ut nullum ex adverso proferri possit testimonium. Unde Conc. Trid., n. 6, rem sic definivit : « Si quis dixerit, licere *christianis*

plures simul habere uxores, et hoc *nulla lege divina esse prohibitum* : anathema sit. »

3° *Ration. theol.* Matrimonium inter christianos est signum et quidem perfectum conjunctionis unius Christi cum una Ecclesia : atqui hoc signum non esset perfectum, si matrimonium inter christianos esset unius viri cum pluribus feminis ; ergo in nova lege matrimonium non est nisi inter unum virum et unam mulierem. Aliunde, ad illam unitatem perfectamque significationem perficiendam, Christus ipsi signo alligavit gratiam ex opere operato producendam.

103. — Hinc 1° Matrimonium cum secundo conjuge, vivente priori, non solum illicitum est, sed etiam invalidum. Etenim, vir qui tale init conjugium, *mœchatur*, inquit Christus : porro, si validum esset hujusmodi conjugium, uterque peccaret quidem nubendo, sed neuter mœchiæ seu adulterii reus foret, utens Matrimonio.

104. — Hinc 2° polygamia simultanea est *etiam infidelibus* prohibita. Certum est.

Etenim 1. verba Christi ad omnes prorsus extenduntur, ut patet ex voce *quicunque*. 2. Ubi infidelis polygamus ad fidem convertitur, solam retinere debet uxorem, quam primam legitime sibi conjunxerat, ex decisione Innoc. III, cap. *Gaudemus, de divort.* : atqui tamen nec conversio ad fidem, nec baptismus solvit conjugia, ut docet ipse Innoc. III, *ibid.*; ergo polygamia simultanea est etiam infidelibus prohibita.

Aliunde, Christus, ut uxorum pluralitatem tolleret, legem proprie dictam non condidit, sed solum cassavit dispensationem, ex qua sola licita erat illa polygamia, n. 101. Qua autem dispensatione sublata, eo ipso illicita evasit uxorum pluralitas tum ex jure naturali, n. 99 ; tum ex primæva matrimonii institutione, n. 100 ; tum etiam ex lege evangelica, quæ utpote in hoc casu irritans, obligat ipsos infideles ex communi Theologorum doctrina. Vide Tract. *de Bapt.*, n. 34, 35 ; Carrière, n. 184. Unde intelli-

gitur quomodo illa prohibitio obligare possit ipsos infideles etiam ante Baptismum. Vide Sanchez, lib. 7, disp. 80, n. 14.

§ III

De Matrimonii indissolubilitate.

105. — *Quæritur* quotuplici modo dissolvi possit Matrimonium?

Resp. Sub triplici respectu dissolvi potest Matrimonium, scilicet, vel quoad *vinculum* seu nexum inter conjuges; vel quoad *torum* seu jus ad usum; vel quoad *habitationem* seu jus ad individuam vitæ societatem et mutua officia. Dissolutio quoad vinculum dicitur *divortium;* dissolutio autem quoad torum aut habitationem nomine *separationis* vulgo apud nos intelligitur.

Itaque expendemus utrum matrimonium sit indissolubile 1° quoad vinculum, 2° quoad torum et habitationem.

NUMERUS PRIMUS

De Matrimonii indissolubilitate quoad vinculum.

Quæstio expendi potest quoad jus naturale, et quoad jus divinum. Unde duplex erit punctum.

PUNCTUM PRIMUM

De indissolubilitate vinculi Matrimonialis ex jure naturali.

106. — *Quæritur* quid de hujusmodi indissolubilitate senserint auctores profani et Theologi?

Resp. Omnes seculi decimi sexti novatores post Lutherum, sed etiam seculi decimi octavi increduli, in Gallia legislatores in comitiis 20 sept. 1792, novissimis etiam hisce diebus athei, positivistæ, naturalistæ, secta præsertim Massonum, divortium ostendunt uti respondens naturæ humanæ juribus; ita ut indissolubilitas matrimonii sit injustitia, sicut pro iisdem proprietas est furtum; et exinde via patet ad execratum systema *liberi amoris,* seu « ad conjunctiones instabiles et fluxas, quas libido conglutinet, et eadem mutata dissolvat, atque ideo more pecudum genus humanum cum ignominia et dedecore ad inte-

ritum impellatur, » ut ait Leo XIII, Encycl. *Humanum genus*, 20 apr. 1884.

Alii divortium perhibent uti malum quidem in se, sed nihilominus, spectatis conditionibus societatis, uti moraliter necessarium ad majora mala præcavenda, quæ, eo non admisso, societatem vexarent.

Contra quos omnes Doctores catholici ostendunt *veniam legalem divortii* esse destructivam vinculi familiæ, et ideo vere oppositam ordini societatis, noxiam moralitati populorum, bono scietatis regimini, ac dictamini religionis christianæ.

Attamen, non consentiunt inter se Doctores catholici an omnimoda Matrimonii indissolubilitas ex ipso jure naturali consequatur, licet, juxta omnes, illo jure innitatur. Itaque

PROPOSITIO

107. — *Indissolubilitas Matrimonii, præsertim consummati, jure naturali innititur*. Certum est.

Prob. 1° *consensu populorum* et *experientia*. Constat enim apud eos etiam populos, quibus lex permisit divortium, huic semper inustam fuisse quamdam ignominiam in existimatione communi. Imo apud Romanos, ab Urbe condita quingentis et eo amplius annis, repudium inter uxorem et virum nullum intercessit, teste Valerio Maximo, lib 2, c. 1. « Nam primus, inquit, Spurius Carvilius uxorem, sterilitatis causa, dimisit; qui quamquam tolerabili causa motus videbatur, *reprehensione* tamen *non caruit*, quia ne cupiditatem quidem liberorum conjugali fidei præponi debuisse arbitrabantur. » Porro hujusmodi existimatio adeo constans et universalis, quæ certe non provenit ex præjudiciis aut cupiditatibus, oriri nequit nisi ex aliqua divortii repugnantia juri naturali; ergo jure naturali innititur Matrimonii indissolubilitas.

2° *Ratione*. Repugnat divortium juri naturali, si contrarium sit æqualitati contractus matrimonialis, Matrimonii finibus, et bono societatis : atqui ita est; ergo, etc.

Et quidem 1. divortium contrarium est *æqualitati con-*

ractus matrimonialis. Soluto enim contractu per divortium, mulier pejoris conditionis efficitur quam vir, cum notum sit mulierem jam nuptam, et præsertim dimissam, despectam esse, et vix invenire qui eam ducere velint; dum vir nihil per divortium amittit; ergo divortium contrarium est contractus æqualitati. Sed etiam

2. *Matrimonii finibus*, scilicet, unioni conjugum, et congruæ puerorum educationi.

Et perfecto *unioni conjugum*, quia possibilitas divortii favet conjugiis disparibus (gallice, *mal assortis*), mutuum amorem restringit, metu facilis discessionis; discordias leves adauget, propter spem felicitatis alibi inveniendæ.

Insuper obstat *congruæ educationi filiorum*, qui, vel ab uno, vel ab utroque parente separati, nec reverita auctoritate dirigi, nec debitum amoris recipere et reddere possunt. Ergo divortium finibus Matrimonii est contrarium.

3. *Bono* tandem *societatis*, præsertim respectu morum et pacis familiarum. Namque, per divortium, Matrimonium in concubinatum facile vergit, cum, semel admisso jure separationis voluntariæ, nullum poterit sufficiens vagis conjunctionibus opponi obstaculum, innumeris patet via flagitiis, mulierumque communitas facile mox induci posset. Denique divortium infensas facit familias, quas conjunxerat Matrimonium. Ergo bono societatis contrarium est divortium, nec non finibus Matrimonii et æqualitati contractus; ac proinde indissolubilitas Matrimonii, præsertim consummati, jure naturali innititur[1].

1. « Le Mariage en soi-même, par sa destination avouée, reconnue, acceptée, par ses fins légitimes, par son influence sur la famille et les enfants, le mariage est dans sa définition légale, politique, naturelle, un lien qui engage toute la vie, *consortium omnis vitæ*. Il n'est le mariage que parce qu'il n'est pas un lien temporaire, et que les deux époux se donnent indistinctement l'un à l'autre ; voilà sa nature. Et c'est le montrer contraire à la nature que de réclamer pour lui la révocabilité des vœux téméraires. Quand un peuple a le divorce dans ses lois, on le loue de ce qu'il ne le pratique pas ; quand il ne l'a pas, voudrait-on qu'il pût le pratiquer? » Troplong, *Mémoire sur l'esprit démocratique dans le Code civil*,

« L'éternité est si bien dans la nature de l'amour, qu'il n'oserait rien demander ni rien donner sans promettre l'éternité. Ses premiers actes sont toujours des serments de fidélité sans fin. L'amour a des droits pour former l'union con-

Revera, ubi admissum fuit divortium, nedum Matrimonii incommoda sustulerit aut minuerit, tot et tanta contrario induxit, ut multi exinde a matrimonio removerentur[1].

Cujusmodi mala, quæ continent divortia, sic contrah...

jugale; mais il n'en a point pour la dissoudre. Au principe de la liberté du cœur, il faut opposer celui de la fidélité du cœur. La dignité de la femme et l'intérêt des enfants demandent un engagement irrémissible. » Paul Janet, *La Famille*, p. 360.

« Dans les assemblées républicaines, un cri s'élevait contre le scandale que produisait la loi sur le divorce, contre ce marché de chair humaine, cet agiotage, cette Bourse où la conscience et la personne d'une femme étaient l'enjeu...

« Plus le mariage est solide et indestructible, plus éclate la grandeur de la femme. Le mariage est devenu le rachat de sa faiblesse. Ne pouvant se défendre par elle-même, elle se défend par le mariage indissoluble. Qu'est-ce que tout cette famille de grands sentiments qui composent la morale? A quoi cela tient-il? A quoi cela se rattache-t-il? A un centre qui est la famille. Si vous ébranlez l'indissolubilité de la famille, tous ces autres sentiments qui sont la morale entière, sont ébranlés du même coup...

« La situation des enfants des divorcés est une situation contre nature, qui a pour résultat d'apprendre aux enfants à ne pas aimer et à ne pas respecter la mémoire du parent qui est absent, à le craindre, peut-être à le voir en se détournant, en se cachant, à ressasser les tristes histoires qui ont troublé la vie de leurs parents. S'il y a une école de dépravation, de démoralisation, la voilà, aucune autre conséquence n'est comparable à celle-là. » Jules Simon, *Discours au Sénat,* 28 mai 1884.

« La suppression de l'indissolubilité du mariage entraîne la disparition de la famille. Le mariage est un contrat perpétuel qui intéresse les ascendants et les descendants : ce sont des anneaux d'une chaîne unique; c'est la réunion des traditions dans le passé et des espérances dans l'avenir. Quant aux enfants qui représentent la première des unions, les voilà ballottés entre le mariage du père et le mariage de la mère; où y a-t-il place pour eux? Ils seront broyés entre ces deux nouvelles unions... Vous désorganisez donc la famille! » Allou, *Disc. au Sénat,* 29 mai 1884.

1. « Du temps que les divorces étaient en vogue chez les Romains, les mariages étaient rares, au point qu'Auguste se vit obligé de forcer les gens à se marier. » Dav. Humes. — A Paris, du 1er janvier 1793 au 14 février, on compte 584 mariages et 231 divorces; en quinze mois, de 1795 à 1796, 5,994 divorces, dont 3,870 postulés par les femmes; en l'an IX, malgré certaines restrictions apportées à la loi du divorce, 4,000 mariages et 700 divorces; en l'an X, 900 divorces et 3,000 mariages. On assurait qu'il y avait eu, en trois ans de France révolutionnaire, plus de divorces que dans l'Europe entière en trois siècles.

Les divorçants songeaient surtout à se débarrasser de leurs enfants. Ils les portaient aux Enfants trouvés. En l'an X, on y en envoyait 3,122. Les divorcés

Leo XIII, Encycl. *Arcanum :* « Eorum causa fiunt maritalia fœdera mutabilia ; extenuatur mutua benovolentia ; infidelitati perniciosa incitamenta suppeditantur ; tuitioni atque institutioni liberorum nocetur ; dissuendis societatibus domesticis præbetur occasio ; discordiarum inter familias semina sparguntur ; minuitur ac deprimitur dignitas mulierum, quæ in periculum veniunt ne, cum libidini virorum inservierint, pro derelictis habeantur... Multoque esse graviora hæc mala constabit, si consideretur, frenos nullos futuros tantos, qui concessam semel divortiorum facultatem valeant intra certos, aut ante provisos, limites coercere ;... ideoque perpetuo sibi mutuare familiæ et societas humana debebunt, ne miserrime conjiciantur in illud rerum omnium certamen atque discrimen, quod est socialistarum ac Communistarum flagitiosis gregibus jamdiu propositum. Unde liquet quam absonum et absurdum sit publicam salutem a divortiis expectare, quæ potius in certam societatis perniciem sunt evasura. »

108. — Dixi 1° : *præsertim consummati ;* quia pro eo præcipue militant rationes allatæ, etsi haud parvi momenti supersint argumenta, præsertim si attendatur bonum societatis, ex quibus idem deducitur etiam pro Matrimonio nondum consummato.

109. — Dixi 2° : *innititur jure naturali ;* quæ verba in omni sententia vera sunt, atque sufficiunt ad refellendos recentiores scriptores, qui uti naturæ consentaneum perhibuere divortium. Cæterum hic agitur, ut patet, de jure naturali tantum secundario.

savaient à quoi s'en tenir ; à la fin de l'année, sur ces 3,122, il n'en survivait que 215.

« Le divorce a corrompu la morale, disait le révolutionnaire Mercier ; c'est la plaie la plus difficile à guérir. » — « Le mariage n'est qu'un libertinage légal, » s'écriait un bon républicain de Nantes, en l'an VI. — « Le divorce, disait au Tribunat Carion-Nisas, au lieu d'appeler les citoyens au mariage, comme on l'a prétendu, il les en dégoûte, il les en écarte. » — « Le divorce engendre plus de maux qu'il n'en peut guérir ; il est le premier acte de la politique régénératrice, qui inaugure la communauté des femmes pour inaugurer la communauté des biens. » Ozanam, *Du Divorce*, en 1848.

Præfata omnem vim suam retinent, si agatur de divortio auctoritate privata. Quoad autem divortium auctoritate publica, qua restringi et ordinari posset divortii facultas, non eodem gradu urgent rationes allatæ; manent tamen etiam in hoc casu quoad majorem partem, præsertim si permitteretur divortium apud populum jam moribus depravatum. Vide opera valde commendanda a DD. de Rastignac, Bonnel, de Bonald, de divortio disserentia.

PUNCTUM II

De indissolubilitate vinculi Matrimonialis ex jure divino.

Quæstio expendi potest respectu juris divini ante legem evangelicam, vel sub lege evangelica.

I

De indissolubilitate vinculi Matrimonialis ante legem evangelicam.

Inquirendum est quænam fuerit Matrimonii indissolubilitas ex primæva institutione, ex lege mosaica apud Judæos, ex jure divino apud gentiles. Itaque

PROPOSITIO

110. — *Divortium prohibitum fuit ex primæva Matrimonii institutione; permissum Judæis a lege mosaica; sed de eadem permissione pro Gentilibus non constat.*

Et quidem 1° *prohibitum fuit ex primæva Matrimonii institutione.* Certum est. Etenim ex verbis Adami : *Hoc nunc os ex ossibus meis*, etc., tum Christus, Matth. 19, ℣ 5, 6, 8 tum Conc. Trid., n. 1, 2, deducunt Matrimonii indissolubilitatem. « Illa viri et mulieris conjunctio, quo sapientissimis Dei consiliis responderet aptius, vel ex eo tempore (Adami) duas potissimum, easque in primis nobiles, quasi alte impressas et insculptas præ se tulit proprietates, nimirum, *unitatem* et *perpetuitatem*. Idque declaratum aperteque confirmatum ex Evangelio perspicimus divina Jesu Christi auctoritate; Matth. 19, ℣ 5, 6. » Leo XIII, Encycl. *Arcanum*. Ergo, etc.

2° *Permissum Judæis a lege mosaica.* Id infertur ex Deu-

ter. 24, ubi viro permittitur dimittere uxorem suam cum libello repudii, ita ut vir alter, cui nupserit mulier repudiata, vocetur *maritus:* porro, ex ipsius verbis legis, ex interpretatione Judæorum, et ex ratione et æquitate, in præfato textu agitur de vera permissione dissolvendi Matrimonium ab ipso Moyse concessa, vel jam ante Moysen apud Judæos vigente, et a Moyse in laudato textu comprobata. Ita longe communius et probabilius, contra quosdam, inter quos Estius, Sylvius et alios, præsertim ex antiquis, qui putarunt divortium sub lege Moysis fuisse solummodo toleratum, ita ut coram Deo a peccato non excusaretur. Vide Carrière, n. 247-255. Hæc posterior opinio repugnat tum verbis Christi, qui dicit, Matth. 19, ℣ 8 : « Moyses *permisit* vobis... »; tum Encycl. Leon. XIII, quæ sic habet: « Cum ad *duritiam cordis* Hebræorum *indulgenter permisisset* Moyses repudiorum *potestatem*, ad divortium factus est aditus. » — « Neque videtur illa sententia præferenda, quæ tenet Hebræis *non fuisse indultum*, sed tantum non imputatum ad pœnam; quod darent libellum repudii, cum *id divinæ legi* potius videatur *injuriosum*. » De Angelis, lib. 4, tit. 19, n. 2.

Quæ divortii facultas concessa fuit Judæis *ad duritiam cordis*, ut ait ipse Christus, Matth. 19, ℣ 8, ad vitanda, scilicet, majora mala, sed multis conditionibus restricta fuit atque coarctata, adeo ut Moyses servaverit in quantum potuit, primævam Matrimonii institutionem.

3° *De eadem permissione pro Gentilibus ante Christum non constat.* Multi quippe negant Gentilibus permissum fuisse divortium, quia nihil de hac permissione exstat in ratione ac Scripturis. Alii vero putant divortium Gentilibus eodem modo permissum fuisse ac polygamia, n. 101. Sed satis certum videtur divortium, quale vigebat apud varios populos, plerumque fuisse illicitum, eo quod fieret sine gravi causa, et eo modo qui multa secum afferebat incommoda.

II

De indissolubilitate vinculi Matrimonialis sub lege evangelica.

Duo hic statuenda sunt, scilicet, 1° principum generale de indissolubilitate Matrimonii sub lege evangelica; 2° an

et quænam sint exceptiones tali principio jure divino appositæ. Itaque

PROPOSITIO PRIMA

111. — *Sub lege evangelica, Matrimonium, præsertim consummatum, est jure divino generatim indissolubile.* Certum est.

Ita contra Lutherum, qui plures divortii causas admittit, et contra recentiores pseudo-philosophos, qui in favorem divortii scripserunt. n. 106.

Prob. 1° *Script.* Christus Matth. 5, ℣ 31, et 19, ℣ 3 et seq., Marc. 10, Luc. 18, asserit Matrimonium ab initio fuisse indissolubile, et divortium usu fuisse a Moyse permissum nisi ad duritiam cordis, et postea illud ad primævam institutionem revocat, his verbis : « *Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod Deus conjunxit, homo non separet... Omnis* qui dimittit uxorem suam, et *alteram ducit, mœchatur;* et, qui *dimissam* a viro *ducit, mœchatur :* » Porro expressius affirmari nequit vinculi matrimonialis indissolubilitas.

Idem docet S. Paulus : *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit... mulier, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.* I Cor. 7, ℣ 10; Rom. 7, ℣ 2. Quæ verba sunt omnino generalia, et per se clara.

2° *Traditione,* SS. Patres, si excipiatur casus adulterii, sunt unanimes in eadem sententia. Hujusmodi traditionem consecravit Conc., Trid. n. 1, 2, 9, declarando *perpetuum indissolubilemque esse Matrimonii nexum,* atque definiendo « propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi non posse Matrimonii vinculum. » — « Solvere vinculum conjugii inter christianos rati et consummati nullius in potestate est, » ait Leo XIII, Encycl. *Arcanum.*

Idem .constat ex jugi cura Ecclesiæ ad tuendam conjugiorum peretuitatem. Videlicet, a prima ætate leges imperatorias repudiavit, quæ divortiis et repudiis perniciose favissent; irritas esse nuptias decrevit ea conditione initas, ut aliquando dissolvantur; usitatam Græcis diremptionem

matrimoniorum multis modis damnavit; hæresim deterrimam protestantium de divortiis et repudiis anathemate percussit; legibus civicis centum jam annos in hoc genere multa peccantibus palam reclamavit.

Insuper SS. Pontifices semper restiterunt princpibus potentissimis, divortia a se facta ut rata Ecclesiæ essent minaciter petentibus: ita Nicolaus I adversus Lotharium; Urbanus II et Paschalius II adversus Philippum I regem Galliarum; Cœlestinus III et Innoc. III adversus Alphonsum a Leone et Philippum II principem Galliarum; Clemens VII et Paulus III adversus Henricum VIII; Pius VII adversus Napoleonem I. Vide Encycl. *Arcanum*, in qua hæc omnia recensentur.

3° *Ration. theol.* Christus Matrimonii indissolubilitatem voluit, tum quia jure naturali innititur, n. 107, tum saltem propter maximam ejus utilitatem, quam omnes fatentur, tum quia Matrimonium sub nova lege est perfectum signum indissolubilis et perpetuæ conjunctionis Christi cum Ecclesia. « L'amour conjugal n'est plus partagé, une si sainte société n'a plus de fin que celle de la vie; et les enfants ne voient plus chasser leur mère pour mettre à sa place une marâtre. La fidelité, la sainteté et le bonheur des mariages sont un intérêt public et une source de félicité pour les Etats. Cette loi est politique autant que morale et religieuse. » Bossuet.

112. — Hinc divortium est *ipsis infidelibus* jure divino prohibitum. Certum est.

Verba enim Christi ad omnes prorsus extenduntur, ut patet ex voce, *omnis*, *quicunque;* et hoc consequitur ex ipsa Matrimonii revocatione a Christo expresse facta ad primævam institutionem, quæ genus humanum spectabat.

Cæterum, ut diximus de monogamia, n. 104, Christus præcepit indisssolubitatem Matrimonii, cassando dispensationem ex qua sola, licitum erat divortium, n. 110. Qua enim sublata dispensatione, eo ipso illicitum evasit divortium tum ex jure naturali, n. 107, tum ex primæva Matrimonii institutione, n. 110. Unde iterum intelligitur quo-

modo illa prohibitio obligare possit ipsos infideles etiam ante Baptismum.

113. — Dixi 1° *præsertim consummatum*, quia sunt auctores qui contendunt Matrimonio tantum rato non competere perfectam indissolubilitatem. Communior tamen sententia indissolubilitatem ex jure divino propugnat pro Matrimonio etiam non consummato. Vide Carrière, n. 232.

Dixi 2° *generatim*, quia sunt quædam exceptiones de quibus dicemus, n. 116, 119, 124.

PROPOSITIO II

114. — *Matrimonii vinculum, sub lege evangelica, non potest dissolvi propter adulterium alterutrius conjugis.* Certum est.

Ita contra Græcos-Schismaticos, Lutherum et Calvinum, qui asserunt Matrimonium inter christianos quoad vinculum dissolvi adulterii causa.

Prob. 1° *Script.* Etenim Græci Schismatici et Protestantes, qui contrarium asserunt, hoc solo textu nituntur : « Quicunque dimiserit uxorem suam, *nisi ob fornicationem*, et aliam duxerit, mœchatur ; et qui dimissam duxerit, mœchatur. » Matth. 19, ℣ 9 ; 5, ℣ 32 : porro ex hoc nihil concludi potest.

Etenim Judæi duo inquirunt a Christo, an, scilicet, liceat homini *dimittere uxorem suam*, et an illud liceat *quacunque ex causa*, Matth. 19, ℣ 3 : Christus autem duo respondit, nempe, non licere homini dimittere uxorem suam nisi ob fornicationem, atque hujusmodi dimissionem non esse quoad ipsum vinculum, siquidem qui dimissam duxerit, mœchatur seu adulterat.

Revera 1. discipuli hoc sensu responsum Christi intellexerunt, cum statim exclamaverint : « Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. » 2. Apud S. Marc 10, et S. Luc. 16, Christus absolute, absque ulla exceptione pronunciat, *omnis*, et *quicunque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterat ;* S. Paulus idem etiam docet absolute, sine exceptione, n. 111 : porro textus

obscurus S. Matth. interpretandus est ex textibus clarioribus Marc., Luc., et S. Pauli; ergo ex textu S. Matth. inferri nequit dissolubilitas Matrimonii adulterii causa, sed e contrario illo eodem textu confirmatur præfata indissolubilitas.

2° *Traditione*. Equidem Matrimonii dissolutionem adulterii causa propugnarunt Tertullianus, Lactantius, S. Epiphanius, Asterius, et probabiliter S. Basilius. At contrarium docent Hermas, Athenagoras, SS. Justinus, August., Hieron., Ambr.. Chrysost., Gregor. Naz.

Quoad autem posteriora secula, doctrina magis eliquata evasit, atque extra omnem controversiam posita, ut patet ex decretis Conciliorum. « Quamvis, ait Conc. Flor., ex causa fornicationis liceat thori separationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas est, cum *matrimonii vinculum* legitime contracti *perpetuum* sit. » — « Si quis dixerit, ait Conc. Trid. n. 11, Ecclesiam errare cum docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, *propter adulterium* alterius conjugum *Matrimonii vinculum non posse dissolvi*... anathema sit. »

3° *Ratione*. 1. In sententia adversariorum mulier dimissa propter adulterium, posset inire novum Matrimonium ; non posset vero injuste dimissa, ita ut melior efficietur conditio adulteræ, quam innocentis. 2. Facultas dissolutionis causa adulterii, magnum esset ad illud crimen incitamentum, ut reipsa constat luctuosa experientia, in locis ubi viget divortium adulterii causa, ut in Anglia et apud Græcos Schismaticos[1].

115. — *Nota*. Conc. Trid. definivit quidem *Ecclesiam non errare* cum docet propter adulterium Matrimonii vinculum non posse dissolvi ; sed directe et in se non definivit ipsam Matrimonii indissolubilitatem : aliud est enim de fide esse *Ecclesiam non errare cum docet*, etc. ; aliud vero id *quod docet* esse de fide. Proinde certa est et fidei proxima indissolubilitas Matrimonii etiam in casu adulterii, non vero de

1. « Le divorce est une contradiction avec notre foi religieuse, un agent de dissolution pour la famille et un écueil pour la moralité publique. » Francis Wey, *Manuel des droits et des devoirs*.

fide catholica. Præfatam formulam adhibuit Conc, Trid., ne, reprobando Græcorum sententiam, eidem simul hæreseos notam inureret.

PROPOSITIO III

116. — *Conjux conversus potest dissolvere Matrimonium in infidelitate contractum, si alter infidelis nolit cum eo cohabitare, aut nonnisi cum contumelia Creatoris, vel pertrahendo ad peccatum mortale.* Certum est.

Ita contra Jansenistas multos, qui contrarium asseruere.

Prob. 1° *Script.* S. Paulus, I Cor. 7, ŷ 12 et seq. sic loquitur : « Cæteris ego dico, non Dominus : *si quis frater uxorem habet infidelem*, et *hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam... quod si infidelis discedit, discedat :* non enim *servituti subjectus est frater in hujusmodi :* in pace autem vocavit nos Deus. »

Quibus verbis S. Paulus concedit facultatem dissolvendi Matrimonium quoad vinculum, et quidem pro triplici casu in propositione allato.

1. Concedit facultatem dissolvendi Matrimonium etiam quoad vinculum, tum quia dicit pure et simpliciter, *discedat, non est subjectus servituti in hujusmodi;* dum, quando loquitur fidelibus, ait, *quod si discesserit, manere innuptam:* tum quia ex contextu patet Apostolum velle infideli converso seu baptizato concedere privilegium, quod non concedit nuptis post Baptismum : atqui privilegium esse potest tantum quoad vinculi dissolutionem, cum omnibus competat facultas discedendi quoad torum et habitationem ; ergo in laudato textu S. Paulus concedit facultatem dissolvendi matrimoniale vinculum.

2. Illud concedit pro triplici casu in propositione allato. Duo enim ultimi casus includuntur in primo, eo quod in his pars infidelis discedit moraliter, si non physice, siquidem optime scit aut scire debet fidelem non posse cohabitare cum tanto conscientiæ cruciatu ; ergo, etc. Ita S. Paulum explicant Innoc. III, c. 7, 8, tit. 19, lib. 4 Decret.; Benedict. XIV, *De Synod.* lib, 6, c. 4, n. 3; lib. 13, c. 2, n, 3-6, et omnes Theologi.

2° *Traditione*. De eo casu siluerunt plerique ex Patribus, attamen non desunt textus SS. Ambrosii, Chrysost., Theophylacti, et quorumdam aliorum, qui doctrinam, de qua agitur, innuunt. Sed propositio invicte adstruitur Ecclesiæ praxi recentioribus temporibus. Omnibus enim notum est SS. Pontifices sæpe approbasse praxim in propositione enuntiatam, quæ connectitur cum dogmate de indissolubilitate Matrimonii, et cum bonis moribus : atqui in hujusmodi praxi Ecclesia errare nequit, ex dictis in Tract. de Eccles. n. 167, 171 ; ergo dissolubile est vinculum matrimoniale in laudato triplici casu.

117. — Dixi in propositione 1° : *conjux conversus* seu baptizatus. Sunt enim qui contendunt in pœnam infligi infideli jure divino prohibitionem novi Matrimonii. Alii vero longe probabilius talem adesse prohitionem omnino negant, inter quos Kugler, Sanchez, lib. 7, disp. 77, n. 6, Carrière, n. 261, Mansella.

Dixi 2° : *potest dissolvere*, eo quod Matrimonium ipso facto non dissolvitur, sed quando conjux conversus utitur suo privilegio.

Dixit 3° : *matrimonium in infidelitate contractum, etiam consummatum*. Nam, si conversio fidelis præcesserit matrimonium cum infideli, prævia dispensatione, ut opus est, Apostolica super impedimentum disparitatis cultus, n. 218, nullomodo fidelis uti poterit privilegio in favorem fidei concesso, et confirmatur decis. S. Officii 1 aug, 1753, 4 jul. 1855; vide *Collectanea Societatis Missionum*, n. 950; de Angelis, lib. 4, tit. 19, n. 11.

Idem dicendum est, si altera pars *item fidelis* labatur in hæresim, aut transeat ad gentilium errores, quamvis alias in hoc casu major videri posset contumelia Creatoris; Innoc. III, c. 7, tit. 19, lib. 4 Decret.; Conc. Trid., n. 9.

118. — Quædam haud parvi momenti explananda supersunt. Scilicet,

1° Præfatum dissolvitur matrimonium tunc solum, quando conversus baptizatus *novum init matrimonium*, ex

Innoc. III, *ibid.*; Benedict. XIV, *De Synod.*, lib. 6, c. 4, n. 3; *Quæst. can.* 546, n. 6; S. Offic., 1 aug. 1759; S. Congr. Conc., an. 1860; et ita communiter Theologi. Nisi tamen interveniat dispensatio Apostolica, aut professio votorum solemnium, ex statim dicendis.

2º Conversus, antequam novum ineat matrimonium, partem infidelem *debet interpellare*, an *converti velit*, aut saltem *pacifice cohabitare*, id est, sine Dei contumelia, nec fidelem a fide removere, aut ad peccatum pertrahere. Nam S. Paulus, in allato textu, tanquam conditionem novi matrimonii ponit, *si* pars infidelis *discedat*. Unde interpellatio non requiritur, si certo constiterit matrimonium in infidelitate contractum esse ex aliquo defectu aut impedimento *invalidum*, v. g., ob aliquam conditionem substantiæ matrimonii repugnantem in ipso actu contrahendi appositam, n. 76; vel ob legem dissolubilitatis in actu contrahendi ab uno saltem conjuge expresse intentam; vel ob naturale aliquod impedimentum. Idem dicendum est, si alias constiterit partem infidelem nolle converti, nec pacifice cohabitare.

3º Si pars infidelis non possit adiri et interpellari, atque dubium sit an velit converti et pacifice cohabitare, requiritur Apostolica dispensatio, ut pars fidelis valide ineat novum matrimonium, ut communiter docent Theologi: Benedict. XIV, *de Synod.*, lib. 6, c. 4, n. 3; lib. 13, c. 2, n. 3-6.

Quidam putant hujusmodi dispensationem cadere in ipsam interpellationem, ita ut pars fidelis ad hanc faciendam exinde non teneatur. At constare videtur per illam dispensationem directe dissolvi primum matrimonium in infidelitate valide initum, ut aperte dicitur in Litteris Pii V, 2 aug. 1571; Gregorii XIII, 25 jan. 1585; Urbani VIII, 20 oct. 1624, 17 sept. 1627, apud Mansellam, c. 4, art. 3, n. 15-19 [1]. Revera, ut ait Sanchez, lib. 2, disput. 17, n. 2.

1. Gregorius XIII, in dictis Litteris, sic se habet : « Idcirco, nos attendentes hujusmodi connubia inter infideles contracta, vera quidem, non tamen *adeo rata* censeri, ut, necessitate suadente, *dissolvi* non possint... *plenam auctoritate Apostolica concedimus facultatem dispensandi*; » et addit, matrimonium novum,

majorem firmitatem sortitur matrimonium mere ratum inter fideles ratione sacramenti, quam matrimonium etiam consummatum inter infideles ratione contractus naturalis : atqui S. Pontifex dispensat in matrimonio rato fidelium ; ergo a fortiori in consummato infidelium. Ita aliunde sentiunt Navarrus, Sanchez, Verricellius, Pirhing, Reginaldus, Layman, Mansella, etc., contra Coninch, Ponce, Vasquez, etc.

Similiter, in præfatis Litteris « Apostolica auctoritate, permittitur ut Indi baptizati et in futurum baptizandi, cum uxore, quæ cum ipsis fuerit baptizata et baptizabitur, remanere valeant tanquam cum uxore *legitima*, licet hæc non sit *prima uxor in infidelitate habita.* » In hoc igitur adest per dispensationem dissolutio matrimonii cum prima conjuge in infidelitate initi.

Exinde etiam inferri potest matrimonium in infidelitate initum et consummatum dissolvi per solemnem professionem religiosam a conjuge converso et baptizato emissam, ut affirmant S. Bonaventura, Maschat, Sanchez, Mansella; n. 119.

4° An vero requiratur, quod pars infidelis velit converti ad fidem, aut sufficiat, quod velit pacifice cohabitare, distinguendum est. Scilicet, in locis infidelium, v. g., inter Sinas, Indos, in quibus stat spes conversionis pro parte infideli, praxis invaluit, ut de duobus fiat interpellatio, nempe, an velit converti, aut saltem cohabitare absque contumelia Creatoris. At, inter christianas nationes, praxis invaluit, ut fiat tantum interpellatio an velit converti. Si nolit, non permittitur cohabitatio cum altero obstinato in infidelitate, v. g., in Judaismo, quamvis hic protestetur se pacifice velle cohabitare; quia remanet periculum pro parte fideli amittendi fidem; et ideo tunc ad novum matrimonium convolare potest. Mansella, *ibid.*, n. 25.

5° Si pars infidelis cum qua pars fidelis *ante baptismum*

post illam dispensationem contractum, esse validum, *licet pars infidelis juste impedita sit declarare se velle converti* aut *pacifice cohabitare;* imo, licet et ipse *ad fidem conversus fuerit ante novum matrimonium alterius partis*. Ergo necesse est primum matrimonium reipsa dissolvi per dispensationem.

inierat matrimonium, post longam etiam et pacificam habitationem cum conjuge converso, nedum converti recuset, sed conetur etiam fidelem pervertere, aut pertrahere ad peccatum, vel si a conjuge fideli *injuste* divertat, aut alias ineat nuptias, poterit conversus uti privilegio in favorem fidei concesso, et inire matrimonium cum fideli. It. aliunde S. Officium, 1 aug. 1759,

Quid vero, si pars infidelis discedat non in odium fidei, sed ex alia causa, puta ob adulterium? Distinguendum est Scilicet, 1. si adulterium patratum sit a parte *fideli post* conversionem et susceptum baptismum, pars fidelis non potest privilegio uti, cum pars infidelis discedendi habuerit legitimam causam, nec illud privilegium tributum sit in favorem delicti; ita S. Officium, 1 aug. 1759. — 2. Si adulterium patratum sit etiam a parte *fideli*, sed *ante* conversionem et baptismum, talis macula sublata censetur per baptismum; et ideo, si pars infidelis non velit pacifice cohabitare, pars fidelis potest uti privilegio; S. Officium, 17 jan. 1797. — 3. Si eo crimine se *ambo* fœdaverint, crimina quoad pœnam compensantur, ac neutra pars habet justam causam discedendi; et ideo, si pars infidelis nolit pacifice cohabitare, pars fidelis potest uti privilegio, juxta plures, inter quos Benedict. XIV, *Quæst.* can. 546. — 4. Tandem, si pars infidelis sit rea adulterii, tunc pars fidelis potest manere separata, vel ad ordines sacros ascendere, aut professionem solemnem edere; non vero ad alias nuptias convolare, quia hic pars infidelis non discedit in odium receptæ fidei. De Angelis, lib. 4, tit. 19, n. 7.

6° Si proles sit adhuc in minori ætate constituta, debet tradi parti fideli, propter favorem fidei christianæ. Si vero pervenerit ad perfectam ætatem, suo arbitrio relinquenda est. S. Th. Suppl., q. 59, a. 4, ad 4.

7° Tandem non constat, an privilegium fidei iis quoque prosit, qui ab infidelitate convertuntur ad aliquam sectam hæreticam ac valide baptizantur. De Angelis, *ibid.*, n. 11.

PROPOSITIO IV

119. — *Matrimonium ratum et non consummatum inter*

christianos solemni religionis professione alterius conjugum dissolvitur. De fide est.

Ita contra Protestantes et Jansenistas, qui propositionem negant; et etiam contra Græcos-schismaticos, qui volunt matrimonium etiam consummatum dissolvi solemni Religionis voto.

Constat *praxi et doctrina Ecclesiæ*. Etenim 1° certum est saltem a XII seculo talem esse Ecclesiæ praxim : porro, in hujusmodi praxi, cum sit connexa cum dogmate indissolubilitatis Matrimonii et bonis moribus, errare nequit Ecclesia, ex dictis in Tract. *de Eccles*., n. 167, 171; ergo ex praxi Ecclesiæ constat propositio.

2° Idem expresse docent Alex. III et Innoc. III, tit. *de Convers. conjug.*; atque rem sic definivit Conc. Trid., n. 19 : « Si quis dixerit Matrimonium *ratum*, non consummatum, *per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi :* anathema sit. »

Non concordant auctores quo jure, et ideo quanam ratione dissolvatur Matrimonium per religiosam professionem; sed valde probabilius est illam dissolutionem fieri ex jure ecclesiastico. Nam hujusmodi dissolutio fit ratione solemnitatis voti : porro hæc solemnitas, juxta omnes, est ex jure ecclesiastico; ergo et prædicta dissolutio. Ita Suarez, Kugler, Antoine, Simonnet, Sardagna, Legrand. La Luzerne, Pothier, de Angelis, lib. 3, tit. 32, n. 3; vide Carrière, n. 307.

120. — Dixi 1° : *Matrimonium ratum, non consummatum*. Agnoscunt enim omnes Matrimonium consummatum per professionem religiosam non dirimi.

Dixi 2° : solemni religionis professione, quæ fit, scilicet, in aliqua ex religionibus a S. Sede approbatis, in quibus emissa castitatis, obedientiæ et paupertatis vota solemnium vim obtinent. Unde, juxta omnes, non dirimitur Matrimonium per professionem votorum simplicium.

Quid vero, si mulier allegans propositum ingrediendi religionem, fuerit nihilominus a viro per vim deflorata? Alii sentiunt matrimonium remanere simpliciter ratum, et

ideo per professionem partis dirimari. Alii autem probabilius putant matrimonium esse, vi non obstante, vere consummatum, et ideo per solemnem partis professionem non dissolvi.

Unde, in utraque sententia, mulier potest religionem ingredi et profiteri, ne innocenti noceat fraus et culpa alterius, et criminoso eidem crimen prosit. At, ex posteriori sententia, altera pars ad aliud matrimonium convolare nequit post suæ conjugis professionem; atque hoc præjudicium vir sibi imputare debet. Vide Fagnan., lib. 3, tit. 32, c. 7, n. 27 et seq.; de Angelis, *ibid.*, n. 5.

121. — Tria notanda sunt. Scilicet, 1° ex cap. 7, *de Convers. Conjug.*, juxta communem interpretationem, conjugibus duo menses conceduntur ad deliberandum de ingressu Religionis, *per quos* proinde *cogi non possunt ad consummandum Matrimonium.* Privilegium vero manet integrum, quandiu Matrimonium non est consummatum, etiam post duos menses a jure concessos, et quamvis culpabiliter negatum fuerit debitum conjugale.

122. — 2° Conjux derelictus non antea ad secundum connubium transire potest, quam pars monasterium ingressa, in illo *professa* sit; nec magis de hoc conqueri potest pars derelicta, quam si statim post Matrimonii celebrationem conjux in gravem morbum aliudve impedimentum incidisset.

123. — 3° Ex Litt. Encyclicis S. Congr. Episc.. 18 mart. 1857, præscriptum est, ut, ante vota solemnia, in quavis religione *virorum* præmitterentur vota simplicia saltem per triennium; atque ex decis. 25 jan. 1861, matrimonium ratum et non consummatum non dissolvitur, nisi per solemnem votorum professionem, quæ fieri potest solummodo post illud triennium votorum simplicium. Sed eadem S. Congr. ibidem addit, quod conjux manens in seculo, aut vir ad statum religiosum convolans, recurrere poterit ad S. Sedem pro obtinenda facultate, ut statim emitti possint vota solemnia.

PROPOSITIO V

124. — *Matrimonium ratum et non consummatum dissolvi potest per dispensationem S. Pontificis*. Certum est.

Ita contra Protestantes et Jansenistas. Constat 1° *praxi* Ecclesiæ. Multi sunt enim SS. Pontifices inter quos non pauci tum doctrina, tum sanctitate insignes, præsertim a Martino V, qui hujusmodi dispensationem concesserunt, ut testatur Benedict. XIV, qui asserit jus illud hodie haberi ut certum, neque de hoc ullam in praxi moveri disputationem. Aliunde hujusmodi praxis non adversatur Scripturæ, in qua agitur præcipue de Matrimonio consummato; nec Traditioni, quæ vel silet de illa potestate Pontificia, vel loquitur præcipue de Matrimonio consummato.

2° *Ratione* jus illud innuitur. Namque 1. Matrimonium ratum et non consummatum non omnino perfectum est, ut diximus, n. 67; 2. ejusdem dissolutio non iisdem patet incommodis, et aliquando maxime utilis esse potest; 3. in illo casu Matrimonium non humana potestate, sed auctoritate divinitus concessa dissolvitur. Unde nec Sacramenti dignitati, nec legi dignitati indissolubilitatis jure naturali et divino fundatæ, vere derogatur. Cæterum SS. Pontifices vinculum professionis religiosæ dissolvunt : porro minus strictum est vinculum Matrimonii rati; et ideo mirum non est, si et hoc dissolvere possunt.

Jam vero, ad hujusmodi obtinendam dispensationem, duo requiruntur, scilicet, 1. juridica probatio de non peracta matrimonii consummatione; 2. causa legitima, qua fretus S. Pontifex dispensationem concedere solet.

Porro 1. ad juridicam probationem non requiritur infallibilitas, sed solum certitudo moralis de non peracta consummatione. Vide Bossuet, *Hist. des Variat.*, liv. 7, n. 50, 62.

2. Inter causas quæ a Theologis recensentur ad hujusmodi dispensationem concedendam, adnumerantur 1. morbus contagiosus, quo vir, vel mulier laboret, ita ut ex carnali eorumdem conjunctione adsit, ex medicorum judicio, periculum infectionis notabiliter noxiæ; aut pars sana ita a

concubitu horrescat, ut id moraliter impossibile fiat. 2. Gravissima inter conjuges dissidia, quæ probabiliter censentur finem non habitura. 3. Gravis timor futuri scandali et fornicationis, et vitæ æternæ periculum. Unaquæque ex illis causis sufficit pro dispensatione obtinenda. Vide Sanchez, lib. 2, disp. 16 ; *Acta S. Sedis*. t. 9, p. 312, 519; t. 10, p. 450 ; *Analecta*, 1877, col. 192.

125. — Præfata facultas extendenda est ad Matrimonia *consummata in infidelitate*, si conjuges post baptismum, quo conjugium fit *ratum*, *rursus* illud *nondum consummaverint*.

Constat ex Litteris Gregorii XIII, 25 jan. 1585, Urbani VIII, 20 octob. 1624, 17 sept. 1627. Revera, tale Matrimonium ut mere ratum habetur statim post baptismum utriusque partis infidelis ; et ideo hoc momento dissolvi potest per dispensationem S. Pontificis.

NUMERUS II

De Matrimonii dissolubilitate quoad torum et habitationem, et quibusnam de causis.

126. — Non desunt qui putant licitam esse separationem quoad torum et habitationem etiam ex causa non adeo gravi. E contra Lutherani, qui admittunt Matrimonii dissolutionem etiam quoad vinculum, n. 114, negant dissolubilitatem quoad torum et habitationem, durante vinculo ; eo quod, juxta illos, magis expedit integra dissolutio, quæ efficacius remedium præbet variis malis. Itaque

PROPOSITIO PRIMA

127. — *Regulariter necessaria est conjugum cohabitatio.* Certum est.

Constat 1° *Script.* Dicitur enim : *Relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ ;* Gen. 2, ℣ 24.

2° *Ratione.* Illud enim exigit tum debitum conjugale mutuo reddendum, tum prolis educatio ad quam uterque conjux concurrere debet, ita ut sine illa cohabitatione partim redeunt pleraque ipsius divortii incommoda, atque societas familiæ destruitur, n. 107.

3° Idem sancit codex civilis, art. 214 : La femme est obligée d'habiter avec le mari, et de le suivre partout où il juge à propos de résider ; le mari est obligé de la recevoir. » Excipitur tamen casus, quo vir domicilium non habet ubi uxor decore recipiatur, vel quo emigratio in regionem extraneam esset per legem prohibita.

Dixi : *regulariter ;* ex variis enim causis posse tolli aut suspendi hanc cohabitationis obligationem sic asseritur :

PROPOSITIO II

128. — *Conjuges legitimis de causis quoad torum et habitationem, manente conjugali vinculo, separari possunt.* Certum est.

Prob. 1° *Script.* Matth. c. 19, ℣ 9, supra relato, in quo tori et habitationis separationem permittit Christus ; idque manifeste supponit eodem cap. ℣ 29, cum ait : *Omnis qui reliquerit... uxorem propter nomen meum, centuplum accipiet.* Ergo aliquando licet, imo expedit separari ab uxore.

2° *Traditione et constanti Ecclesiæ praxi,* quam confirmat Conc. Trid. : « Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum *ob multas causas* separationem inter conjuges *quoad torum,* seu quoad *cohabitationem*, ad certum incertumve tempus fieri posse decernit ; anathema sit. » — « Si res eo devenerint, ut convictus ferri diutius non posse videatur, tum vero Ecclesia sinit alterum ab altera seorsum agere, adhibendisque curis ac remediis ad conjugum conditionem accommodatis, lenire studet secessionis incommoda ; nec unquam committit, ut de reconcilianda concordia aut non laboret, aut desperet. » Leo XIII, Encycl. *Arcanum,*

3° *Ratione.* Quamvis enim vinculum solvi non possit, quandoque fit cohabitio moraliter impossibilis, et obnoxia gravioribus malis, quam quæ ex temporanea vel etiam perpetua separatione sequuntur. Aliunde perseverantia vinculi, et necessitas absoluta vel se continendi, vel in idipsum revertendi, amovent frequentioris separationis periculum, cautiores et moderatiores conjuges reddunt, et januam reconciliationis semper apertam servant.

PROPOSITIO III

129. — *Plurimæ sunt causæ legitimæ separationis conjugum quoad torum et cohabitationem.* Certum est.

Prob. Tres sunt illæ causæ. 1° *Mutuus consensus* conjugum ex intensione vitæ perfectioris, vel alterius honesti finis. Sic 1. possunt conjuges mutuo consensu vitam cælibem agere in perpetuum, vel solum ad tempus, idque vel sine voto, vel cum voto continentiæ (quod tamen votum non est ordinarie eliciendum a conjugibus, nisi cum magna prudentia et longa experientia suæ continentiæ). 2. Possunt conjuges mutuo consensu ambo Religionem ingredi, vel etiam unus tantum, alio vovente continentiam in seculo, modo iste sit ætatis provectæ, et castitatis voto simplici se adstringat coram Episcopo, et testibus, qui de eo fidem facere possint, ex cap. 1, 4, 9, tit. 32, lib. 3 Decret.; atque, si hæc non præstentur, valet quidem professio conjugati, sed altera pars jus retinet professum e monasterio revocandi; et, mortua conjuge, professus matrimonium validum inire nequit, sed ad monasterium redire debet. Vide Benedict. XIV, *de Synod.*, lib. 13, c. 12, n. 10-3. Potest vir sacros ordines suscipere de consensu uxoris religionem profitentis, vel, si sit provectæ ætatis, castitatem voventis in seculo, accedente præsentia Episcopi et testium, ut supra.

In hoc casu, etsi votum uxoris sit simplex, viro mortuo, uxor invalide contraheret subsequens Matrimonium. Quinimo idem tenendum docent Theologi, etiamsi mulier non vovisset continentiam, quando veniam suscipiendi sacros Ordines marito dedit. Vide Sanchez, lib. 7, disp. 40. Ita statuit lex ecclesiastica, ob reverentiam habendam erga votum solemne, licet ab altero conjuge emisso.

2° *Adulterium;* quo nomine Doctores intelligunt communiter *omne commercium carnale completum et consummatum cum alio supposito a conjuge:* qualia sunt, præter adulterium, abominanda sodomiæ et bestialitatis peccata; quia scilicet per illas horribiles actiones frangitur fides ac fit divisio carnis: unde conjux innocens habet jus ad se-

paratioṅem perpetuam; Christus enim Dominus, Matth. c. 19, ỷ 9, loquitur absolute, dum uxoris dimissionem prohibens, adjungit : *Nisi ob fornicationem*. Quare conjux innocens post factam separationem, etiam invito adultero, poterit assumere statum perfectiorem, v. g., Religionem, vel in seculo perpetuam castitatem vovere.

Cæterum, ut *ratione adulteri licitum sit instituere separationem*, necesse est, 1. ut adulterium sit *formale*, seu culpabile, quale non erit, si mulier per vim fuerit oppressa; aut si bona fide putans maritum mortuum, aliud inivit et consummavit Matrimonium; 2. ut *non sit mutuum ;* si enim uterque conjux adulteravit, non datur locus divortio, etiamsi unus prius vel pluries, vel publice adulteraverit; 3. ut *non sit commissum cum scientia et consensu alterius ;* nam qui consentit, est particeps criminis, et non potest petere separationem; 4. ut *non sit remissum*, vel *expresse*, vel *tacite*, quale censebitur, si post adulterium cognitum, conjux innocens debitum conjugale petat, vel reddat; 5. ut *sit moraliter certum*, quia in dubio nemo est spoliandus jure quod possidet. Vide *Acta S. Sedis*, t. 1, p. 129.

3° *Grave aliquod periculum vel animæ*, vel *corporis*, ratione cujus periculi 1. si unus conjugum labitur in hæresim vel apostasiam a fide, quæ est adulterium spirituale, conceditur alteri divortium instituere etiam, ex multorum sententia, perpetuum post judicis condemnationem. 2. Si unus conjugum alium sollicitet ac pertrahere conetur in aliud peccatum, v. g., nefandum sodomiæ crimen, adulterium, furtum, etc., potest conjux innocens alio divertere, donec reus emendetur. 3. Denique, si unus conjugum paret insidias vitæ alterius, vel aliud grave damnum ex nimia illius sævitia prudenter timeatur, vel morbo contagioso unus conjux laboret, cum periculo inficiendi alterum, potest alter divertere, donec sit emendatio vel curatio, qua secuta, tenebitur redire[1].

1. Ad dijudicandum de moralitate et disparitate conjugiorum in Gallia, subsequentem recensum percurrere satis erit.
De 1847 à 1867 inclusivement, il a été formé 63,423 demandes en sépa-

At « primaria divortiorum causita est, in eo quod spons cupiditate acti, nec præsumptis cogitatione tum officiis conjugum, tum causis conjugiorum nobilissimis, ea, qua æquum est, mente ad matrimonium non accedunt, sed nuptias antevertunt continuatione quadam serieque flagitiorum, irato Deo. Tunc matrimonia placidam quietamque constantiam habitura sunt, si conjuges spiritum vitamque hauriant a virtute religionis, quæ forti invictoque animo esse tribuit; quæ efficit ut vitia, si qua sint in personis, ut distantia morum et ingeniorum, ut curarum maternarum

ration de corps, dont 45,435 ont été introduites après une vaine tentative de réconciliation par le Président du Tribunal.

Sur les 45,435 demandes, 4,177 ont été formées par les maris, et 41,258 par les femmes. Ces demandes ont été ainsi motivées : 42,706 pour sévices, excès, injures graves; 2,652 pour adultère de la femme; 2,155, du mari; 801 pour condamnation du conjoint à une peine infamante.

— Il était né des enfants de 27,013 unions; 17,401 avaient été stériles. Les demandes sont proportionnellement de 16,9 pour ménages ayant des enfants, et de 60,4 pour ménages sans enfants.

Les époux demandeurs en séparation se classent ainsi : 10,761 propriétaires, rentiers ou exerçant une profession libérale; 9,605 commerçants, marchands; 6,976 cultivateurs; 15,368 ouvriers de tout genre; 2,725 dont la profession n'a pas été constatée.

Les mariages avaient duré : 707 moins de un an; 10,034 de 1 à 5 ans; 11,239 de 5 à 10; 14,524 de 10 à 20; 5,152 de 20 à 30; 1,625 de 30 à 40; 274 de 40 à 50; 22 de 50 à 60.

Sur les 45,435 demandes, 33,909 ont été accueillies, 4,661 rejetées; 6,865 rayées du rôle par suite de décès, de réconciliation, etc.

Les demandes en separation de corps sont, en général, bien plus fréquentes dans les classes bourgeoises, commerçantes, entre les jeunes mariés, quand la femme est plus âgée que le mari, et dans les départements du Nord. Ainsi les départements qui en comptent le plus, sont ceux de la Seine, de la Seine-Inférieure, du Calvados, du Rhône, de l'Eure, de la Gironde, du Nord, de Seine-et-Oise, de la Meuse, de la Marne. Cette différence semble provenir de ce que l'ivrognerie ou l'habitude des boissons fortes, d'où dérivent la violence, la brutalité, sont beaucoup plus communes dans le Nord que dans le Midi.

Ces sortes de demandes suivent toujours une marche ascendante. De 1846 à 1850, le nombre annuel des demandes en séparation a été, en moyenne, 1,030; de 1851 à 1855, 1,529; de 1856 à 1860, 1,913; de 1861 à 1865, 2,395; de 1866 à 1869, 2,922; de 1872 à 1875, 2,981; en 1876, 3,251. La loi du 22 janvier 1851 sur l'assistance judiciaire, a une large part dans cette augmentation; mais elle ne suffit pas pour l'expliquer toute entière, et il faut chercher d'autres causes dans l'affaiblissement du principe religieux et des mœurs, et dans le grand nombre de mariages mal assortis.

pondus, ut educationis liberum operosa sollicitudo, ut comites vitæ labores, ut casus adversi, non solum moderate, sed etiam libenter perferantur. » Ita Leo XIII, Encycl, *Arcanum*.

130. — *Quæritur* 1° an recurrendum sit ad auctoritatem judicis ut fiat separatio?

Resp. Regulariter recurrendum est ad judicem *ecclesiasticum*. Namque 1. ex dictis n. 17, et 48, causæ matrimoniales ad judices ecclesiasticos pertinent, non vero ad judices civiles : porro *separatio* quoad *torum* et *habitationem* profecto est causa matrimonialis, cum per eam relaxentur jura utrique conjugi matrimonio quæsita; ergo, etc. 2. Idem expresse decernitur in c. *Porro* 4, tit. 19, lib. 4. Decret., atque in hoc conveniunt omnes auctores, etiam illi, qui minus judici ecclesiastico favent, uti Durand de Maillane, v. *séparation*. Vide Benedict. XIV, *de Synod*,, lib .9, c. 9, n. 3 et seq.

Dixi : *regulariter*, quia auctoritate privata separatio fieri potest, si adesset periculum in mora, vel si separationis causa sit omnino certa et notoria, n. 148.

Ex jure civili in Gallia tres sunt separationis causæ, nempe, 1. adulterium mulieris, et etiam viri, cum iste concubinam *in domo conjugibus communi* detinuit, art. 306 et 230 [1] : 2. sævitia, vel graves injuriæ ab uno conjugum

1. Lex civilis in Gallia de adulterio a viro conjuge commisso, uti prorsus insufficiens et relative injusta a plurimis et merito reputatur. Sic se habet :

« La femme convaincue d'adultère subira la peine de l'emprisonnement pendant trois mois au moins et deux ans au plus; art. 337. — Le complice de la femme adultère sera puni de l'emprisonnement pendant le même espace de temps, et, en outre, d'une amende de 100 à 2,000 francs; art. 338. — Le mari qui aura *entretenu* une concubine *dans la maison conjugale*, et qui aura été convaincu sur la plainte de la femme, sera puni d'une amende de 100 à 2,000 francs; art. 339.

Ainsi la peine, pour le mari adultère, est réduite à une amende pécuniaire, et pour le cas seulement où il y aura commerce habituel, et dans la maison conjugale elle-même. Pour les autres cas, il n'y a pas même une amende pécuniaire, tandis que, pour tout adultère, la femme est punie d'un emprisonnement de trois mois à deux ans. Cette impunité dont la loi couvre le mari, a porté ses fruits. Depuis 1844 le nombre des adultères constatés devant la justice a plus que triplé.

in alterum illatæ, art. 231 ; 3. damnatio unius ex conjugibus ad pœnam infamantem, art. 231. Ex eodem jure, pœna mulctari posset conjux, qui absque Judicis civilis concursu, ab altero secederet.

131. — *Quæritur* 2° an cessante causa separationis separatio cessare debeat?

Resp. Vel separatio facta est propter adulterium, vel propter aliam causam. Si prius, cum adulterium sit causa separationis perpetua, non tenetur pars innocens alteram partem etiam resipiscentem ad se revocare, aut in gratiam recipere. Unde potest, si velit, monasticam vitam ingredi. Nihilominus charitas aliquando postulare potest, ut pars rea sic non omnino relinquatur multis obnoxia periculis.

Si posterius, id est, si separatio facta sit propter causas ab adulterio diversas, illæ causæ non sunt ex natura sua causæ separationis perpetuæ, et ideo, iis cessantibus, cessare debet separatio.

At pars innocens cogere potest alterum, ut ad se redeat.

N'est-ce pas le cas de dire, avec S. Grégoire de Naz. : *Non probo hanc legem; eam mares tulerunt, ideo feminas tantum sequitur et incessit.*

Il est vrai que l'adultère de la femme paraît plus coupable, parce qu'il fait entrer dans la famille légitime un enfant, qui n'appartient point à celui que la loi regarde comme père. Mais, si on y regarde de près, on voit que l'adultère du mari produit le plus souvent celui de la femme; qu'il est la ruine même dans les ménages du peuple, qu'il ébranle la fortune domestique dans les familles riches; et qu'au fond de presque toutes les faillites, de toutes les spéculations hasardeuses, on trouve l'adultère du mari.

La loi sur l'adultère est donc à réformer comme faible et inique.

La loi qui interdit la recherche de la paternité, art. 340, n'est pas moins injuste et désastreuse. Elle met le sexe le plus faible à la discrétion du plus fort, et permet à l'homme de chasser celle qu'il a séduite avec le fruit de ses entrailles. Aussi la séduction en France s'exerce mille fois plus de l'homme sur la femme, que de la femme sur l'homme. Cette impunité et ce lâche abandon multiplie chaque jour les naissances illégitimes, les avortements, les infanticides, les abandons d'enfants, les suicides, les assassinats, les meurtres, les incendies. De 1841 à 1864, on a relevé 55 assassinats de séducteurs par les filles séduites et abandonnées, 4 meurtres, 108 incendies inspirées à ces malheureuses par le désespoir; 60 assassinats et 25 meurtres commis sur les séducteurs par les parents de leurs victimes.

sive separatio sententia Judicis firmetur, sive non. In primo enim casu sententia fertur in favorem innocentis, et proinde non aufert jus revocandi alterum, nec ad hoc opus est nova Judicis sententia. Attamen mulier adultera non est cogenda ad redeundum, quoties potest rationabiliter timere ne dure aut ægre tractetur.

Ex his omnibus sequitur quod pastores et confessarii invigilare debeant ne citius et facilius ad separationem deveniatur, atque cohortari conjuges separatos ad mutuam reconciliationem, quæ propria auctoritate perfici potest. Attamen, ut cesset bonorum separatio, quam, ex lege civili, secum trahit separatio quoad torum, requiritur actus coram notario.

In casu separationis, ex jure civili, filii traduntur ei qui obtinuit separationem, nisi ob majus filiorum commodum, aliter Judex statuat; vide Cod. civ., art. 302 et seq.

CAPUT V

DE SUBJECTO SACRAMENTI MATRIMONII

132. — Solus homo *baptizatus* est hujus Sacramenti subjectum, atque in hoc insuper requiritur intentio saltem virtualis illud recipiendi, ut dictum est in Tract. *de Sacram. in genere*, n. 146.

Præterea sunt aliæ conditiones requisitæ ad hujus Sacramenti receptionem sive licitam, sive validam, de quibus dicendum superest in duobus articulis. De obligationibus ex illius Sacramenti receptione defluentibus, agitur in Tract. *de Oblig.*, n. 122 et seq., et in Tractatu speciali, ubi de Sexto præcepto.

ARTICULUS PRIMUS

De conditionibus ad licitam Sacramenti Matrimonii receptionem.

Conditiones hujusmodi 1. vel afficiunt ipsum subjectum, 2. vel aliquo modo defluunt ex hujus relationibus cum aliis,

3. vel proveniunt ex Ecclesiæ legibus seu ex impedimentis prohibentibus.

§ I

De conditionibus ad licitatem Sacramenti Matrimonii, ipsius subjectum afficientibus.

Tres sunt hujusmodi conditiones, quas in hac propositione sic contrahimus :

PROPOSITIO

133. — *Ad licitam Matrimonii receptionem, in subjecto requiruntur recta intentio, scientia competens, et status gratiæ.*

Et quidem 1° *recta intentio*, quæ scilicet respicit sive ipsum statum Matrimonii, sive conjugem deligendum.

Porro *in Matrimonii statu* hæc tria solum recte possunt intendi; commodum vitæ communis et mutui auxilii, filii Deo et Ecclesiæ renascituri, concupiscentiæ pericula vitanda.

In *conjuge* autem deligendo quærendum est judicium firmum, concors indoles, sincera constansque dilectio, mores integri, ætas proportionata, et in primis vita practice christiana; non vero solummodo aut præcipue, ut sæpius fit, quod ad solam voluptatem, aut vanum honorem et ornatum confert; ex quo evenit ut sæpe sæpius nihil infelicius et miserius statu conjugali excogitari possit[1].

[1]. Hic quædam testimonia referre juvat de necessitate ineundi matrimonii et utraque parte inquantum possibile convenientia.

« Pour une république bien constituée, les premières lois doivent être celles qui règlent le mariage; » Platon, *Des Lois*, liv. 4. — « Rien n'est plus sacré que cette union, et du bon ordre qui y règne, résulte celui de toute la société; » Confucius, *Pensées morales*, 99. — « En Europe, presque tous les désordres de la société prennent naissance autour du foyer domestique et non loin de la couche nuptiale; » de Tocqueville, *De la Démocratie en Amérique*, t. 2, p. 217. — « Il y a de bons mariages; il n'y en a point de délicieux; » La Rochefoucauld, *Réflexions morales*, 113. — Le mariage est un état de discorde et de trouble pour les gens corrompus; » J.-J. Rousseau, *Lettres*, 6 janv. 1759, 17 mars 1762. — « L'intérieur des familles est souvent troublé par les défiances, par les jalousies et par l'antipathie, pendant que des dehors contents, paisibles et enjoués nous trompent, et nous y font supposer une paix, qui n'y est point : il y en a peu qui gagnent à être approfondies; » La Bruyère, c. 5, *De la Société*. »

« Egalité, sympathie, estime, voilà les conditions qu'il faut rechercher; et,

Siquidem, si vir non ducat coætaneam, nunquam vel raro de ea bonum fructum capiet, et sæpissime incidit in calamitatem; si vir duxerit uxorem pauperem, ponit in domo sua paupertatem; si vero divitem, ponit tempestatem; si nobilis accipiat plebeiam, semper rusticam vocabit et contemnet, etc.

2° *Scientia competens*, quæ, nimirum, necessaria est ad officia Matrimonii rite adimplenda. Unde Matrimonium contrahentes tenentur scire *rudimenta Fidei, Symbolum Apostolorum, Orationem Dominicam, præcepta Dei et Ecclesiæ, et ea omnia quæ ad Sacramenta suscipienda necessaria sunt.*

Filios enim suos ea deinde docere tenentur; unde necessarium est, quod ipsi ea sciant; præterquam quod hæc omnia ad salutem propriam necessaria sunt. Itaque Parochi, si opus est, debent contrahentes de istis interrogare, ut præscribitur in Rituali.

Præterea, contrahentes scire tenentur ea quæ ad statum conjugalem spectant, nempe, quæ ad validam et licitam Matrimonii receptionem ejusque legitimum usum, puerorumque educationem pertinent. Unde, licet quidam Theologi negaverint Episcopum et Parochum posse quemquam a Matrimonio repellere, eo quod ignoret rudimenta doctrinæ

lorsqu'elles se trouvent réunies, elles assurent aux deux époux une parfaite harmonie de sentiments et d'humeur, de longs jours de joie et de sérénité... Il n'est que trop vrai qu'on se remet souvent au hasard du soin de choisir l'être qui partagera notre destinée; qu'on se marie parce qu'on est usé, blasé, et, comme on le dit cyniquement, *pour faire une fin*, ou bien encore parce qu'il faut payer la charge, le fonds qu'on a en vue. Les convenances de famille, de fortune, de position, sont les premières, quelquefois même les seules que les parents considèrent. — Les hommes achètent la courtisane, et, en mariage, se vendent eux-mêmes! On compterait facilement les filles qui s'indignent d'être recherchées pour leur dot; plus nombreuses sont celles qui, par calcul ou ambition, ne rougissent pas d'épouser un vieux mari. Que d'unions bénies par le prêtre, qui ne l'étaient pas dans le ciel! *On en voit tous les jours, qui ne font pas un crime d'épouser sans amour et même sans estime!* Le mariage contracté dans de telles conditions constitue le divorce dans l'intimité et trente années souvent d'ennuis. Le bonheur se trouve aussi rarement dans le mariage d'amour, comme le proclame la sagesse populaire : *Mariage d'amour, mariage d'un jour.* La passion ne dure pas longtemps; souvent elle disparaît d'autant plus vite, qu'elle était plus violente au début, pour ne faire place qu'aux regrets, aux reproches, à la misère. » Cadet, *Le Mariage en France*, p. 8, 57.

Christianæ, quia, ut ait Bened. XIV, *de Syn.*, lib. 8, c. 14, « ignorantiam doctrinæ Christianæ non invenerint in vulgatis versiculis, in quibus enumerantur impedimenta Matrim.; » huic sententiæ adversantur et Ritual. Rom., et quam plurima SS. Pontif. edicta. Vide S. Ligor., lib. 6, n. 54.

3° *Status gratiæ*. Matrimonium enim est sacramentum vivorum; et ideo prærequirit in suscipiente gratiam habitualem et sanctificantem, ex dictis n. 84.

Unde urgendi sunt fideles ut ante Matrimonium, ea omnia faciant, quæ certam hujus gratiæ status fiduciam illis præbere possint. Sæpius omnes privatim et publice pastores moneant, quod defectu hujus dispositionis infausta esse solent Matrimonia, et ex iis varia nascuntur incommoda: animarum damna, conjugum discordia, prava liberorum educatio, ac demum reipublicæ Christianæ pernicies nostris præsertim temporibus, ex dictis n. 84.

Addant omnino decere quam sanctissime Christianos hoc fœdus inire, quod sanctas Verbi cum carne, et Christi Agni immaculati cum Ecclesia *non habente maculam, neque rugam* nuptias referat.

134. — *Quæritur* 1° an adsit obligatio recipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, et utrum Parochus exigere possit et debeat schedulam Confessionis?

Resp. Hortatur tantum S. Trid. Synodus conjuges « ut antequam contrahant, sua peccata confiteantur et ad SS. Eucharistiæ Sacramentum pie accedant, » n. 23. Pariter Rituale Rom., utitur tantum hoc verbo, *Admoneantur*. Raro in praxi licite omittitur.

In Diœcesibus in quibus præscribitur confessio, quod certe ab Episcopis fieri potest, non debent Parochi ad benedictionem procedere, donec exhibeatur schedula confessionis. Quæ inde sæpius in quibusdam locis accidit profanatio Pœnitentiæ, profluit ex sola hominum malitia, et aliunde compensatur per bona quæ ordinarie ex hac præscriptione sequuntur; ea enim occasione, multi prævaricatores revertuntur ad cor; religioni aliquatenus reconcilian-

ur, et saltem semen verbi divini recipiunt, *quod fructum dabit in tempore suo.*

Attamen lex illa diœcesana, quando existit, exceptionem admittit in pluribus casibus, uti si matrimonium sit civiliter contractum, et una pars testimonium confessionis requisitum exhibeat, dum altera id præstare nolit, etc. Imo sufficiunt rationes etiam minus graves, cum sponsus non est peccator publicus; nec de ejus indignitate constat. Pro hujusmodi rerum adjunctis servetur locorum praxis, vel ab Episcopo petatur agendi ratio.

Quandonam denegari possit schedula confessionis, et quomodo conficienda sit, cum conceditur, dictum est in Tract. *de Pœnit.*, n. 375.

135. — *Quæritur* 2° quomodo se gerere debeant Parochi in celebratione matrimonii illorum qui sunt *publice indigni*, vel qui *notorie in ecclesiasticas censuras* inciderint?

Resp. Curandum est pro viribus ut illi debito modo cum Ecclesia reconcilientur ; at, si reconciliari recusent, et timeantur graviora mala, v. g., ne ipsi perseverent in peccato, aut inter se male vivant, parochus assistere potest matrimonio, exclusa semper Missæ celebratione. Aliunde, si possibile sit, consulatur Ordinarius.

Et quod hic dicitur de Parocho, dicendum est etiam de testibus. Ita S. Ligor., lib. 6, n. 54; S. Pœnitentiara, quæ ad hunc S. Ligor. locum remittit, 10 dec. 1860.

§ II

De conditionibus ad licitatem Sacramenti Matrimonii aliquo modo defluentibus ex subjecti relationibus cum aliis.

Tres sunt hujusmodi conditiones, nempe, consensus parentum, sponsalia, bannorum promulgatio : prima ab ipso jure naturali, secunda a voluntate contrahentium, tertia ab Ecclesiæ mandato causam habent ; sed tres omnes supponunt relationem subjecti cum aliis.

NUMERUS PRIMUS

De consensu Parentum ad Matrimonium requisito.

Quæstio expendi potest de licitate, vel de validitate. Unde

PROPOSITIO PRIMA

136. — *Ad contrahendum licite Matrimonium ordinarie prærequiritur consensus parentum.* Certum est.

Prob. 1° *Script.*, quæ sæpe insinuat ad parentes pertinere filios Matrimonio jungere; et *ex SS. PP.* et SS. Pontif. S. Leone, Clemente III et aliis; qui aperte docent Matrimonia sine consensu parentum contracta, esse graviter *illicita* et ab Ecclesia reprobata perinde ac fornicationes et adulteria; quia non ex præscripto rationis, sed ex cupiditatis et libidinis ductu contrahuntur.

2° *Ratione.* Ipsa enim ratio naturalis evincit hunc consensum parentum non solum petendum esse, sed et obtinendum in re tam gravis momenti, ob parentum auctoritatem ac reverentiam ipsis debitam, ob pacem familiarum, optimam societatum civilium constitutionem, et felicem in præsenti et quoad alteram vitam conjugiorum exitum.

Præterea in Gallia leges civiles Matrimonium sine parentum consensu initum irritant quoad effectus civiles, v. g., emolumenta, jura, commoda, successiones, hæreditates, donationes, legitimatem filiorum, etc., ut infra dicemus.

137. — Dixi : *ordinarie prærequiritur.* Videlicet : graviter peccaret, ex communi doctorum sententia contra Salmanticenses, qui nuberet omnino inconsultis parentibus; 2. graviter etiam peccaret qui, consultis quidem, sed ex justa causa non consentientibus parentibus, nihilominus nuberet; 3. non peccaret autem qui, post petitum consensum parentum, sed non obtentum, Matrimonium ex justa causa iniret, v. g., si parentes diu negligant ipsis filiis, vigesimum quintum ætatis annum excedentibus, providere de convenienti Matrimonio, aut si injuste, vel ex solo avaritiæ affectu propter ampliorem dotem, nolint filios nup-

ias inire non indignas quas appetunt, vel contra velint ilios nubere personis quas odio prosequuntur, et quarum Matrimonium refugiunt : unde colliges graviter peccare parentes, qui injuste obstant filiorum Matrimoniis.

138. — Per se requiritur consensus *utriusque* parentis : si tamen unus consentiat, dissentiat vero alter, facilius excusabitur filius a peccato mortali. Unde de hoc judicandum est juxta circumstantias[1].

Filius autem per se non tenetur, saltem sub gravi, obedire parentibus tale vel tale Matrimonium præcipientibus; in hujusmodi enim negotio filius debet esse liber, præsertim cum sæpissime tanta mala oriantur ex Matrimonio non spontanee inito.

Attamen, si illud Matrimonium valde referret ad sublevandam necessitatem parentum, vel ad dissidia tollenda, etc., *nec aliunde gravis quædam obstaret causa,* deberet filius, saltem ex pietate filiali, parentibus morem gerere, ut aiunt Sanchez, S. Ligor., etc.

PROPOSITIO II

139. — *Matrimonia a filiis-familias, etiam minoribus, sine parentum consensu contracta, nec naturali, nec divino, nec ecclesiastico jure irritantur.* Certum est.

Et quidem 1° *non jure naturali.* Contra Protestantes. Si enim jure naturali invalida forent, vel ex defectu consen-

1. Sic se habet lex civilis, art. 148 : « Le fils qui n'a pas atteint l'âge de 25 ans accomplis, la fille qui n'a pas atteint l'âge de 21 ans accomplis, ne peuvent contracter mariage sans le consentement de leurs père et mère ; en cas de dissentiment, *le consentement du père suffit.* » « Ainsi, le père consent, la mère refuse, le mariage se fera ; le père refuse, la mère consent, le mariage n'aura pas lieu. Cette annihilation de l'influence maternelle, en pareille occurrence, nous paraît funeste ; car le coup d'œil de la mère porte ailleurs et plus loin que celui du père. Le père s'inquiète de la fortune, de la carrière de son gendre ; la mère prend plus de souci des rapports sympathiques qui l'uniront à sa fille. Le père le juge mieux comme homme ; la mère le juge mieux comme gendre... tous deux voient la vérité, mais de profil ; leurs deux points de vue réunis forment seuls l'ensemble. Tous deux doivent donc être appelés. Il vaudrait mieux dire qu'en cas de dissentiment, le consentement de l'un des deux suffira, ou bien faire trancher la difficulté par un conseil de famille. » Cadet, *Le Mariage en France,* p. 213.

sus, vel propter reverentiam parentibus debitam : porro neutrum dici potest. Non 1um ; minores enim, modo sufficientem rationis usum habeant, in Matrimonium consentire possunt, ut evidens est. Non 2um ; alias enim neque filius 30 annorum posset valide Matrimonium contrahere, si parentes reluctarent, cum non minorem ipsis debeat reverentiam in ea ætate constitutus, quam si esset tantum 20 annis natus.

2° *Nec jure divino*. Nullus enim citari potest textus Scripturæ vel Traditionis, ex quo inferri possit invalida esse hujusmodi Matrimonia.

3° *Nec jure ecclesiastico*. Ex Conc. Trid. n. 18, ubi ea anathemate ferit, « qui falso affirmant Matrimonia filiisfamilias *sine consensu parentum* contracta, *irrita esse*, et parentes *ea rata* vel *irrita facere posse*. »

Nota. Cum plura essent Parocho incommoda ex violata lege civili de consensu parentum in re matrimoniali, legenda pum est art. Cod. civ. 148-153, 160, 182, 183.

NUMERUS II

De Sponsalibus.

Dicemus 1° de notione, conditionibus et usu sponsalium; 2° de eorum effectibus ; 3° de eorum dissolutione.

I. — *De notione, conditionibus, et usu Sponsalium*.

140. — *Quæritur* 1° quid et quotuplicis generis sint sponsalia ?

Resp. Sponsalia definiuntur : *Promissio futuri Matrimonii inter personas jure habiles*.

Duplicis generis sunt sponsalia, alia *ecclesiastica et solemnia*, quæ fiunt in facie Ecclesiæ coram Sacerdote benedicente ; alia *non solemnia*, quæ ista carent solemnitate, privatimque fiunt. Benedict. XIV, *de Synod*., lib. 12, c. 5.

141. — *Quæritur* 2° quænam requirantur conditiones ad sponsalium *validitatem* ?

Resp. Sex communiter rencensentur conditiones, scilicet : 1, ut sit vera Matrimonii promissio ; 2. ut ea pro-

issio sit mutua, et ex utraque parte acceptata; 3. ut sit era; 4. ut sit exterius sufficienter manifestata; 5. ut sit ter personas determinatas; 6. denique ut sit inter personas jure habiles.

Illarum conditionum sensus et necessitas satis patet ex ictis circa dotes consensus essentialis Matrimonio. Convenit enim ut in hoc iisdem subjiciatur legibus contractus pse, et promissio ejusdem. In dubio verborum aut signi romissionis sponsalium in foro externo, standum est n favorem libertatis. Ita ex dec. S. Cong. Conc., 16 aug. 873.

Ut autem personæ sint jure habiles 1° requiritur in contrahentibus *ætas competens*, quæ est *septennium completum*, ut patet ex jure canonico, et constat ex cap. *de Despons. impuber*. Rarissime expedit in hac tenera ætate sponsalia contrahere; imo Parochi ordinarie non debent assistere sponsalibus, quæ nonnisi post longum tempus impleri debent; inde enim innumera mala et corruptelæ oriuntur.

2° Requiritur ut contrahentes agant de re possibili. Unde

142. — *Quæritur* 3° an valeant sponsalia sub conditione impossibili, vel inhonesta?

Resp. Distinguendum est. Scilicet, 1. si exstet impedimentum dirimens, non possunt sponsalia de futuro contrahi absolute; quia promissiones non valent de re, quam quis præstare nequit.

2. Similiter, si ineantur sponsalia cum impedimento dirimente de quo non potest, vel non solet dispensare S. Pontifex, et nihilominus sub conditione quod S. Pontifex dispensaverit, invalida sunt sponsalia. Adjectio enim conditionis impossibilis, potius discensum quam consensum denotat.

3. Si adsit autem impedimentum dirimens, in quo S. Pontifex potest et solet dispensare, simulque habeantur rationes sufficientes ad impetrandam dispensationem, valide iniri possunt sponsalia sub hac conditione : « Si S. Pontifex dispensaverit. » Cujusmodi tamen sponsalia suum non

sortiuntur effectum, nisi eo momento, quo conceditur la dispensatio. Positis illis limitationibus, patet tunc agi de re possibili; et revera sæpe in foro sive ecclesiastico, sive civili similes ineuntur contractus. Contrarium asserunt Gury, etc. Ballerini, de *Matrim.*, n. 725; sed innituntur decisionibus Rotæ et S. Congr. Concilii, in quibus agitur tantum de invaliditate illorum sponsalium, quando quis ex eis recedit ante impletam conditionem : porro illam invaliditatem omnes agnoscunt. Vide de Angelis, lib. 4, tit. 1, n. 4.

4. Tandem, si ineantur sponsalia sub conditione *inhonesta*, v, g., stupri, habetur obligatio ex sponsalibus post eventum, ex decis. S. Congr. Conc., 13 aug. 1870. Vid. *Acta S. Sedis*, t. 1, p. 342, t. 3, p. 304; de Angelis, lib. 4, tit. 1, n. 5; tit. 5, n. 4. Tales enim injuriæ non valent compensari nisi secuto matrimonio. Hodie tamen legislator civilis etiam super hoc non admittit nisi indemnitatem in pecunia. Non adest autem obligatio inhonestam conditionem adimplendi, cum nemo possit se ad peccatum obligare.

Equidem aliter ratiocinandum est de matrimonio inito sub conditione de re impossibili aut inhonesta, ex cap. 7, tit. 5, lib. 4 Decret., ut dictum est n. 7-6, ad 2°; sed hæc decretalis non spectat sponsalia, ut communiter inferunt Doctores ex cap. 5, *ibid.*

143. — *Quæritur* 4° an civile matrimonium æquivaleat sponsalibus?

Resp. Lex civilis in Gallia nec admittit, nec rejicit sponsalia ; nec civile matrimonium sponsalibus æquivalet, ut quidam contenderunt. Hoc plane constat ex decis. S. Congr. Conc., mart. 1587, 8 jun. 1595, et præsertim ex declaratione cum decreto, 13 mart. 1879, relata 214.

Revera, sponsalia sunt promissio de *futuro* matrimonio: matrimonium autem civile fit cum consensu de *præsenti*: ergo sponsalibus æquivalere non potest. Vide Benedict. XIV. *Instit.* 46, n. 23; *Acta S. Sedis*. t. 12, p. 166.

II. — *De Sponsalium effectibus.*

144. — *Quæritur* 1° quotuplex sit sponsalium effectus? *Resp.* Quadruplex est, nempe, 1. obligatio unius contrahendi cum altera; 2. jus initiale unius ad corpus alterius; 3. impedimentum prohibens nubendi cum qualibet alia persona; 4. impedimentum honestatis publicæ.

Et quidem 1. *sponsalia valida obligant sub peccato mortali ad ineundum Matrimonium*, nisi adsit sufficiens dissolutionis causa. Namque sponsalia sunt de re gravissima, atque eorum obligatio oritur ex virtute justitiæ, cum procedat ex contractu oneroso; ergo hæc obligatio est sub peccato mortali.

Dubitatur autem an unus ex sponsis ad sponsalia adimplenda cogi possit. De Angelis, lib. 4, tit. 1, n. 5.

Cæterum hæc obligatio contrahendi Matrimonium debet impleri *termino præfixo*, si sit appositus; si vero nullus terminus fuit præfixus, *ubi primum altera pars postulaverit, ac commode* fieri poterit.

Dixi: *sponsalia valida*, quia sponsalia, seu promissiones Matrimonii invalidæ, absolute loquendo, non obligant: sic, v. g., qui post priora sponsalia contraxit alia, tenetur tantum priora adimplere, et secunda sponsalia sunt de re illicita, et contra fidem priorum.

2. *Jus initiale unius ad corpus alterius;* unde sponsus qui peccat cum altero, hanc circumstantiam qua peccati species mutatur, in confessione aperire debet. Ita communius Theologi et Canonistæ contra Pontium; quia per sponsalia sponsi sibi mutuo fidem dederunt, saltem tacite et implicite, non solum de usu corporis sibi invicem tradendo, sed etiam de non tradendo alteri.

3. *Impedimentum prohibens nubendi cum qualibet alia persona.* Obligatio enim sub mortali servandi sponsalia seu ineundi Matrimonium promissum, per se inducit prohibitionem nubendi cum alia persona, n. 163.

4. Impedimentum dirimens honestatis publicæ in primo gradu, ut infra, n. 213.

145. — *Quæritur* 2° an sponsalibus adjici possit pœna ex contrahentium conventione, solvenda a resiliente?

Resp. Negant communiter jurisperiti, canonistæ et Theologi, si conditio pœnalis apponatur a sponsis, eorum parentibus, tutoribus, cognatis, magnis amicis, vel ab extraneis cum illorum mandato. Tunc enim appositio pœnæ posset lædere matrimonii libertatem, quatenus quis ne pœnam incurreret, coacte matrimonium iniret.

Juxta fere omnes, permittitur in sponsalibus aliqua munera tradi quæ vocantur arrhæ, cum hac conditione, ut ille qui has arrhas tradit, injuste resiliat, retineri possint ab alio; sicut qui eas recipit, si injuste resiliat, eas restituere tenetur. Nam, ex una parte, arrhæ, cum sint modicæ donationes, non per se cogunt ad matrimonium, sicut conditiones pœnales, quæ solent esse immodicæ et gravantes; et, ex altera parte, arrhæ cautiores reddunt homines in promittendo matrimonium.

III. — *De dissolutione Sponsalium.*

146. — *Quæritur* 1° quænam sint causæ dissolvendi sponsalia?

Resp. Causæ sponsalia *per se resolventes*, vel uni aut alterutri parti resolvere *permittentes*, sunt : 1. *mutuus consensus* sponsorum; omnis enim res solubilis, qualis est contractus, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur : puer tamen sponsus non potest retractare consensum, nisi quando ad pubertatem pervenerit.

2. *Matrimonium* cum alia persona validum; quin imo matrimonium clandestine initum dissolvit sponsalia, quæ cum ipsa sponsa huic celebrationi præcesserint, ex decis. S. Congr. Conc., 28 jun. 1866. An vero, Matrimonio valido semel dissoluto, reviviscat prima sponsalium obligatio, negant Sanchez et alii plures; affirmant, uti probabilius, Salmant., Kugler, Schmalzgrueber, de Angelis, lib. 4, tit. 1, n. 6. Juxta omnes, per hujusmodi matrimonium prorsus tollitur vis et impedimentum sponsalium, ex parte illius erga quem fides frangitur.

3. *Susceptio Ordinis præsertim sacri, religiosa professio*

tiam non solemnis, imo *ingressus in religionem*. In promissione enim matrimonii semper est implicita conditio : « Nisi le meliori statu deliberavero. » De promissione tamen cum uramento, vide cap. 16, tit. 1, lib. 4 Decret.

Per ingressum autem in religionem, vel per susceptionem minorum ordinum, altera pars potest se reputare a vinculo sponsalium liberam; nam ille actu demonstravit se velle ordines sacros suscipere, vel religionem profiteri; nec tenetur altera pars expectare tempus professionis, vel susceptionis ordinis sacri.

Juxta communiorem sententiam, non dissolvuntur sponsalia per simplex castitatis votum subsequens. Vide de Angelis, lib, 4. tit. 6, n. 6.

4. *Discessus sponsi vel domicilium mutare volentis, vel brevi non redditurі*, ex cap. 5, tit. 1, lib. 4 Decret. In hoc enim casu nimium gravaretur sponsa, quæ vel domicilium mutare, vel nimium expectare teneretur.

5. *Subsequens infidelitas alterutrius partis*, juxta illud : « frangenti fidem, fides frangitur eidem. » per hujusmodi infidelitatem intelligitur quodlibet impudicum, quod una pars fieri ab altera non pateretur; et etiam fornicatio spiritualis, v. g., hæresis, schisma, apostasia.

6. *Notabilis mutatio animi, corporis, aut fortunæ superveniens*, vel *antecedens sed non cognita*, ex cap. 25 *de Jurejurando*. Juxta omnes, illa notabilis mutatio, si sit in *deterius*, dat alteri parti jus resiliendi a sponsalibus; idem verum est, juxta plures, si mutatio insperata et longe gravis fiat in *melius*.

Inter mutationes, quibus aliquando a S. Sede sponsalium dispensatio indulgetur, cooptatur dissociatio ante litem exorta et per litem aucta, vel parentum obstinata oppositio, vel matrimonii præparatio cum alia muliere, ad quam vir animum adjecerit suum.

7. *Impedimentum dirimens superveniens*. Scilicet, ex copula illicita cum consanguinea sponsæ in primo et secundo gradu, exoritur impedimentum dirimens affinitatis, ac consequenter resolvuntur illa sponsalia jam contracta, ex cap. 2, 9, tit. 13, lib. 4, Decret.

8. *Dispensatio* a S. Pontifice concessa, ex dicendis n. 256, 6°.

147. — *Quæritur*, 2° an qui laborat *occulto defectu*, teneatur illum manifestare vel abstinere a sponsalibus aut a Matrimonio, si jam inita sint sponsalia?

Resp. Affirmative, si alias non esset contracturus, posito quod *talem sciret defectum*. Hoc autem evenit præsertim in duplici casu: 1. si ex tali defectu alter contrahens aliquod grave damnum passurus esset, v. g.. si sponsa esset jam gravida, et futurus maritus cogeretur alienam prolem alere; vel si unus morbo contagioso laboraret, quo sit inficiendus alter; aut si alicubi diffamata est sponsa, quod cum divulgatum fuerit in loco ubi initur contractus, honestam sponsi familiam deturbabit: in his peccaret sponsa aut sponsus etiam contra justitiam, nisi abstineret a Matrimonio. 2. Similiter a Matrimonio, vel etiam a sponsalibus abstinere tenetur, qui quamvis ex tali defectu damnum non esse oriturum prævideat, tamen cognoscit quod si defectus detegeretur, ægerrime ab alia parte ferretur, et inde orirentur perpetua jurgia, graves inimicitiæ, etc.

148. — *Quæritur* 3° an requiratur auctoritas judicis ecclesiastici ad dissolvenda sponsalia?

Resp. Si causa dissolutionis sit certa, non attendenda est præventiva sententia judicicis, quia hoc in jure *nunquam* cautum habetur. Si vero dubium sit an causa subsistat, judicis sententia est necessaria, cujus est impedire *ne quis* peccatum admittat.

Talis autem judex est ecclesiasticus, ex Conc. Trid., n. 17 et ex cap. *Ex litteris de spons.* Attamen, ex mutuo consensu dissolvi possunt sponsalia, sive sit causa, necne.

NUMERUS III

De Bannorum promulgatione.

Dicemus 1° de bannorum notione et necessitate; 2° de eorum circumstantiis; 3° de obligatione quas inducunt; 4° de illorum dispensatione.

I. — *De Bannorum notione et necessitate.*

149. — *Quæritur* 1° quid sit Bannum?

Resp. Vox *Bannum*, a Germanis mutuata, apud illos edicti promulgationem significat. Eo nomine hic intelligitur *Publica denuntiatio, qua futurum Matrimonium auctoritate Ecclesiæ proclamatur*. Antiquissimus est in Ecclesia bannorum ritus, et a primævis seculis originem ducere nonnulli censent eruditi, saltem si quoad substantiam spectetur : forma vero hodierna bannorum x seculo incepisse videtur, eamque anno 1215 a Concilio Lateranensi statutam confirmavit Conc. Trid., n. 19-21.

150. — *Quæritur* 2° an de præcepto sit Bannorum promulgatio?

Resp. Affirmative, ut constat ex Conc. Later., can. 51, et Trid., n. 19. Non est autem de necessitate sacramenti, juxta omnes.

Præcipua autem motiva legis bannorum hæc sunt : 1. ut si quæ sint futuri Matrimonii impedimenta, detegantur, ita Conc. cit.; 2. ut impediantur, quantum fieri potest, Matrimonia clandestina; ita Trid., n. 19; 3. ne filii-familias nubant, invitis vel insciis parentibus; 4. ut omnes quorum interest aliquod non contrahi Matrimonium, possint, si velint, obsistere. Hinc certum est præceptum bannorum *sub gravi* obligare ; disciplina enim generalis gravibus motivis innixa gravem utique parit obligationem.

II. — *De Circumstantiis promulgationis Bannorum.*

151. — *Quæritur* quænam sint circumstantiæ servandæ in bannorum promulgatione?

Resp. Omnes hujusmodi circumstantiæ ad quatuor capita referuntur, scilicet, 1. ad personam promulgantem, 2. ad locum, 3. ad tempus, 4. ad formam, juxta illud Conc. Trid. decretum, n. 19 : « Antequam Matrimonium contrahatur, *ter a proprio contrahentium parocho, tribus continuis diebus festivis in ecclesia, inter missarum solemnia publice denuntietur.* » Itaque

1° *De persona promulgante*. Hæc est proprius contrahentium parochus, ex prælaudato Conc. Trid. decreto. Sub nomine *Parochi* comprehenduntur vicarii. Unde promulgari non debent ab alio sacerdote aut clerico, nisi fuerit a *Parocho*, vel ab Episcopo delegatus; nec a fortiori a quacunque laico. Caveat Parochus ne promulgentur banna absque consensu sponsorum et parentum in Matrimonium, tum in bannorum promulgationem.

2° *De loco*. Ex eodem Conc. Trid. decreto, banna promulganda sunt in *ecclesia parochiali;* quo nomine intelligitur etiam ecclesia succursalis, vel annexa, si hæc habeat territorium determinatum, et si sacerdos qui tali annexæ deservit, gaudeat quasi ordinaria jurisdictione, uti plerumque evenit.

Quænam autem sit illa parochialis ecclesia, seu quis sit proprius Parochus, relative ad bannorum proclamationem, definiendum est. Scilicet, banna proclamari debent, 1. a Parocho illius loci, in quo contrahentes actu degunt.

2. Si pars una vel utraque ex alia Diœcesi migraverit, et in Parochia, quam nunc incolit, per annum integrum publice non fuerit commorata, vel si non quidem ex alia Diœcesi, sed ex alia parochia ejusdem Diœcesis venerit, nec in parochia, in qua nunc degit, per sex menses publice habitaverit, eorum banna etiam promulganda sunt a Parochis illorum locorum, in quibus ante suam migrationem ab anno vel a sex mensibus habitabant. Ita ex multis Ritualibus vel statutis Synodalibus. Juxta alios Rituales, non exigitur in ullo casu nisi habitatio sex mensium : Standum est legi vel consuetudini uniuscujusque diœcesis.

3. Si alteruter contrahentium, per æquale circiter temporis intervallum, in duabus parochiis publice commoretur, ab utriusque Parocho banna debent proclamari. Secus vero dicendum de eo, qui domicilium fixum et publicum uno in loco retinet, quamvis per minorem anni partem in altero versaretur; tunc enim necesse non est ut in isto banna denuntientur.

4. Quantum ad minores, famulos, milites, vagos, alienigenas, etc,, hæc statuuntur,

Quoad *minores*, banna eorum promulganda sunt tum in domicilio in quo habitant, tum in domicilio parentum aut eorum sub quorum potestate sunt in ordine ad Matrimonium.

Quoad *famulos*, banna eorum promulgantur in parochia heri, apud quem ab uno saltem anno famulantur; si vero vel tempore sufficienti commorati non fuerint, vel sint minores, iis applicanda sunt quæ modo diximus.

Quoad *milites*, promulganda sunt banna eorum in præsidiis seu locis ubi degunt, et insuper in domicilio parentum, si sint minores, et, si sint majores, in loco ubi degebant ante militiam. Ita statutum pro foro civili, et consentit prudentiæ regulis pro foro Ecclesiastico servandis. Nota quod a militibus ante promulgationem ordinarie exigendum est testimonium, quo constet de licentia superiorum vel de confectis stipendiis.

Quoad *vagos*, alienigenas, etc., satis communiter dicunt auctores promulganda esse eorum banna tum in loco in quo actualiter degunt et Matrimonium inire volunt, tum in loco originis, vel etiam in quo diutius commorati sunt. Quidquid sit, maxima cautione circa istos opus est, et recurrendum est ad Episcopum, ex præscripto Conc. Trid.

3° *De tempore*. Ex Conc. Trid., banna promulgari debent *antequam Matrimonium contrahatur, tribus continuis diebus festivis, inter Missarum solemnia.*

Et quidem 1. *antequam Matrimonium contrahatur;* ratio patet ex motivis bannorum.

2. *Tribus continuis diebus festivis,* id est, diebus dominicis aut festivis ex præcepto celebrandis, nec ad invicem distantibus. Parochus de promulgatione facta non debet testimonium contrahentibus tradere, nisi post 24 horarum intervallum ab ultima promulgatione elapsum, ut tempus suppetat fidelibus ad revelanda, si qua norint, impedimenta. Dilato matrimonio, opus est nova seu quarta promulgatione, alicubi quidem post duos menses, alibi post tres aut quatuor, alibi post sex duntaxat, alibi post unum tantum.

3. *Intra Missarum solemnia,* nec proinde intra vesperas

aut conciones, sed tantum in præconio Missæ parochialis. Attamen Ordinarius valet sinere, ut fiant denuntiationes diebus festivis in vesperis, aut etiam diebus ferialibus, ait de Angelis, lib. 4, tit. 5, n. 3.

4° *De bannorum forma.* Servetur forma bannorum in Statutis diœcesanis prescripta. In omni casu cavendum est ne infamia cuiquam inuratur. Unde, si unus e sponsis sit illegitimus, reticenda erit illa circumstantia, et reticendum utriusque parentis nomen, licet certo cognoscatur.

Alta et intelligibili voce facienda est promulgatio, alioquin finis legis non obtinetur.

III. — *De obligationibus quas inducit Bannorum promulgatio.*

Ex iis obligationibus aliæ spectant fideles, aliæ Parochum. Scilicet,

152. — *Quæritur* 1° an fideles teneantur revelare impedimenta?

Resp. Mortaliter peccat, quicunque certo sciens alia via quam per confessionem, etiam sub secreto naturali, esse impedimentum dirimens inter eos quorum banna proclamantur, illud non revelat, nisi legitima causa excuset.

Constat ex cap. *Cæterum de testibus;* aliunde ita exigunt tum reverentia debita Sacramento, quod profanaretur aut nullum esset; tum reipublicæ et familiarum pax ac tranquillitas. Pœna excommunicationis lata ipso facto contra eos qui non denuntiant, dum sciunt, abrogata est Bulla *Apostolicæ Sedis*, 1869. Vide Tract. *de Censuris*, n. 39.

Dixi 1° : *quicunque*, sive sit ex parochia in qua fit denuntiatio, sive ex alia, et ideo ipsimet contrahentes. Agitur enim de lege generali et indefinita, spectante bonum commune.

2° : *Impedimentum dirimens*, quia si solum prohibens sit, non videtur adeo stricta obligatio, possetque, in quibusdam casibus, non revelans excusari a lethali peccato, puta si inde sequatur damnum tertii.

3° : *Certo sciens ;* si enim impedimentum non innotescat nisi ex incerto rumore, vel alicujus personæ testimonio

quæ non sit fide digna, cessat obligatio sub mortali; sed non cessat omnis obligatio, si adsit fundata præsumptio aut solida probabilitas.

4° : *Alia via quam per Confessionem*, quia prorsus inviolabile est Confessionis sigillum.

5° : *Etiam sub secreto naturali*, id est, sub secreto *conversationis*, ut docent communiter auctores. Idem dicendum est, saltem juxta plerosque auctores, de amico valde intimo, cui secretum commissum est, solatii causa, et, ut aiunt, ad exonerandum cor suum. Talis enim revelatio providet bono publico, et bono ipsorum contrahentium.

6° : *Nisi legitima causa excuset*, nempe 1. *bonum publicum;* unde nec debent, nec possunt revelare qui noverunt sub sigillo *consilii*, quatenus, scilicet, ratione suæ professionis ab eis petitum est consilium, ex quo noverunt impedimenta : quales sunt Parochi, Medici, Chirurgi, Obstetrices, Advocati, etc., qui impedimenta norunt ex secreto sibi *commisso* ad petendum consilium. Ratio est, quia per consilia hujusmodi multa mala a societate avertuntur : jam vero iis consiliis præcluderetur aditus, si tunc adesset revelandi obligatio. Illi tamen debent ipsos nupturos monere.

2. Si detegi non posset impedimentum *absque gravi revelantis incommodo, periculo, vel infamia*. Excusant etiam non pauci eum, qui revelare nequit nisi cum infamia *tertiæ personæ;* sed contradicunt alii plures, atque asserunt tunc moneri posse Parochum generatim quod adsit inter sponsos impedimentum, ut ea occasione ipsos interroget, et a crimine avertat, quantum poterit.

Si vero ex revelatione sequeretur ipsorum contrahentium diffamatio, tunc illi prius essent privatim monendi, et, spreto monito, denuntiandi, non obstante secutura diffamatione, quam sibi imputare debent.

Cæterum *quam primum post auditam primam publicationem urget revelandi præceptum;* ratio est quod periculum esset in mora, ne obtentis dispensationibus a cæteris bannis, daretur locus perficiendi Matrimonium ante revelationem.

ipsis sponsis aut eorum parentibus ordinarie declarandum est cognatio, disparitas cultus, etc. Si vero sit occultum et ex crimine, ordinarie præmonenda est pars rea si non renuntiet matrimonio, nec dispensationem obtineat, tunc res denuntianda est Parocho.

153. — *Quæritur* 2° quomodo in recipiendis revelationibus se gerere debeat Parochus?

Resp. 1. Diligenter inquirat qualem ille *denunciator* apud vulgus habeat opinionem probitatis, et si hoc in casu non aliquo invidiæ aut vindictæ spiritu ducatur. 2. Mature perpendat quales prædicti impedimenti *probationes* vel *indicia* proferat; si illud revelat cum propria infamia, non ideo illius testimonium omnino recusabit, sed magna utetur cautione. Tandem, juxta monitum sancti Caroli, cum ipsis partibus earumve parentibus, seorsim colloquetur, graviterque eos monebit, ut sponte dicant utrum hujus impedimenti sint, vel non sint conscii.

His autem absolutis, *si futilis videatur denuntiatio*, potest, et, ubi partes exigunt, debet ad Matrimonii celebrationem procedere. *Si talis afferatur probatio, quæ statim posset coram judice admitti,* partibus absolute deneget benedictionem, donec existentis impedimenti dispensationem obtinuerint : de quo advertendum est, ad id sufficere aliquando posse unum testem, juxta opinionem communissimam, variis juris textibus, et S. Congregationis decisionibus innixam, quia hic non agitur de *infligenda pœna*, sed de *peccato vitando*, et de removendis multis incommodis ; unde tutior pars eligenda est. *Si adeo ambigua proferantur impedimenti indicia, ut partes nunquam possent de illo coram judice convinci,* supersedeat Parochus, et rem ad Episcopum deferat.

Si *solus Parochus* noverit impedimentum, alia quam confessionis via, nec possit probare, non potest Matrimonio obsistere, saltem si petatur publice, juxta quosdam ; potest autem et debet juxta tutiorem et communiorem sententiam.

Cæterum, in quæstionibus matrimonialibus haud sem-

per requiritur ejusdem evidentiæ probatio. Si enim res sit de matrimonio jam contracto et consummato, requiruntur probationes undequaque certæ et concludentes.

IV. — *De Bannorum dispensatione.*

154. — *Quæritur* 1° quinam dispensare possint in lege bannorum?

Resp. 1. Soli Episcopi jus habent dispensandi in lege bannorum, justis de causis. Constat ex Conc. Trid, n. 21 ; « Nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ bannorum denuntiationes remittantur : quod illius prudentiæ et judicio S. Synodus relinquit. » Nomine Ordinarii venit etiam Vicarius generalis, nisi id expresse ei fuerit interdictum. Parochus posset solummodo aliquando per *epikiiam* judicare legem non obligare, in casu necessitatis, v. g., in articulo mortis, ad legitimandam coram Ecclesia prolem.

2. Si contrahentes sint diversæ diœcesis, requiritur utriusque Episcopi dispensatio, ex decisionibus S. Congr. Concilii ; vide de Angelis, lib. 4, tit. 3, n. 3.

3. Ad concedendam bannorum *omnium* dispensationem, requiritur causa gravis : cum lex bannorum sub gravi obliget, ut dictum est.

155. — *Quæritur* 2° quid sentiendum sit de Matrimoniis secretis seu *conscientiæ*, quæ scilicet celebrantur quidem coram Parocho et testibus, sed omissa bannorum proclamatione, quæque fiunt ad vitanda incommoda publicitatis.

Resp. Hujusmodi Matrimonia, si spectetur *Jus canonicum* etsi ordinarie graviter illicita, positis certis conditionibus, licita sunt. Eas autem conditiones sic recenset Bened. XIV in Constit. *Satis Vobis* : 1. illæ dispensiones non concedantur nisi ex gravi, urgenti et urgentissima causa; 2. fiat diligens personarum inquisitio, ita ut constet nihil earum matrimonio obstare; 3. ad assistendum matrimonio deputetur parochus vel sacerdos qui doctrina et prudentia commendetur; 4. instrumentum celebrationis cum omnibus ad illud attinentibus servetur accurate in libro, vel folio obsignato; 5. moneantur conjuges quod, si proles nata fuerit, non solum baptizetur,

sed ea efficiantur quibus constet eam esse legitimam : quod si hæc negligant, matrimonium divulgabitur.

Serventur, in quantum fieri potest, eædem conditiones pro matrimoniis *in extremis*, quæ scilicet, absque proclamatione bannorum ineuntur instante morte patris aut matris, ad legitimandam prolem. De his omnibus consulatur Ordinarius, sine cujus nutu ordinarie in hac re nihil agendum est.

A matrimoniis *conscientiæ* non multum differunt quæ dicuntur *Morganatica* (*mariages de main gauche*). Consistunt in eo quod vir nobilis, defuncta uxore item nobili, ex qua filios suscepit, alteram ex humiliore ordine ducit, quæ a participanda mariti dignitate excluditur, et cujus filii ab omnibus titulis, muneribus, et paternorum bonorum successione extranei censentur.

§ III

De Impedimentis prohibentibus.

156. — *Quæritur* 1° quid sit *impedimentum* Matrimonii, et quotuplex species?

Resp. 1. Impedimentum Matrimonii generatim dicitur illud omne, quod aliquo modo obstat, ne Matrimonium contrahatur.

2. Duplici modo autem obstare potest Matrimonio, scilicet, ratione *licitatis*, vel ratione *validitatis :* si prius, impedimentum non invalidum quidem reddit Matrimonium, sed tantummodo *illicitum*, atque ideo illud obstaculum dicitur mere *prohibens ;* si posterius, impedimentum reddit Matrimonium non solum illicitum, sed etiam *invalidum*, atque ideo illud obstaculum dicitur *dirimens*. Hic dicendum habemus de impedimentis ratione licitatis, et in subsequenti articulo quæstio erit de impedimentis ratione validitatis.

157. — *Quæritur* 2° an utilia sint impedimenta *prohibentia*, et ad quem pertineat ea statuere?

Resp. 1° Omnino utilia sunt impedimenta prohibentia. Nam in re tanti momenti decet, ut omnia secundum perfectiorem ordinem fiant, et integre serventur ea, quæ contractus gravitas et dignitas magni hujus sacramenti exigere videntur. Sed tamen leges *irritantes*, quamtumvis utiles.

et quandoque moraliter necessariæ, sua nihilominus habent incommoda, ut observat Trident. Conc., n. 18; unde pauciores esse expedit. Aliunde, cum pleraque impedimenta prohibentia res vel circumstantias spectent non admodum difficiles, et quarum observantiam pastores sæpius procurare possunt, putavit Ecclesia satis sine irritatione ipsius contractus, leges illas sanciri. Quod sapienter fuisse cogitatum ipsa experientia confirmavit.

2° Omnia impedimenta prohibentia, quæ jus canonicum spectant, sunt ex jure ecclesiastico. Hujusmodi impedimenta statui possunt vel per modum *regulæ*, pro universa Ecclesia, aut pro tota diœcesi, vel per modum *præcepti*, nempe, si S. Pontifex aut Episcopus in aliquo casu particulari prohibeat, ne inter peculiares personas sub pœna illicitatis ineatur matrimonium.

Jam vero S. Pontifex aut Concilium generale utroque modo condere potest hujusmodi impedimentum. At Episcopus non valet proponere impedimentum prohibens per modum regulæ pro tota diœcesi, ut in tali materia servetur uniformitas pro tota Ecclesia; potest tamen Episcopus illud impedimentum proponere per modum præcepti, ut infra, n. 159. Vide Benedict. XIV, *de Synod.*, lib. 8, c. 11, n. 5. Tunc enim potius est impedire infractionem jam existentis legis ecclesiasticæ.

158. — *Quæritur* 3° *quotnam* sit impedimenta prohibentia?

Resp. Quatuor tantum nunc vigent prohibentia impedimenta, in hoc versiculo comprehensa :

Ecclesiæ vetitum, tempus, sponsalia, votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Ex his impedimentis duo sunt ex *jure naturali,* scilicet *sponsalia* et *votum*, duo autem ex jure mere positivo, nempe, *Ecclesiæ vetitum* et *tempus*. De singulis dicemus totidem numeris.

NUMERUS PRIMUS

De Ecclesiæ vetito.

159. — *Quæritur* 1° quid sit Ecclesiæ vetitum, et quotuplex?

Resp. Per Ecclesiæ vetitum hic intelligitur *simplex prohibitio nubendi vel cum aliqua persona vel quodam personarum genere*, vel *sine prævиis quibusdam conditionibus.*

Duplex distinguitur : aliud *ab homine*, aliud *a jure.*

Ab *homine*, per *particularem* prohibitionem legitimi Pastoris, v. g., S. Pontificis, Episcopi, vel etiam Parochi; qua prohibitione alicui vetatur ne Matrimonium contrahat ad certum tempus, vel 1. propter vitandum scandalum, aut aliud grave incommodum; 2. vel quia est suspicio impedimenti, cujus veritas prius detegenda est; 3. vel quia fit præjudicium alicui tertio, v. g., pendente lite de valore prioris Matrimonii. Graviter autem peccaret, qui contra talem prohibitionem Matrimonium contraheret, et a judice Ecclesiastico puniendus esset.

A jure autem seu lege *generali* prohibetur Matrimonium præsertim in triplici casu, scilicet, 1. sine consensu parentum saltem ordinarie; 2. sine bannorum proclamatione aut dispensatione; 3. inter catholicum et hæreticam, et vice versa. De duobus prioribus jam dictum est, n. 136. 150. Igitur de Matrimoniis mixtis agendum superest. Unde

160. — *Quæritur* 2° an Matrimonia catholicorum cum hæreticis valide baptizatis sint valida et generatim illicita?

Resp. Juxta omnes hujusmodi Matrimonia sunt *valida*, cum nulla lege aut consuetudine adhuc vigente irrita declarentur.

At non minus constat eadem Matrimonia esse generatim illicita tum jure naturali et divino, tum jure ecclesiastico.

Et quidem 1. *Jure naturali et divino*. Nam « animos de disciplina religionis dissidentes vix sperari potest futuros esse circa cætera concordes; eadem conjugia occasionem præbent vetitæ societati et communicationi rerum sacrarum; periculum religioni creant conjugis catholici; impe-

dimento sunt bonæ institutioni liberorum, et persæpe animos impellunt, ut cunctarum religionum æquam habere rationem assuescant, sublato veri falsique discrimine. » Ita Leo XIII, Encycl. *Arcanum.*

2. *Jure ecclesiastico.* Ecclesia enim semper deterruit fideles ab hujusmodi nuptiis ineundis, ut videre est apud Benedict. XIV, *de Synod.*, lib. 6, c. 5, n. 3, et Constit. *Magnæ nobis*, Bullar., t. 2, n. 51. Eamdem prohibitionem constanter asseruerunt SS. Pontifices Pius VI, Pius VII, Pius VIII, Gregorius XVI, Pius IX, Leo XIII, *ibid.*

Dixi : *generatim sunt illicita*, ita ut non sint intrinsece mala, sed aliquando fieri possint licita, ut constat tum ex praxi SS. Pontificum, qui in hac materia dispensationes pluries concesserunt, tum ex consensu Theologorum.

Aliunde, si Matrimonia hujusmodi essent absolute illicita, hoc vel propter communicationem in divinis cum hæretico, vel propter Sacramenti profanationem : atqui 1. non propter communicationem in divinis, cum communicatio in Sacramento Matrimonii, seclusis periculo et scandalo, non sit prohibita nisi jure ecclesiastico, quam igitur Ecclesia gravi de causa permittere potest; 2. nec ob profanationem Sacramenti, siquidem non minus adest profanatio, quando Sacramentum recipitur a peccatore, quam ubi ab hæretico; et tamen non absolute prohibetur Matrimonium cum peccatore. Revera, licet ab alio petere et cum ipso ponere actum in se bonum aut indifferentem, in quo alter non peccabit nisi ex propria malitia, quando adest gravis ratio illum ponendi.

Ex decreto S. Congr. de Propaganda, 30 apr. 1865, Episcopi, si facultatem habeant super matrimoniis mixtis dispensandi a S. Pontifice concessam, ea uti non possunt in Italos de quibus non constet italicum domicilium omnino deseruisse. Quando autem dispensatio datur a Congr. S. Officii, si personæ etiamsi exteræ maneant in Italia, semper præcipitur, ut matrimonium contrahant extra Italiæ fines.

Tandem, ex decis. S. Officii 12 mart. 1881, feria IV, qui, absque licentia requisita, contraxerunt matrimonium

mixtum, tenentur, ut eo licite uti possint, ad dispensationem ab Episcopo obtinendam.

161. — *Quæritur* 3° quænam sint conditiones requisitæ ut Matrimonium catholici cum hæretico fiat licitum?

Resp. Quinque numerantur conditiones. Scilicet, requiritur 1. *ut absit periculum seductionis pro parte catholici* Imo Pius VI, in Brevi ad arch. Mechliniensem, præscripsit ut « et ipse contrahens catholicus declarationem edat a se et duobus testibus subscriptam, in qua cum juramento promittat non tantum se nunquam apostaturum a religione sua catholica, sed et procuraturum se efficaciter conversionem alterius contrahentis acatholici, et educaturum in ipsa religione catholica omnem prolem nascituram. »

Hodie vero, ex Instructione Card. Antonelli, 15 nov. 1858, ad omnes Episcopos, non exigitur juramentum de procuranda conversione partis acatholicæ, ob aliquorum civilium guberniorum reclamationem. Insuper, in Borussia, ob vetitum regis, 7 jun. 1855, sufficit spontanea promissio sine juramento a parte acatholica de educatione universæ prolis in religione catholica. Vide de Angelis, lib. 4, tit. 1, n. 22.

2. *Ut infantes utriusque sexus in religione catholica educentur*. Unde irritum prorsus est pactum, ut quidam ex liberis in hæresi, quidam in fide catholica educentur. Parentes enim nullomodo renuntiare possunt obligationi filios suos in vera fide educandi.

3. *Ut adsit gravis causa.* Catholicus enim sine gravi causa non potest se exponere periculo perversionis in fide, nec eidem periculo exponere suam prolem procreandam, nec cum hæretico ponere actum in se bonum, sed in quo hæreticus valde probabiliter peccat, sacramentum profanando.

4. *Ut dispensatio concedatur ab auctoritate competenti.* Agitur de lege generali, a qua solus S. Pontifex dispensare potest, nisi aliter ferat consuetudo debitis vestita conditionibus. In Gallia non viget illa consuetudo, et ideo ad S. Pontificem recurrendum est.

5. *Ut hujusmodi matrimoniis benedictio nuptialis non impendatur*, nec Missa in præsentia hæretici celebretur, nec contrahatur Matrimonium intra ambitum Ecclesiæ, sub qua comprehenditur sacristia. Ita Benedict. XIV, *de Synod.* l. 6, c. 5. Qua agendi ratione Ecclesia intendit ostendere quantum ab illis matrimoniis abhorreat, et ne ineantur exoptet.

Verum non prohibetur Parochus assistere hujusmodi Matrimoniis ut merus *testis*, et modo *fiant cum dispensatione;* imo recentiora Concilia a S. Sede revisa consulunt hujusmodi Matrimonia proclamare.

Attamen in citata Instruct. Card. Antonelli, modus assistentiæ remittitur arbitrio rationabili Episcoporum in gravioribus casibus. Unde, in Germania, praxis fere communis videtur invaluisse, ut quotiescunque conditiones Ecclesiæ, præsertim de prole catholice educanda suscipiuntur, benedictio quoque sponsis concedatur, et in iis pari modo procedatur ac in Catholicorum matrimoniis, exclusa semper missæ celebratione.

Imo, si pars acatholica prorsus exigat, ut proles sui sexus suam religionem sectetur, potest nihilominus Parochus assistere matrimonio ut testis authorizabilis, quoties ex temporum, locorum ac personarum conditione, hujusmodi matrimonium sine graviori discrimine nequit impediri, atque insuper Ecclesiæ utilitati communique bono expedire videtur, si illud matrimonium, quamvis vetitum et illicitum, coram catholico parocho potius, quam coram acatholico ministro, contrahatur. Ita in Instructione ad Episcopos Hungariæ, 20 apr. 1841; vide Mansella, c. 4, art. 1, n. 14.

Tandem, ex decis. S. Officii, feria IV, 17 febr. 1864, 1. catholicus cum parte hæretica contrahens coram proprio parocho, potest hoc matrimonium ratificare coram ministro acatholico, qui civile tantum ministerium peragit; 2. id vero non licet, quotiescunque minister hæreticus censeatur veluti sacris addictus, et quasi parochus munere fungens; cum in hoc casu pars catholica ritui hæretico se consociaret; 3. Parochi tenentur monere sponsos de gra-

vissimo peccato quod per talem actum patrarent; si vero prævideat monitionem certo non fore profuturam, sileat, remoto tamen scandalo, et servatis aliis conditionibus ab Ecclesia requisitis; 4. Si postquam præstitus fuerit consensus coram ministro acatholico, velint sponsi renovare consensum coram parocho, hic non intersit nisi servatis servandis supra recensitis; ac pars catholica sit facti pœnitens, præviis salutaribus pœnitentiis.

Matrimonia enim mixta, quæ in se periculosa sunt, aliquando tamen et quibusdam in locis, hæreticorum conversioni inservire possunt.

Cæterum, si pars hæretica non fuerit valide baptizata, tunc agitur de matrimonio inter fidelem et infidelem, atque adest dirimens impedimentum disparitatis cultus, n. 218.

NUMERUS II

De Impedimento temporis seu feriæ.

162. — *Quæritur*, quid sit impedimentum feriæ?

Resp. Per tempus feriatum intelligitur nunc ex Conc. Trid., n. 33, illud tempus quod *ab Adventu Domini usque in diem Epiphaniæ inclusive*, et a *feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschatis inclusive* decurrit. Quibus temporibus *solemnitates* nuptiarum, *non ipsa Matrimonia*, prohibet jus commune, ut expresse docet Rituale Rom., n. 82, et confirmatur dec. S. Cong. Rit., 14 aug. 1858.

Attamen in pluribus locis consuetudo viget ut ipsum Matrimonium etiam sine solemnitate non ineatur laudato tempore; et talis esse videtur usus generalis in Gallia. Igitur apud nos tempore vetito celebrari non potest Matrimonium, absque dispensatione Episcopi loci illius, ubi Matrimonium agitur, quia vetitum respicit tantum ordinem externum illius loci. Quando autem conceditur dispensatio super illam consuetudinem, non ideo fieri possunt benedictiones solemnes, n. 82; nec possunt Episcopi concedere facultatem impertiendi illas benedictiones tempore vetito, ex eadem decis. S. Cong. Rit., 14 aug. 1858.

NUMERUS III

De Impedimento ex sponsalibus.

163. — Sponsalia jure naturali impediunt ne sponsi cite valeant cum alio contrahere Matrimonium, ut supra, . 144. Hoc tamen non est impedimentum dirimens et ir-i tans Matrimonium, quia res promissa potest valide, quam-is non licite, vendi aut dari alteri, si nihil aliud obstet.

NUMERUS IV

De Impedimento voti simplicis.

164. — *Quæritur* 1° an votum simplex sit impedimen-um prohibens?

Resp. Votum castitatis, scilicet simplex, impedit ne licite saltem ordinarie, contrahatur Matrimonium. Ad illud votum simplex servandi castitatem tria alia referuntur, scilicet vota 1. ingrediendi Religionem; 2. suscipiendi sacros Ordines; 3. non nubendi. Cæterum matrimonium cum aliquo ex his votis contractum, est validum.

165. — *Quæritur* 2° quomodo se gerere debeat, qui, post votum simplex castitatis, Matrimonium sine dispensatione contraxit?

Resp. 1. Qui tale votum emisit, peccat mortaliter Matrimonium ineundo, saltem ordinarie, quia se exponit periculo illud violandi. Dixi : *saltem ordinarie*, quia absolute fieri potest ut non adsit periculum usus, nec proinde peccatum in hujusmodi ineundo contractu. 2. Post initum Matrimonium, potest quidem reddere debitum, non vero illud petere. Dubium est an possit denegare debitum per bimestre quod sponsis conceditur ad deliberandum de ingressu in Religionem. Negativa sententia probabilior videtur, quia ille, de quo agitur, de amplectenda religione non cogitat. 3. Debet prorsus abstinere, si alter consentiat, vel jus petendi amiserit.

166. — *Quæritur* 3° quomodo se degere debeat qui, post votum Religionem ingrediendi, Matrimonium absque dispensatione contraxit?

Resp. 1. Contracto Matrimonio et non consummato, ten-
Religionem ingredi, quia adhuc possibilis est et licita
exsecutio. 2. Sine peccato mortali consummare non p-
Matrimonium, quia impossibilem redderet voti exsecution-
3. Consummato semel, etiam citra dispensationem, Ma-
monio, potest, secundum plurimos Doctores, licite peter-
reddere debitum, quia non vovit castitatem nisi in solo R-
gionis statu servandam. Attendi attamen debet intentio
ventis, quia sæpe castitas intenditur in talibus votis. Conju-
defuncto vel jus amittente aut cedente, tenebitur *per*
Religionem ingredi, quia illius votum non cessavit abso-
per contractum Matrimonium, sed tantum ad tempus fu-
suspensum. Dixi *per se*, quia obstare possunt charitas, pru-
dentia, et aliquando etiam ipsa lex civilis.

167. — *Quæritur* 4° quid de eo qui nupsit, post votum sus-
piendi Ordines sacros, vel non nubendi?

Resp. 1. Mortaliter peccavit contra votum, saltem ordi-
rie. 2. Tenetur ordines suscipere quotiescunque id poterit.
vero suscipere nequeat, licite potest petere et reddere deb-
tum, quia votum sacros Ordines assumendi non obligat
ad castitatem in statu clericali servandam. 3. Qui vovit tan-
tum non nubere, potest statim reddere et petere debitum
quia jam impossibilis facta est observatio voti, nec castitatem
proprie vovit.

Communius negant Theologi ad ingrediendam Religion-
quemquam teneri ratione alterius voti, quia medium illud
est difficillimum, imo sæpe moraliter impossibile pro homin-
cujus valde incerta est vocatio.

ARTICULUS II

De conditionibus ex parte subjecti ad validam Sacramenti Matrimonii receptionem.

168. — Ad validam Sacramenti Matrimonii receptionem,
præter Baptismum, virtualem intentionem, n. 124, et con-
sensum, n. 52, requiritur nullum adesse impedimentum
dirimens, seu consensui et ideo contractus validitati obs-
tans, n. 155. Hujusmodi autem impedimenta oriuntur ex
jure vel naturali, vel divino, vel ecclesiastico.

Unde dicemus 1° de natura impedimenti dirimentis; 2°
de auctoritate ea statuendi; 3° de variis impedimentis

rimentibus ; 4° de eorum dispensatione ; 5° de impedimentis quæ jam inito Matrimonio innotescunt, vel superveniunt.

§ I

De natura impedimenti Matrimonium dirimentis.

169. — *Quæritur* 1° quid sit impedimentum dirimens ?

Resp. Dirimens impedimentum illud est quod, si præcesserit, obstat validitati contractus Matrimonii ; si vero supervenerit Matrimonio jam legitime contracto, hujus usum reddit illicitum, sed ipsum Matrimonii vinculum nihilominus non solvit.

Hic agitur præsertim de natura impedimenti quod præcedit Matrimonium, cujus ideo validitati obstat. Ut autem intelligatur quomodo fiat hujusmodi oppositio, et in quonam consistat præfatum impedimentum, duo expendenda sunt, scilicet, 1. in quodnam objectum directe cadat impedimentum dirimens ; 2. quisnam sit ejus effectus in consensum contrahentium. Unde

170. — *Quæritur* 2° in quodnam objectum directe cadat impedimentum dirimens ?

Resp. Juxta quosdam, inter quos Jac. Boileau, Pothier, Bergier, impedimenta ab Ecclesia statuta directe cadere possunt in ipsum Sacramentum ; quæ vero a principe statuuntur, directe afficere possunt ipsum contractum.

Alii dicunt principem posse irritare contractum civilem, non vero contractum naturalem ; ita ut cum civilibus impedimentis possit consistere matrimonii sacramentum, quia, ut aiunt, solus contractus naturalis, non autem civilis, est materia sacramenti. Ita Habert, Tournely, Collet, etc.

At, juxta communem et veram sententiam, impedimentum dirimens directe attingit contractum Matrimonii naturalem.

Etenim 1. hoc clare docet Conc. Trid., n. 22, his verbis : « Qui aliter quam præsente Parocho..., et duobus vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos

S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit et hujusmodi *contractus irritos et nullos esse decernit*. Idem expresse propugnat Benedict. XIV, *de Synod.* lib. 6, c. 7, n. 5.

2. Impedimentum dirimens directe attingit vel contractum naturalem, vel ipsum Sacramentum : atqui posterius dici nequit. Ecclesia enim nihil potest circa substantiam Sacramentorum, ex dictis in Tract. *de Sacram. in gener.* n. 103, 104, id est, efficere nequit ut, positis materia, forma et ministro per Christum determinatis, statim non adsit Sacramentum ; ergo impedimentum dirimens directe attingit ipsum contractum naturalem.

Indirecte tamen attingit ipsum Sacramentum. Scilicet impedimentum dirimens facit, non quidem ut contractus non sit materia et forma Sacramenti Matrimonii, sed duntaxat ut in tali vel tali casu non perficiatur contractus, ac proinde ut in eodem casu non ponantur materia et forma Sacramenti, quæ in ipso contractu consistunt. Vide infra, n, 174.

Equidem materia aliorum Sacramentorum, utpote quid physicum, non pendet ex arbitrio hominum ; at contractus Matrimonii, cum sit quid morale, penes est Ecclesiasticam auctoritatem ei apponere quas voluerit conditiones et solemnitates, sine quibus non erit verus contractus.

171. — *Quæritur* 3° quomodo impedimentum dirimens obstet contractus validitati?

Resp. Hæc quæstio utilis est pro impedimentis ab Ecclesia statutis. In hujusmodi enim impedimentis datur sæpe dispensatio *in radice*, quæ, scilicet, etiam absque renovatione consensus convalidat Matrimonium jam invalide initum ob impedimentum juris ecclesiastici. Porro, ut bene intelligatur quid efficiat seu tollat hujusmodi dispensatio, necesse est accurate explicare quid opponat præfatum impedimentum.

Jam vero, ex modo dictis, dirimens impedimentum directe attingit contractum naturalem seu ipsum contrahentium consensum, qui contractum efformat. Qui porro

onsensus non destruitur quidem, sed suspenditur per im-
edimentum juris ecclesiastici, ita ut consensus sit invalidus onditionate tantum, et donec amoveatur obex, vel con-
ruum remedium ipsi applicetur.

Etenim Ecclesia concedit dispensationes *in radice*, ut nfra videbitur, vi quarum sæpe redintegratur Matrimonium bsque renovatione consensus : atqui tamen Ecclesia non otest consensum supplere; ergo, per impedimentum juris cclesiastici, vis consensus fuit tantummodo suspensa. liunde hoc sufficit ut contrahentes sint inhabiles ad marimonium, atque præcaveantur gravissima incommoda, uæ non raro sequerentur ex renovatione consensus.

Itaque, posito impedimento dirimente juris ecclesiastici, vel consensus datur sub hac conditione ab ipsis contrahentibus implicite apposita : *nubimus, modo auctoritate legitima removeatur impedimentum;* vel ipsum impedimentum fuit ab Ecclesia sub hac conditione appositum : *nisi penitus tollatur ab Ecclesia;* ac proinde, illa conditione eveniente, deficit impedimentum, atque consensus effectum suum producit.

Impedimenta autem juris naturalis aut divini non suspendunt tantum, sed penitus adimunt vim consensus, eo quod fundantur in turpitudine intrinseca tali Matrimonio, et ideo super his non datur, nec dari potest ab Ecclesia ulla dispensatio,

§ II

De auctoritate statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia, et de iis qui hujusmodi impedimentis subjiciuntur.

172. — *Quæritur* quinam sint de hac materia varii errores?

Resp. Hic non agitur de impedimentis ex jure *naturali* aut *divino* defluentibus. Patet enim Deum potuisse validitati Sacramenti Matrimonii conditiones apponere, quas ipsi placuerit. Sed quæstio est an in terris vigeat aliqua auctoritas, quæ per se possit ferre impedimenta dirimentia contractum naturalem Matrimonii, ita ut quod antea ad hujusmodi contractum sufficiebat, jam insufficiens evadat.

Plures de præsenti quæstione olim excogitati fuere, et hodie etiam moventur errores. Scilicet, 1. Lutherus et Calvinus, qui docebant Matrimonium non esse Sacramentum; sed contractum subjici tantum auctoritati Principum, et Ecclesiam nihil aliud posse, quam promulgare leges in Scriptura contentas, a quibus proinde non potest dispensare. Hoc damnatum est a Conc. Trid., n. 5 et seq.

Eumdem errorem saltem ex magna parte renovarunt Marcus Antonius de Dominis, Launoius et multi alii Jansenistæ, præsertim in Synodo Pistoiensi, cujus in hac materia propositiones reprobatæ sunt a Pio VI, in Bulla *Auctorem fidei*.

Plures etiam nunc hujusmodi errores propugnant, ut videre est in Syllabo, prop. 68, 69, 70, 71, 74 [1].

2. Alii asserunt Ecclesiam quidem posse apponere impedimenta dirimentia Sacramento; principem vero habere facultatem ea apponendi contractui.

3. Alii tandem principi adjudicant jus innatum apponendi Matrimonio impedimenta, quæ ipsum contractum irritent; sed simul sentiunt juris illius usum et exercitium duntaxat sibi Ecclesiam reservasse. Ita Sanchez et alii plures.

Jam vero, probatum est n. 47 et seq., matrimonium inter baptizatos, etiam quatenus contractum, subtrahi auctoritati laicæ; hance tamen auctoritatem posse quasdam prohibitiones statuere circa contractus matrimonii accessoria. Itaque probandum superest Ecclesiæ jure divino potestatem statuendi impedimenta contractum Matrimonii dirimentia competere.

1. Hujusmodi propositiones sic se habent : « Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt. — Ecclesia sequioribus seculis dirimentia impedimenta inducere cœpit, non jure proprio, sed illo jure usa, quod a civili potestate mutuata erat. — Tridentini canones qui anathematis censuram illis inferunt, qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiæ negare audeant, vel non sunt dogmatici, vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt. — Tridentini forma sub infirmitatis pœna non obligat, ubi lex civilis aliam formam præstituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere. — Causæ matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent. »

PROPOSITIO

173. — *Ecclesiæ jure divino competit potestas statuendi impedimenta contractum Matrimonii dirimentia.* De fide est.

Prob. 1° *Script.* Christus enim dixit Apostolis: *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo,* etc. Matth. 18, ℣ 18. Unde sic : per illa verba Christus dedit Ecclesiæ potestatem in rebus ad spirituale forum spectantibus ea statuendi, quæ necessaria vel utilia judicaverit : atqui, ex una parte, contractus Matrimonii, cum sit materia et forma Sacramenti, ad forum Ecclesiæ spectat, ut patet; ex altera vero, utile imo et necesarium esse potest ad bonum spirituale sive conjugum, sive prolis, sive Ecclesiæ, quod ille contractus non ineatur nisi talibus vel talibus positis conditionibus, ut constabit ex dicendis de variis in specie impedimentis; ergo Christus dedit Ecclesiæ potestatem statutuendi impedimenta contractum Matrimonii dirimentia.

2° *Traditione.* Quolibet enim seculo occurrunt leges latæ ab Ecclesia circa Matrimonium, ut videri potest in collectione conciliorum : atqui plures ex illis legibus expresse statuunt impedimenta dirimentia; in iis enim legitur *non adesse Matrimonium, non esse uxorem eam quæ ducta est, non esse conjugii nomine deputandos, Matrimonium esse solvendum, irritas esse nuptias, esse fornicationem,* vel *adulterium* et alia hujusmodi; ergo, etc.

Conc. Trid. contra Protestantes sic decernit, n. 8 : « Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere *impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse :* anathema sit. » Porro hæretici contendebant potestatem illam non jure divino seu proprio Ecclesiæ competere; ergo errrorem Protestantium sic damnado, Concilium definivit hujusmodi potestatem jure divino ad Ecclesiam pertinere.

Revera propositio Synodi Pistoiensis, qua asseritur Ecclesiam non semper potuisse ac posse in Christianorum Matrimoniis *jure proprio* impedimenta *dirimentia* constituere, Concilii Trid. *eversiva* et *hæretica* declaratur a Pio VI, Bulla *Auctorem fidei.*

Idem infertur ex damnatione propositionum in Syllab. recensitarum, quas retulimus, n. 172.

3° *Ration*. Maxime expedit, ut contractus Matrimonii in nova lege indissolubilis, posset omnino impediri in certis casibus, in quibus, scilicet, non sufficeret simplex prohibitio: porro hujusmodi potestas ad Ecclesiam pertinere debet, tum quia in nova lege contractus Matrimonii est de foro spirituali, quatenus Sacramenti materiam et formam constituit; tum quia Matrimonia bene aut male composita inducunt multa commoda aut incommoda pro societate spirituali; ergo Ecclesia facultate statuendi impedimenta Matrimonii contractum dirimentia potitur.

174. — *Obj.* 1° Ecclesia nihil potest in substantia Sacramentorum : atqui, si potestatem haberet statuendi impedimenta Matrimonium dirimentia, tunc posset efficere ut consensus partium, jam ob novas appositas conditiones, sufficiens non foret materia illius sacramenti sicque mutaretur ejus substantia; ergo Ecclesia non habet potestatem statuendi impedimenta dirimentia.

Resp. 1. Retorqueri potest argumentum contra adversarios qui dicunt Principem, et quidem solum, posse impedimenta Matrimonium dirimentia statuere; unde illorum responsio nostra erit.

2. *Nego min.* Namque materia hujus sacramenti est contractus validus : porro, cum Ecclesia novas apponit conditiones, quarum defectus invalidum reddit Matrimonium, non facit ut contractus *validus* jam non sufficiat ad validam Sacramenti materiam; sed duntaxat *impedit ne contractus antea validus jam sit validus;* quemadmodum artis chimicæ peritus, qui aquam aut panem corrumpet, instanti quo Sacerdos vult baptizare vel celebrare, non ideo Baptismatis aut Eucharistiæ materiam mutaret, sed impediret tantum quominus, defectu panis et aquæ, valida tunc adesset illorum Sacramentorum materia.

175. — *Obj.* 2° Ecclesia nihil potest detrahere auctoritati Principum : atqui multum detraheret constituendo impedimenta dirimentia, siquidem Matrimonia, quæ ex lege civili essent valida et obligatoria, propter impedimentum Ecclesiasticum fierent nulla et illicita.

Resp. Nego maj. quæ in sensu objectionis abunde confutaur n. 47 et seq., et in Tract. *de Eccl.* n. 229. Nihil obstat uin in certis casibus, qui ad ordinem spiritalem spectant, liquid auferatur a potestate civili, bonis quæ ab Ecclesia in psam redundant, abunde compensandum.

177. — *Quæritur* 1° *quibusnam* in Ecclesia competat *jus erendi* impedimenta dipimentia?

Resp. Illa potestas residet in S. Pontifice, extra, vel intra Conc. generale, ob plenitudinem potestatis, vi cujus S. Pontifex potest leges condere et decreta quæ pertineant ad omnes Ecclesias, ut dictum est in Tract. *de Ecclesia*, n. 195, 202.

Attamen certum etiam videtur potuisse olim Concilia particularia constituere impedimenta dirimentia; siquidem pleraque ex iis, quæ viguerunt in primis seculis, originem ducunt a Conciliis provincialibus. Hodie et jam a pluribus seculis constitutio hujusmodi impedimenti facta est causa major S. Pontifici aut concilio generali reservata; ad servandam uniformitatem in negotio adeo arduo, in quo difficultates oriri facile possunt.

Propterea in hac materia omnis consuetudo particularis sive inducens, sive abrogans impedimentum, est semper irrationabilis et sine effectu; nec ipsa generalis consuetudo vim legis haberet absque expressa S. Pontificis approbatione, propter materiæ gravitatem, ita ut illa approbatio potius lex scripta evaderet, prout docet Benedict. XIV, Constit. *Singulare nobis*, 9 febr. 1749.

S. Pontifex autem aut Conc. generale talia impedimenta statuere possunt vel ad modum *regulæ* pro universa Ecclesia, vel ad modum *præcepti*, nempe, in aliquo particulari casu prohibendo, ne inter peculiares personas sub pœna nullitatis matrimonium contrahatur.

178. — *Quæritur* 2° quinam *subjiciantur* impedimentis dirimentibus?

Resp. Quæstio moveri potest de Catholicis, hæreticis et infidelibus. Porro

1. Catholici subjiciuntur omnibus impedimentis diri-

mentibus jure naturali, aut divino, aut ecclesiastico constitutis. Res per se patet.

2. Hæretici ligantur etiam per impedimenta juris sive naturalis, sive divini. An idem dicendum sit de impedimentis ecclesiasticis, non ita constat. Equidem Ecclesia potest, si velit, ad hæreticos impedimenta extendere; nam per Baptismum, fiunt ejus subditi. At docent non pauci Ecclesiam non voluisse illa impedimenta extendere saltem ad hæreticos, qui degunt in societate ab Ecclesia prorsus separata; idque deducunt sive ex consuetudine, sive ex benignitate et sapientia Ecclesiæ. Ita Layman, Schmalzgrueber, etc.

Alii vero communius tenent leges illas irritantes obligare omnes hæreticos, illudque inferunt sive ex indulto, quo a SS. Pontificibus conceditur Episcopis facultas dispensandi *in contractis cum hæreticis conversis*, etiam in secundo simplici et mixto consanguinitatis, dummodo non attingat primum gradum; sive ex Bendict. XIV, qui in Constit. *Singulare Nobis*, docet impedimentum disparitatis cultus ligare etiam hæreticos; sive ex Constit. *Ad tuas manus*, directa ad Episcopos Poloniæ, 7 aug. 1748. Ita Lessius, Kugler, Collet, De Angelis, lib. 4, tit. 1, n. 16, qui addit præfata argumenta tali esse, ut *non admittant ullam in contrarium exceptionem*.

Alii tandem distinguunt, scilicet, vel agitur de impedimentis nonnisi post peractam hæreticorum separationem statutis, vel de statutis antea: si prius, hæretici illis legibus non tenentur; si posterius, tenentur illi hæretici. Ita Carrière, n, 611 et seq. De Angelis in sua sententia hujusmodi distinctionem præsupponere videtur.

Hinc valde probabile est irrita esse Matrimonia cum impedimentis inita apud nos a Protestantibus, et, si convertantur isti, illa iteranda esse. Attamen, si timendum esset ne consensum renovare nollent, caute agendum foret et consulendi superiores, præsertim cum res non sit omnino certa. Sæpe enim magis expediret vel relinquere in bona fide, vel potius recurrere ad dispensationem *in radice*.

Notandum est inter illa impedimenta unum esse, nempe

clandestinitatis, de quo hic non agitur, quia sunt circa illud peculiares rationes dubitandi, quas in suo loco exponemus. n. 248.

Insuper, in prædictis non agitur de hæreticis et schismaticis *orientalibus* diversorum rituum, qui habent in hac materia legislationem prorsus diversam, ut ait de Angelis, *ibid.*

3. Infideles subjiciuntur impedimentis non solum quæ ex jure naturali, sed etiam quæ ex jure divino derivantur.

Et quidem eis quæ sunt *ex jure naturali*, eo quod talia præcipiunt, quæ sunt contractui substantialia, aut ea vetunt, quæ intrinsece inhonesta sunt. Sed etiam quæ sunt ex jure *positivo divino*; hoc enim jus editum est in ipso connubio protoparentum, ac proinde fuit velut forma omnium matrimoniorum, quæ in posterum a filiis celebranda forent.

Non minus autem constat eos *directe* non attingi per impedimenta mere ecclesiastica. Ecclesia enim auctoritatem non habet in eos qui non fuerunt baptizati, juxta illud : *Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* I Cor. 5, ℣ 12.

Potest tamen infidelis *indirecte* attingi per impedimentum ecclesiasticum, si nempe nubat cum fideli, qui ipse legi ecclesiasticæ subjicitur, ut patet ex impedimento disparis cultus, vel consanguinitatis in gradu, qui constituit impedimentum ecclesiasticum.

179. — *Quæritur* 3° quale sit peccatum contrahere Matrimonium cum impedimento dirimenti?

Resp. Peccatum est mortale ex genere suo, etiamsi non intendatur hujus Matrimonii consummatio. Etenim gravis irrogatur injuria Sacramento, quod nullum est defectu materiæ; vid. Tract. *de Sacr. in gen.*, n. 42. Insuper exinde gravissima oriuntur incommoda pro uno aut utroconjuge, propter vinculum legis civilis, quando hæc, ut sæpius fit, hujusmodi irrita Matrimonia sancit quoad effectus civiles. Adde periculum utendi tali Matrimonio, et scandalum ex hoc ordinarie oriturum.

Dixi : *etiamsi non intendatur hujus Matrimonii consum-*

matio; quia si consummatio intendatur vel fiat, peccatum omni modo fornicationi æquiparatur aut potius ipsa fornicatio est, quantumvis auctoritate civili et tribunalium sententiis confirmetur.

Attamen Ecclesia agnoscit legitimitatem prolis enatæ ex matrimonio invalido, quoties in celebratione ejusdem matrimonii bona adfuerit fides, ex parte saltem unius ex contrahentibus; n. 191.

§ III

De variis Impedimentis dirimentibus.

181. — *Quæritur* quænam sint impedimenta *dirimentia*, et quænam eorum ratio?

Resp. 1° Quindecim vulgo numerantur his versibus comprehensa :

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Amens, affinis, si consummare nequibis,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto,
Si Parochi et duplicis desit præsentia testis.

Ex quibus, tredecim priora sunt Juris antiqui, vel naturalis, vel divini, vel solum positivi ecclesiastici; duo autem posteriora jure novo ecclesiastico Concilii Tridentini sunt introducta.

In præfata enumeratione habita est ratio metri, non vero ordinis logici. Qui logicus ordo servatur his versibus :

Amens atque *errans*, cui *vis* infertur *iniqua*;
Impos perpetuo, primoque *ligamine* vinctus;
Quem *solemne* tenet *votum*, vel consecrat *ordo*;
Cognati, *affines*, quos *publica* jungit *honestas*;
Si *cultus dispar*, conjux si *serviat* unus;
Qui *raptor* sponsæ, infandi *criminis* auctor;
Conjugii fœdus qui *clandestinus* iniret.

Ex variis illis impedimentis tria priora referuntur ad *consensum*, undecim subsequentia ad *personarum* habilitatem, ultimum vero ad *formam* contractus.

Scilicet 1. *consensum* ipsum afficiunt *amentia*, *error*, *vis* seu *metus*, qui veri consensus conditiones necessarias, in-

telligentiam scilicet et libertatem tollunt aut minuunt.

2. Quæ *personarum* habilitatem respiciunt, sunt vel *absoluta*, seu cum qualibet persona Matrimonium irritantia, nempe *impotentia* et *ligamen* ex jure naturali, *votum* et *ordo* ex jure positivo; vel sunt *relativa*, seu tantummodo cum quibusdam personis Matrimonium irritant, qualia sunt *cognatio*, *affinitas* et *honestas*, quæ in propinquitate personarum fundantur; *cultus disparitas* et *conditio* servilis; tandem *raptus* et *crimen*, per modum pœnæ instituta.

3. Demum quod *formam* contractus respicit, est *clandestinitas*.

2° Porro paulo consideranti patet finem atque rationem illorum impedimentorum ad quinque præsertim referri: 1. ad ipsius Sacramenti *reverentiam*, et conjugum *prudentem* simul et *liberam*, gratamque *unionem*.

2. Ad *Religionis decus*, ut in impedimento *votis* et *ordinis*.

3. Ad *societatis* sive *religiosæ*, sive *civilis bonum*; utriusque enim interest ut multiplici inter se vinculo homines colligentur: inde impedimenta *cognationis*, *affinitatis*.

4. Ad *morum conservationem*, scilicet, ne familiares abutantur assiduitate et facilitate commercii, spe Matrimonii postea ineundi; et post Matrimonium, ut eorum passiones coerceantur timore pœnæ incurrendæ, nempe debiti non petendi, si cum *cognato* conjugis aut proprio *affine* peccare contingeret; item ut præcaveantur crimina conjugicidii et et adulterii, sicque fidelitas conjugum, et, ex securitate majori, amor ipse et fiducia foveantur.

5. Ad *bonum ipsum physicum* sive conjugum, sive, et præsertim, prolis; experientia enim constat eos conjuges qui proximioris sanguinis vinculo sunt conjuncti, hujus communis sanguinis vitia, si qua sint, proli aggravata transfundere, quæ e contra, ex commercio inter magis extraneos sæpe imminuuntur.

Unde « tanta vi, tanta providentia istud institutum (matrimonium) Ecclesia communiit, ut nemo sit rerum æquus existimator, quin intelligat, hoc etiam ex capite, quod ad conjugia refertur, optimam esse humani generis custodem

ac vindicem Ecclesiam; cujus sapientia et fugam temporum, et injurias hominum, et rerum publicarum vicissitudines innumerabiles victrix evasit. » Leo XIII, Encycl. *Arcanum*, 10 febr. 1880.

Dicemus successive de impedimentis quæ afficiunt 1° consensum ipsum; 2° personas contrahentes; 3° formam contractus.

NUMERUS PRIMUS

De Impedimentis quæ afficiunt ipsum consensum.

Tria sunt hujusmodi impedimenta, scilicet, *amentia*, *error*, *vis* seu metus. Itaque

PUNCTUM PRIMUM

De Impedimento Amentiæ.

182. — *Quæritur* an et quænam *amentia* sit impedimentum dirimens?

Resp. Amentium nomine ii omnes intelliguntur, qui rationis usu destituuntur, ut furiosi, imbecilles, etc.

Porro 1., qui perpetua et absoluta amentia laborant, jure naturali inhabiles sunt ad Matrimonium; ad talem enim contractum sane requiritur rationis exercitium, sine quo non est consensus rationalis et liber.

2. Qui vero non laborant amentia absoluta, sed rationis usu sufficienti ad peccandum lethaliter gaudent, vel qui circa unum tantum punctum sunt amentes; vel qui lucida habent intervalla, possunt valide contrahere in intervallis lucidis. Sed, generatim loquendo, ii sunt a Matrimonio avertendi, ob mala quæ ex talibus Matrimoniis sequi solent, et speciatim ob difficultatem rite educandæ prolis.

Attamen circumstantiæ suadere possunt ut ejusmodi Matrimonia permittantur., v. g., ad sanctificandam conjunctionem civiliter existentem, etc.

Idem fere dicendum est de surdis-mutis. Innoc. III ea de re interrogatus respondit « surdum et mutum, si velit contrahere, non esse denegandum, cum quod verbis non potest, signis valeat declarare. » Et hoc patet quoad illos, qui in scholis ad hunc finem instituti sunt edocti; quoad alios autem non ita constat quatenus possint verum consensum dare, et magna opus est prudentia.

PUNCTUM II

De Impedimento erroris.

183. — *Quæritur* 1° quotuplex sit error ex parte obecti in re Matrimonii?

Resp. Error in præsenti materia est vel *substantialis*, vel *accidentalis :* prior versatur circa *personam* ipsam, quæ ducitur pro alia, v. g., quando Jacob Liam pro Rachele duxit; posterior versatur vel circa *qualitates* personæ, v. g., nobilitatem, virtutes; vel circa *fortunam*, ut si quis existimet ducere divitem, et ducat pauperem; vel circa *conditionem servilem*, de qua dicetur, n. 219.

184. — *Quæritur* 2° qualis error constituat impedimentum dirimens?

Resp. 1. Error *circa personam*, qualiscunque sit ille error, sive vincibilis et crassus, sive invincibilis, sive antecedens, sive etiam concomitans, quo scilicet sublato, nihilominus præstitus fuisset consensus, sive procedat ab ipso ignorante, sive ab alio per dolum, *ipso naturæ jure, reddit Matrimonium invalidum, nisi constet mentem contrahentis fuisse consistere in personam ibi præsentem, quæcunque illa sit.*

Ratio est, quia tunc consensus non fertur in hanc personam cum qua contrahitur, sed in aliam quæ putatur adesse; ergo contractus est omnino nullus, quia est sine consensu necessario, nec proinde in hoc datur dispensatio.

2. Error circa personæ *qualitates* aut *fortunam*, qualiscunque sit, per se non invalidat Matrimonium. Ita Theologi, saltem communissime, et praxis tribunalium sive ecclesiasticorum sive civilium. Ratio est quia manet consensus in personam præsentem; et aliunde plerumque daretur via Matrimonium dissolvendi, si sufficeret ejusmodi error, nec ideo plerique nubere vellent. Unde, quando quis contrahit cum persona paupere, vidua, corrupta, rixosa, plebeia, quæ putabatur dives, virgo, honesta, pacifica, nobilis, validum est matrimonium; n. 76, 4°.

Cum autem sit illicitum ex parte decipientis, pars de-

cepta non tenetur cum decipiente cohabitare, sed separationem perpetuam quoad torum et habitationem facere potest, si agatur de comparte vidua, aut corrupta, aut plebeia, quæ putabatur virgo, honesta, nobilis.

185. — Excipiunt Doctores : 1. *nisi errans contrahat sub expressa conditione qualitatis* aut *fortunæ;* quia contractus conditionales, deficiente conditione, nulli sunt. Sufficit autem conditio apposita interius, n. 70, 76 4°, vel virtualiter tantum; sed non sufficit ut apponatur interpretative.

2. *Nisi error circa qualitatem redundet in ipsam personam*. Hoc autem evenit quando illa qualitas est determinativa personæ, quacum quis contrahere intendit, ita ut hæc persona a contrahente non cognoscatur nisi ex indicio seu nota illius qualitatis. Tunc enim consensus non fertur præcise in personam præsentem, sed in eam tantum quæ apprehenditur et animo concipitur sub tali qualitate. Sit, v. g., duplex propositio : *Paulus vult contrahere cum hac femina præsente, quam putat esse primogenitam Petri;* vel : *Paulus vult contrahere cum primogenita Petri, quam putat esse feminam præsentem*. In primo casu error circa primogenituram non est determinativa feminæ, bene vero in secundo casu, in quo proinde error redundat in personam atque fit substantialis.

PUNCTUM III

De Impedimento vis seu Metus.

186. — *Quæritur* quid sit *metus*, et quotuplex ?

Resp. 1. Metus, ut dictum est in Tract. *de Act. hum.*, n. 26, est *trepidatio mentis*, seu *motio contra voluntatis inclinationem*. Si hæc inclinatio oriatur a causa *physica*, dicitur *vis*.

2. Metus, ratione *intensitatis*, est *gravis* vel *levis*, prout timetur malum grave aut malum *leve*. Gravis est etiam *absolute*, quando scilicet malum in se et pro majori hominum parte vere grave timetur; vel *relative* tantum ad sexum, ætatem, indolem personæ cui injicitur. Vide Tract. *de Act. hum.*, *ibid.*

Ratione *causæ*, procedit a causa vel *externa* vel *interna*, *libera* vel *necessaria*. Ratione *modi*, incutitur *juste*, vel *injuste*; ratione *finis*, infertur vel ad extorquendum consensum in Matrimonium, vel in alium finem.

187. — *Quæritur* 2° quisnam metus sit impedimentum dirimens?

Resp. Dirimens impedimentum est *metus relative gravis, injuste a causa libera incussus, ad extorquendum consensum in Matrimonium*.

Ratio sumitur ex pluribus decretis Juris canonici, præsertim cap. *Cum locum*, cap. *Veniens*, de Sponsalibus, etc., idque fuit convenientissime statutum spectata natura Matrimonii; nam, cum perpetuam et indissolubilem unionem inducat, ideo majorem requirit libertatem, quam reliqui contractus; aliunde, omnibus notum est, quam infelices exitus ex invitis nuptiis proveniant.

Et quidem 1. metus *relative gravis*, quia metus levis, leviter minuit libertatem, et ideo non efficaciter in consensum influit. In dubio an metus censendus sit gravis, judicandum est pro valore Matrimonii, quia causa Matrimonii favorabilis est, eique ideo applicandum est principium : *in dubio, favores sunt ampliandi*. Si vero metus tolleret rationis usum, exinde matrimonium evaderet irritum non solum ratione imperfectæ libertatis, sed ex defectu libertatis ipsius seu consensus cujuscunque.

Cæterum, ad illum effectum relative gravem in causa matrimonii sufficiens esse potest metus *reverentialis*, quando, scilicet, ex hoc metu unum ex sponsis usque ad matrimonii celebrationem compulsum fuisse constat.

2. *Injuste incussus*. Si enim juste incutiatur metus, validum erit Matrimonium; v. g., judex comminatione carceris cogere potest stupratorem præcise ad Matrimonium in compensationem seu reparationem damni per illum illati.

Dubium est an tale Matrimonium validum esset, quando judex secundum allegata et probata, juste aliquem compelleret, qui reipsa esset innocens. Affirmant Sanchez, Kugler, etc.; negant autem Pontius, Salmant., S. Ligor., etc.

PUNCTUM PRIMUM

De Impedimentis inhabilitatem absolutam inducentibus.

Quatuor sunt hujusmodi impedimenta, duo ex jure naturali, nempe, impotentia et ligamen, duo ex jure ecclesiastico, nimirum, votum et Ordo. Itaque

I

De Impedimento impotentiæ et ætatis.

189. — De impotentia proprie dicta agitur ubi de Sext. præcepto. Hic igitur de impotentia tantum quæ ex ætate provenit, quædam dicemus.

190. — *Quæritur* quænam *ætas* sit impedimentum dirimens?

Resp. 1. Ex jure naturali, ad valide contrahendum, requiritur et sufficit ætas, in qua perfectus adest rationis usus, ad cognoscendum statum conjugalem, ejusque perpetuum et indissolubile vinculum, et ita de eo consensum liberum præstare possint contrahentes.

2. Ex jure canonico, requiritur ætas pubertatis, id est, in masculo annorum 14, in femina 12 completorum, c. 2, 3, 6, 10, tit. 2, lib. 4 Decret. Præsumitur enim ante illam ætatem ordinarie deficere tum discretionem et judicium rationis sufficiens ad cognoscendum statum conjugalem ejusque perpetuum vinculum, tum naturæ vigorem seu potentiam generandi. Ratio diversæ ætatis pro feminis et masculis inde petitur, quod potentia generandi citius in feminis quam in masculis et incipere et deficere solet.

Itaque ante hanc ætatem initæ nuptæ irritæ sunt nisi *malitia suppleat ætatem*, id est, nisi proximi pubertati de facto discretione et potentia generandi polleant ante ætatem jure canonico determinatam : quod ideo probandum est; et de hac probatione judicare spectat ad Ordinarium diœcesanum; et, si dubium supersit de potentia generandi, S. Sedem adire necesse est, ex Benedict. XIV Constitut. *Magnæ nobis*. Imo, in hoc casu, urgente causa, ipse Episcopus dispensare potest, ut communiter sentiunt cano-

istæ, inter quos Sanchez, Reiffenstuel, Barbosa, Suarez, Gonzalez, Layman, Mansella, etc. [1].

II

De Impedimento Ligaminis.

191. — Ligamen, seu vinculum alterius legitimi Matrimonii cum conjuge adhuc vivente, dirimit Matrimonium subsequens, ita ut conjuges non possint valide contrahere aliud Matrimonium, durante illo priori Matrimonio, ex dictis, n. 102, 111.

Sed *quæritur* utrum, in *dubio* de morte prioris conjugis, licitum sit ad alias nuptias convolare?

Resp. Non licet, quia sacri Canones requirunt moralem certitudinem; dicitur enim cap. *In præsentia*, de Sponsalibus : « *Quantocunque annorum numero* ita remaneant, viventibus viris suis, non possunt ad aliorum consortium canonice convolare..., donec *certum* nuntium recipiant de morte virorum. » Et cap. *Dominus*, de secundis Nuptiis

1. « Des inconvénients de toutes sortes, au point de vue physique et moral, peuvent résulter des mariages prématurés. En général, l'homme ne devrait pas contracter mariage avant vingt et un ans, et la femme avant dix-huit ans révolus.

« En Angleterre, sur 1,000 garçons de vingt à vingt-cinq ans, ceux qui se marient dans l'année sont au nombre de 120 : En France, de 87; en Italie, de 35; en Belgique, de 84. Le dernier chiffre est également celui du département de la Seine. — Pour les filles, la proportion est de 130 en Angleterre, 107 en France, 103 en Italie, 96 dans le département de la Seine, 63 en Belgique.; en sorte que la plus grande probabilité des mariages se rencontre de 20 à 25 ans en Angleterre, de 25 à 30 ans en France, de 25 à 35 ans en Italie et en Belgique. A Paris, les mariages sont moins nombreux dans la jeunesse que dans l'âge qui a passé la maturité.

« Pour les mariages entre garçons et filles, on observe que les garçons de 15 à 20 ans épousent des filles plus âgées qu'eux de 2 à 3 ans; dans la période suivante, les filles sont plus jeunes de 1 an, et la différence d'âge s'élève successivement de 2, 5, 7 jusqu'à plus de 20 ans, au fur et à mesure que les garçons qui les épousent s'élèvent en âge. C'est ainsi que les garçons qui ont dépassé la soixantaine, épousent des filles plus jeunes qu'eux de plus de 20 ans. Après 35 ans, les filles épousent des individus plus jeunes qu'elles dans une proportion qui s'élève avec l'âge. La différence atteint près de 9 ans, lorsqu'elles-mêmes dépassent 55 ans. Enfin, en Angleterre, la proportion des mariages ne cesse de s'accroître; elle est stationnaire en France, mais elle diminue en Suède avec une rapidité inquiétante. » *Journal de la Société de statistique de Paris*, juillet, 1872.

dicitur : *Donec ei constet quod ab hac vita migraverit conjux ejus.*

Hinc 1. graviter peccat qui Matrimonium contrahit sine tali certitudine, etiamsi revera prior conjux obierit.

Hinc 2. non sufficit absentia sola conjugis per quinque aut septem, aut etiam triginta annos, imo nec quantacumque sit absentia, nisi adsint *certa* mortis indicia.

Jam vero ex Instructione S. Officii 21 aug. 1670, et alia ann. 1868 edita, probanda est conjugis mors per authenticum obitus documentum, vel per testium depositionem, vel per unius testimonium cæteris junctis, vel de auditu vel, his omnibus deficientibus, ex conjecturis, præsumptionibus, indiciis et adjunctis urgentioribus et propiore nexu cum veritate mortis conjunctis, vel ex fama aliis adjuta adminiculis, vel tandem investigatione per publicas ephemerides. Vide Instruction. S. Officii, an 1868, apud Mansellam, Append. 8.

Si, post contractum secundum Matrimonium etiam in facie Ecclesiæ, compareat conjux, qui mortuus putabatur, tunc certissime et sine ullo dubio, relicto posteriore illo conjuge, ad priorem redeundum est. Filii illo ex secundo Matrimonio cum bona fide suscepti, ut legitimi habentur, modo illud initum fuerit bona fide, saltem alterutrius partis, et perseveraverit illa bona fides usque ad tempus quo concepti sunt filii. Ita in favorem prolis decrevit, Innoc. III, cap. *Ex tenore*, 14. Idem admittit Codex civilis, art. 201, 202.

An validum foret Matrimonium illius qui, *falso existimans* priorem conjugem adhuc vivere, ad secundas nuptias convolaret, affirmat Pontius, qui in hoc ab aliis communiter reprobatur.

III

De Impedimento voti.

192. — *Quæritur* an et quodnam *votum* sit impedimentum dirimens?

Resp. Votum solemne castitatis est impedimentum dirimens Matrimonium; ita ut tali voto ligatus, sit omnino inhabilis ad contrahendum Matrimonium.

Constat ex Conc. Trid., n. 13, ubi hoc expresse definitum est; et etiam ex multis decretis Conc. et SS. Pont., quæ habentur in Jure canonico; idque convenientissime statuit Ecclesia, ne qui penitus mundo ac seculi deliciis renuntiarunt, et totos sese Deo tradiderunt, quasi spreto primo Domino, mundum denuo ingrediantur.

Votum autem solemne illud est, quod emittitur in valida Religionis approbatæ professione, et modo illud votum pro solemni ab Ecclesia habeatur.

In valida quidem Professione : nam si quis extra professionem voveat etiam publice castitatem, tale votum non erit solemne, de quo hic agimus, sed simplex tantum, de quo, n. 164.

Sed insuper, *modo illud votum pro solemni ab Ecclesia habeatur;* quia sunt vota, quæ in Religione approbata, etiam post novitiatum emittuntur, quæ tamen ab Ecclesia non ut solemnia approbantur, sed ut simplicia ab eadem Ecclesia reputantur.

Tamen vota quæ Scholares Societatis Jesu emittunt, licet solemnia non sint, impediunt nihilominus ne Matrimonium valide contrahi possit, antequam per Superiorum dispensationem relaxentur. Ita sancivit Gregor. XIII, Bulla *Ascendente Domino.*

Præterea excommunicationem majorem latæ sententiæ Episcopo reservatam incurrit tum qui, post solemnem Religionis professionem, matrimonium contrahere præsumit, tum qui cum illa persona idem contrahere attentat, ex dictis in Tract. *de Censuris*, n. 72; atque etiam irregularitatem, si consummetur illud attentatum matrimonium, ex dictis in Tract. *de Ordine*, n. 84, et infra, n. 215.

In Gallia mulieres non emittunt vota solemnia, bene vero homines in pluribus Ordinibus, ut dictum est in Tract. *de Obligat.*, n. 101.

Cæterum, communiter tenent Theologi, votum solemne dirimere Matrimonium non jure divino aut naturali, sed tantum ecclesiastico, quia votum solemne solo jure ecclesiastico habet quod sit solemne, ut dicitur cap. unico *de Voto*, in Sexto, et quia valde probabile est, quod primis

Ecclesiæ seculis nullum castitatis votum dirimeret Matrimonium, neque illud invalidum efficeret, sed tantum illicitum, n. 119. Vide de Angelis, lib. 4, tit. 6, n. 5, 6

IV

De Impedimento Ordinis.

193. — *Quæritur* an et quisnam Ordo sit impedimentum dirimens?

Resp. Omnis *Ordo sacer valide susceptus reddit Matrimonium subsequens omnino invalidum*. Ita enim definivit Conc. Trid., n. 13, his verbis : « Si quis dixerit, Clericos *in Sacris Ordinibus* constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, *posse matrimonium contrahere*, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica vel *voto*... anathema sit. » Et hoc quidem convenientissime; ostendit enim ipsa lex naturalis indecorum esse hominem sacro Altaris ministerio deputatum, uxorem ducere, nec bene congruere cum officio et dignitate sacri Ordinis. Vide Tract. *de Obligat.*, n. 52.

Unde Ecclesia irritans, seu annulans hujusmodi Matrimonia, manifestam habuit ac necessariam rationem. Nam si prohibita tantum essent et non invalida Matrimonia Clericorum, nondum spes conjugii ablata esset Ordinatis; itaque contingeret, ut plurimi Ordinati, pudore postposito, contemptis vel neglectis censuris ecclesiasticis, non sine ingenti Ordinis sui dedecore ac fidelium scandalo, ad desideratas nuptias convolarent, eo quod scirent eas, licet illicitas, attamen ratas fore, ac postea rescindi non posse. Nunc autem Ordinati ad sanctiora incontinentiæ remedia recurrere, felici quadam necessitate compelluntur.

Sed insuper excommunicationem majorem latæ sententiæ Episcopo reservatam incurrit tum Clericus in sacris constitutus, qui matrimonium contrahere præsumit, tum persona quæ cum eo idem contrahere attentat, ex dictis in Tract. *de Censuris*, n. 72; atque irregularitatem, si tale attentatum matrimonium fuerit consummatum, ex dictis in Tract. *de Ordine*, n. 84, et ex dicendis n. 215.

)4. — Ordo sacer jure tantum ecclesiastico dirimit imonium, idque duplici ex causa : 1. *ratione voti imti* castitatis Ordini sacro, juxta plures, annexi jure ecastico; quod votum, ut habetur cap. unico de *Voto*, in to, per Ordinis sacri susceptionem, perinde ac per Reonis professionem solemnisatur quoad effectum dirindi Matrimonium subsequens; quamvis non habeat vim endi Matrimonium præcedens ratum, non consummaı, sicut Religionis Professio. 2. Et præsertim, Ordo sa-dirimit Matrimonium, etiam *ratione sui*, ob Ecclesiæ ıstitutionem : unde illi non possent *valide* inire Matrimoım, qui in susceptione Ordinis sacri vovere expresse nossent vel ignorassent; et sacrilegium in se committunt i, in sacris constituti, castitatem violant etiam sub Mamonii nomine, quatenus violant legem latam ex motivo ligionis; nec vult Ecclesia ut sic ordinatus commodum sua iniquitate reportet. Suarez, *de Relig.*, t. 3, lib. 9, 17, n. 7, 8, 12 et seq.; Kugler, n. 1777; Carrière, 791-94; Tract. *de Oblig.*, n. 53.

PUNCTUM II

De Impedimentis relativam tantum incapacitatem inducentibus.

Septem sunt hujusmodi impedimenta, nempe, cognatio, ffinitas, honestas publica, cultus disparitas, conditio, ʼaptus et crimen. Duo ultima per modum pœnæ statuta sunt.

I

De Impedimento Cognationis.

Triplex est cognatio sicut et nativitas a qua procedit, alia scilicet carnalis seu *naturalis*, alia *spiritualis*, alia *legalis*, de quibus seorsim agendum est.

1. De cognatione naturali.

De cognatione naturali seu consanguinitate tria expendenda sunt, nempe ejus notio, gradus, et extensio quatenus impedimentum. Unde

195. — *Quæritur* 1° *quid sit* Consanguinitas?

Resp. Cognatio naturalis, quæ dicitur *consanguinit*- quasi sanguinis unitas et communicatio, recte definitur *Vinculum personarum, quarum una descendit ab alia*, *quæ ambæ ab eadem, tanquam a communi ac propinquo stipite, per carnalem generationem descendunt.*

Dicitur 1 : *vinculum*, id est, propinquitas ex ejusdem sanguinis communione proveniens; et in hoc discrepat vinculum cognationis a vinculo amicitiæ tantum.

Dicitur 2 : *quarum una descendit ab alia*, ut filius a patre.

Dicitur 3 : *vel quæ ambæ ab eadem persona descendunt*, sicut frater et soror a patre, consobrini germani ab avo.

Dicitur 4 : *tanquam a communi stipite*, scilicet, ducta metaphora ab arboris trunco, a quo multi rami pendent; ita filii a patre, etc.

Dicitur 5 : *ac propinquo stipite;* quia si sit remotus ultra quartum gradum, habebit potius rationem radicis quam trunci; et qui ab eodem multum remoto stipite descendunt, non amplius dicuntur consanguinei consanguinitate, quæ possit Matrimonium dirimere; alioquin nulli homines inter se possent Matrimonium contrahere, cum omnes ab uno Adamo et Noe descendant.

Dicitur 6 : *per carnalem generationem;* unde qui nascuntur per generationem non solum licitam, sed etiam illicitam, vere sunt consanguinei aliis, qui ab eodem stipite sive licite, sive illicite orti sunt.

Insuper ecclesiastico saltem jure in sensu lato accipitur consanguinitas, atque comprehendit tum eos et eas qui ex parte patris tantum et per lineam masculinam conjuncti sunt, et *agnati* appellantur; tum eos et eas qui ex parte tantum matris seu per lineam maternam conjuncti sunt, et *cognati* vocantur.

196. — Hinc in consanguinitate tria distinguuntur, scilicet, stipes, *la souche;* gradus, *le degré;* linea, *la ligne.*

Stipes est persona ex qua aliæ ducunt originem. *Gradus* est distantia inter consanguineos et communem stipitem, a quo ducunt originem; unde gradus numerantur ratione

tantiæ. *Linea* est series personarum ab eodem stipite · diversos gradus descendentium.

.inea duplex est, *recta* vel *collateralis*. Linea *recta* est se-s personarum quarum una descendit ab alia, et subdi-titur in lineam *descendentium,* in qua continentur per-ıæ quæ ab ascendentibus derivantur, ut filii, nepotes, onepotes, abnepotes; et in lineam *adscendentium,* in qua censentur ii, a quibus alii ducunt originem, ut pater, us, proavus, abavus. *Collateralis* autem linea est series rsonarum, quarum una non descendit ab alia, sed quæ lum descendunt ab eodem stipite, ut frater patris, filii filiæ fratris, nepotes et neptes ex fratre, pronepotes proneptes ex fratre; item patruus et amita, magnus ıtruus et magna amita, magnus propatruus et magna roamita.

Linea collateralis, seu transversa, obliqua, est vel *æqua-s*, cum consanguinei a communi stipite æqualiter distant, t frater et soror; vec *inæqualis*, cum alter magis, alter ıinus a communi stipite distat, ut frater et fratris filia.

197. — *Quæritur* 2° *quomodo computentur* gradus con-.anguinitatis ?

Resp. Tres dantur regulæ, ex Jure canonico, pro com-)utandis gradibus consanguinitatis, quarum *una* pro linea recta, et aliæ *duæ* pro linea collaterali. Dixi : ex Jure canonico; nam in Jure civili gradus, in linea collaterali, aliter quam in Jure canonico computantur, n. 250, ad 7.

1. *Regula pro linea recta*, quæ habetur præsertim in cap. *Parentelæ*, causa 35, quæst. 5ª, hæc est :

In linea recta ascendentium et descendentium tot sunt gradus, quot sunt generationes personarum, quarum *una descendit ab alia;* vel, *tot sunt gradus, quot sunt personæ, dempto stipite,* v. g., pater, filius, nepos, pronepos, abnepos, quinque sunt personæ, et quatuor tantum sunt generationes; et dempto stipite, nempe patre, restant tantum quatuor personæ. Unde filius cum patre est in primo gradu, nepos cum avo in secundo, pronepos cum proavo in tertio, abnepos cum abavo in quarto.

2. *Prima regula pro linea collaterali* hæc est :

In linea collaterali, personæ distantes æqualiter a communi stipite, eo gradu distant inter se, quo gradu distant a stipite communi : v. g., duo fratres uno tantum gradu distant quia ambo æqualiter et uno tantum gradu distant a communi tantum stipite, scilicet a patre in quo conjunguntur. Item filii duorum fratrum distant inter se duobus gradibus, quia æqualiter duobus gradibus distant a communi stipite, scilicet ab avo; causa 35, *ibid.*

3. *Secunda regula pro linea collaterali*, quæ habetur præsertim in c. 9, tit. 14, lib. 4 Decret., hæc est :


In linea collaterali, personæ inæqualiter distantes a communi stipite, eo gradu distant inter se, quo illarum remotior distat a communi et proximo stipite : v. g., frater est in secundo gradu cum filia fratris sui, quia etsi ipse frater tantum distet uno gradu a communi stipite, scilicet patre, filia tamen fratris distat duobus gradibus ab eodem stipite. Vide de Angelis, lib. 4, tit. 14, n. 1.

198. — Ut facilius dignoscantur illi gradus, præponimus stemma seu arborem, ut aiunt, consanguinitatis, in cujus cellula media loco litteræ N positum se fingat, qui de sua cum aliis consanguinitate inquirit. In aliis quibuscumque cellulis, numerus superior romanus gradum canonicum, inferior vero arabicus gradum civilem designat.

Jam vero, duplici modo quis uti potest præfata tabella seu arbore. Videlicet, vel jam cognoscitur stipes communis, et tunc ab illo stipite descendendum est usque ad sponsos ; vel non cognoscitur stipes communis, et tunc a sponsis ascendendum est usque ad communem stipitem. Sic, v. g., quæritur in quali gradu sponsa N sit consanguinea

1. Hujusmodi computatio in linea collaterali, distincta a computatione, qua utitur jus civile, Latina tenet Ecclesia etiam ex præscriptione Alex. II, qui eam jamdiu in ecclesiasticam disciplinam invectam supponit, ita ut *inauditum et novum* vocet errorem illorum, qui germanos fratres in secunda generatione esse asseverant; c. 2, can. 35, q. 5, an. 1065. Quoad vero successiones hæreditarias, adhuc ex jure civili gradus æstimantur. Devoti, lib. 2, sect. 10, § 133. Mansella, c. 3, n. 5.

cum sponso P, cum jam constet communem stipitem
› proavum pro sponsa et abavum pro sponso : a cella
›æ rectæ, ubi notatur proavus, descendamus per lineam
tam usque ad cellam sponsæ N, et ex parte sponsæ nu-



merantur avus, pater, sponsa ipsa seu tres gradus. Ie dem vero cella in qua notatur proavus pro sponso, sup mus notari abavum pro sponso, et, descende lineam collateralem, numerantur proavus, avus, pa sponsus ipse seu quatuor gradus; et ideo illa sunt co guinei in quarto gradu attingente tertio.

E contra, non cognoscitur communis stipes, sed co avum sponsæ N fuisse fratrem proavi sponsi P: igitur cella N ascendamus ad sponsæ avum; hujus avi fra dextrum latus in cella ubi notatur patruus, erit pro sponsi P, et ideo stipes communis erit in cella lineæ in qua notatur proavus pro sponsa N, et in qua notari setur abavus pro sponso P: sic iterum, descende numerabuntur avus, pater, sponsa ipsa in linea r pro N, et proavus, avus, pater, sponsus, et linea collate pro P.


Fingi possunt quævis exempla similia; sed mini attendendum est ad nomina, quæ in variis cellis occurr tibus reperiuntur, quia pro cella electa omnia variatur ut patet.

499. — *Nota.* 1° Aliquando oritur consanguinitas ex dup aut etiam multiplici capite; et tunc adest quasi duplex multiplex impedimentum, quorum necesse est unumquodq exprimere, quando postulatur dispensatio, ut infra dicemu Hoc autem duplici modo evenire potest.


1. Inter eos, qui ex uno communi stipite descendunt, nempe alteruter e duobus per duplicem progenitorum seri cum illo stipite conjungatur. Sic in subjecto stemmate, s Bernardus, Philippus et Marcus tres fratres, quorum Philipp uxorem duxerit Cæciliam, filiam fratris sui Marci; Lucia e hoc Matrimonio genita, cum a Petro stipite communi desce dat non solum per patrem Philippum, sed etiam per matre Cæciliam, quæ est ejusdem Petri neptis, geminam habet cu Stephano filio Bernardi consanguinitatem, unam quidem i secundo gradu propter patrem, et alteram in tertio propte matrem.

2. Idem potest locum habere, cum occurrunt duo vel plure stipites communes. Si, v. g., a duobus fratribus vel conso brinis ductæ fuerunt uxores, quæ sint et ipsæ inter se sorores

consobrinæ, liberi ex utroque conjugio suscepti duplici



›nsanguinitatis vinculo inter se jungentur. Sic in subsequenti




stemmate, Lucius, filius Joannis et Berthæ, et Agatha filia Andreæ et Annæ, dupliciter consanguinei erunt, in secundo scilicet gradu ex capite paterno, et in tertio ex capite materno.

Diximus : *Duo vel plures stipites communes ;* etenim potest, ut ex multiplici capite adsit consanguinitas inter dem personas, in illis præsertim locis, ubi paucæ sunt liæ, quarum membra jam a longo tempore inter se Matri- na contrahere consueverunt. Sic, v. g., in præcedenti exe Bertha et Anna, quas supposuimus per patres suos ab avo descendere; possent simul matres suas ab eodem materno vel ab eodem proavo descendere, et cum tunc du- citer cognatæ essent, earum liberi, scilicet, Lucius et Ag- duplici isto cognationis vinculo pariter jungerentur, proinde, ratione habita vinculi, quo jam conjunguntur capite patrum suorum Joannis et Andreæ. Facile fingi sunt hypotheses, in quibus ulterius augeatur numerus vi- lorum cognationis, v. g., supponendo Joannem et Andr- et ipsos jam dupliciter esse cognatos.


Observandum tamen est duplicem consanguinitatem esse agnoscendam eo solo, quod stipes communis duabus sonis conjugio junctis constet, v. g., patre et matre, avo avia, etc. Nihil enim interest ratione Matrimonii contrah- an duo sponsi sint, v. g., consobrini ex avo et avia pater- vel ex avo tantum, vel ex avia tantum, sicut nec interest an essent frater et soror ex patre et matre, vel ex patre tan- tum, vel ex matre tantum.

200. — *Nota* 2° Monent auctores, quando agitur de compu- tandis gradibus consanguinitatis, v. g., ad postulandam dis- pensationem, opportunum esse ut efformetur arbor consan- guinitatis. Porro, in eo præstando non multum laboris quando unicus est stipes communis, et ille cognoscitur. Tunc enim in summitate chartæ inscribitur stipes ille communis et infra referuntur generationes et nomina personarum hi- et inde descendentium, usquedum deveniatur ad eas personas quæ connubio jungendæ sunt. Inde gradus facile computan- tur, et indicari possunt ea, quæ aliquando exigit stylus Cu- riæ Romanæ quando nupturi sunt in gradu inæquali, juxta dicenda, infra.



Quando vero, ut sæpe evenit, nupturi sciunt tantum in confuso se esse consanguineos, nec possunt statim indicare stipitem communem, et præsertim si parochus suspicari possit hunc esse multiplicem, tunc major adest difficultas, et aliter procedendum est. Scilicet, separatim describenda est arbor genealogica ascendentium sponsi, et altera ascendentium sponsæ, juxta exemplum infra positum, scribendo in limbo inferiori chartæ ex una parte nomen sponsi et ex altera nomen sponsæ; dein, a supra nomen utriusque, nomen patris et matris ejus, postea in secundo ordine nomen avorum et aviarum, tum paternorum tum maternorum; tandem in tertio et quarto ordine nomen proavorum et abavorum, prout cognosci poterunt.

Quo peracto, conferatur utraque arbor, et quotquot invenientur personæ ascendentium utrique arbori communes, tot erunt stipites communes, tot proinde consanguinatis vincula, observando tamen, ut jam monuimus, pro duplici stipite computandos non esse duos conjuges qui sunt causa cognationis, v. g., avum et aviam, proavum et proaviam, etc.



201. — *Quæritur* 3° an et quo gradu consanguinitas sit impedimentum dirimens?

Resp. Consanguinitas in linea *recta* matrimonium dirimit *indefinite*, saltem ex jure ecclesiastico, ut constat ex responso Nicolaii I ad Bulgaros, in quo dicitur : « Nuptiæ contrahi non possunt inter patrem et filiam, vel avum et neptem, matrem et filium, aviam et nepotem, et usque *ad infinitum*. » Labbe, t. 8, col. 530.

In linea autem *collaterali* consanguinitas est impedimentum dirimens usque ad *quartum gradum inclusive*, ex c. 1, 8, tit. 14, lib. 4 Decret. Hoc statutum est, 1. ut Matrimonia propter bonum commune ad extraneos extenderentur; 2. propter reverentiam, quæ debetur sanguine junctis; 3. ne consanguinei ob spem Matrimonii minus

te simul cohabitarent[1]; 4. ne sanguis magis ac magis)ilitetur, ejusque vitia, si qua sint, efficacius aggravata)li transfundantur, uti luctuosa comprobatur expentia[2].

202. — *Quæritur* 4° quonam jure sit impedimentum nsanguinitatis?

Resp. Conveniunt omnes Theologi, consanguinitatem *in imo gradu lineæ rectæ dirimere Matrimonium jure natu-di ;* horret enim natura, etiam apud barbaros, filiam pai conjungi, aut matrem filio.

1. « On désigne sous le nom de *mariages consanguins* les mariages contractés ıtre tantes et neveux, oncles et nièces, beaux-frères et belles-sœurs, et entre)usins germains. En général, pour 100 mariages de cette nature, on en compte ou 2 de la 1re catégorie, 4 de la seconde, 19 à 20 de la troisième, et 75, 'est-à-dire les trois quarts de la dernière. Voici les résultats de cinq années :

	1861,	1862,	1863,	1864,	1865.
℩eveux et tantes	47,	58,	67,	76,	36.
)ncles et nièces...........	141,	156,	158,	222,	172.
Beaux-frères et belles-sœurs..	827,	752,	837,	960,	966.
Cousins-germains	2,936,	3,059,	3,475,	3,742,	3,593.

« Une circulaire-ministérielle a prescrit, en 1863, de tenir un compte spécial, non-seulement des mariages entre cousins-germains, mais encore entre cousins issus de germains. C'est ce qui explique l'accroissement signalé dans ces mariages à partir de la même année. Il y a donc environ 3 mariages *consanguins* sur 200. » *Annuaire de l'économie politique pour* 1869, p. 20, 21.

2. Un célèbre médecin du Kentucky, le docteur Bémis, a constaté, après de consciencieuses recherches, qu'aux Etats-Unis, sur 6,321 mariages entre cousins-germains, 3,667 avaient donné des enfants infirmes, savoir : 1,834 idiots, 1,116 sourds-muets, 468 aveugles-nés, 237 scrofuleux. Aussi le Kentucky a-t-il adopté une loi, qui interdit le mariage entre cousins-germains.

« L'expérience ne prouve-t-elle pas que les unions interdites par la loi ecclésiastique ne le sont pas moins par la nature elle-même? On les voit bien souvent frappées d'une désolante stérilité; et, si elles se multiplient, si elles se répètent plusieurs fois dans la même famille, elles ont pour effet ordinaire, après plusieurs générations, l'affaiblissement de la constitution physique dans les enfants, et quelquefois une altération plus déplorable encore de l'intelligence et des facultés morales... Selon l'ordre du Créateur, le fleuve de la vie ne doit pas couler toujours sur les mêmes terres : il faut que son cours soit toujours interrompu pour recommencer sans cesse en des climats nouveaux et sous des latitudes différentes. Ce n'est qu'à cette condition que les êtres conservent leur vigueur native et leur force primitive. Telle est la règle universelle établie par Dieu pour la perpétuité de ses œuvres. » DD. Guibert, arch. Paris.

Præterea multi Theologi docent jure naturali consanguinitatem dirimere Matrimonium, in secundo etiam gr... lineæ rectæ. Imo alii illud extendunt etiam ad ulterior... lineæ rectæ gradum ; ita ut Adamus, si adhuc viveret, n... lam posset, inquiunt, habere mulierem pro uxore. Qu... quid sit, certum est nullam dari dispensationem, nec ... *quam* datam fuisse in linea recta.

Quod spectat ad consanguinitatem in linea collater... multi Theologi asserunt irritum esse *jure naturali secundario* Matrimonium inter consanguineos *in primo gra... lineæ collateralis*, scilicet, inter fratrem et sororem ; et quidem certum est nullam fuisse datam dispensationem in h... gradu, nisi inter primos Adami filios, ob necessitatem. Vide de Angelis, lib. 4, tit. 14, n. 2.

Quoad vero alios gradus lineæ collateralis, conveniu... omnes Theologi dirimere Matrimonium solo jure ecclesiastico ; unde in his potest dispensari.

Consanguinitatis olim fuit impedimentum dirimens usque ad septimum gradum, ut patet ex Alexandro II, cap. *Ad sedem*, causa 35ª quæst. 5, et idem perdurat apud Ecclesiam orientalem. Mansella, *ibid.*

2. De Cognatione spirituali.

203. — *Quæritur* 1° quid sit cognatio *spiritualis*, an e... inter quosnam constituat impedimentum dirimens?

Resp. 1. Cognatio spiritualis est *vinculum, seu proximitas personarum ex statuto Ecclesiæ, ob administrationem vel susceptionem Sacramentorum Baptismi vel Confirmationis*, quibus spiritualiter renascimur, vel perficimur. Quæ cognatio a multis refertur potius ad affinitatem.

2. *Cognatio spiritualis, ex præcepto ecclesiastico, dirimit Matrimonium inter personas inter quas reperitur.*

Constat tum ex toto titulo de *Cognatione spirituali* ; tum etiam ex Conc. Trid., n. 25, ubi hoc impedimentum cognationis spiritualis reducitur ad ista tantum capita : 1. inter baptizantem et baptizatum, et patrem et matrem baptizati ; 2. inter patrinum et matrinam ex una parte, cum persona baptizata, et patre et matre baptizati ; patrinus

vero et matrina nullam inter se cognationem contrahunt. Cum enim in Baptismo renascamur et hæc nativitas in confirmatione perficiatur, qui ad illa Sacramenta concurrunt, nempe minister et susceptores, habentur quasi patres spirituales, et exinde susceptores dicuntur patrinus et matrina; ideoque visum est decere, ut ex illa conjunctione, sicut ex conjunctione naturali, induceretur Matrimonii impedimentum. In Conc. Trid. actum est de illo impedimento prorsus tollendo.

Quod diximus de cognatione spirituali, quæ oritur propter administrationem vel susceptionem Baptismi, pariter dicendum est de Sacramento Confirmationis. Vide Tract. *de Confirmat.*, n. 28.

204. — *Quæritur* 2° quænam conditiones requirantur ut incurratur illud impedimentum?

Resp. Requiruntur sequentia. Scilicet, 1. minister et susceptores sint *baptizati;* secus enim non subjiciuntur legibus Ecclesiæ. Unde hæc cognatio contrahitur etiam ab hæretico; sed ex pluribus SS. Congregat. decretis interdicitur ne catholicus hæreticorum filios, aut hæreticus filios catholicorum in Baptismo elevet. Similiter, qui non sunt confirmati, invalide suscipiunt in confirmatione; qui enim non est in fide roboratus, non debet suscipere curam alium roborandi; ita Congregat. Conc., 13 jun. 1654.

2. Baptismus *vere conferatur.* Unde, si sacramentum invalide conferatur, vel si suppleantur tantum cæremoniæ, non contrahitur cognatio, quia deest fundamentum. Ita omnes. Si Baptismus conferatur sub conditione, dubia est cognatio.

Nec interest ut Baptismus conferatur solemniter, vel sine solemnitatibus. Nam, ex decis. S. Congr. Conc., 5 mart. 1678, sufficit Baptismus privatus, ut contrahatur cognatio spiritualis, deficitque sententiæ contrariæ quævis probabilitas post illam solemnem et doctrinalem interpretationem authenticam, ait de Angelis, lib. 4, tit. 11, n. 5.

3. Susceptores *intentionem habeant obeundi munus patrini;* ita communiter; et ideo non contrahitur cognatio ab

eo, qui non habet usum rationis, et licet alter ejus vic. suppleret; nec qui infantem non suscipit nisi materialiter v. g., ad majorem commoditatem; nec, saltem probabiliter qui ex errore unum pro alio infantem suscipit, nisi habeat intentionem suscipiendi filium præsentem, quicunque sit; nec qui procuratorio nomine, patrini munus obit, ex decis. S. Congr. Conc. 29 mart. 1582, 15 mart. 1631, 11 jun. 1881.

4. Susceptores *tangant* infantem sive baptizandum, sive confirmandum. Canones enim utuntur his verbis, *suscipit, accipit, levat, tangit,* etc. Idem declaravit S. Congr. Conc. apud Giraldi, p. 2, sect. 112, in nota 6, 7. Sufficit autem quod patrinus designatus infantem baptizatum de manu sacerdotis qui baptizavit, vel etiam de manu obstetricis recipiat, licet in actu baptismi eum non tetigerit. Ita S. Congr. Conc., 20 dec. 1653, 18 dec. 1688.

Hinc probabiliter non contrahitur cognatio spiritualis cum illo, qui suscipit infantem per procuratorem, quia jura passim exigunt contactum physicum et personalem: vide Sanchez, lib. 7, dist. 59, n. 1. Contraria tamen sententia est probabilior; atque confirmatur decis. S. Congr. Conc., 29 mart. 1582, 15 mart. 1631, 11 jun. 1881: in hoc ultimo casu S. Congr. nullum declaravit matrimonium jam initum inter patrinum per procuratorem et matrem viduam. Vide *Acta S. Sedis*, t. 14, p. 416.

Si civitas aliqua vel communitas munus patrini suscipiat, satis probabile est cognationem contrahi ab iis solis, qui civitatem repræsentant.

5. Ex Conc. Trid., n. 25, unus tantum, sive vir, sive mulier, vel ad summum unus et una baptizatum suscipiant, deputandi a parentibus baptizati; parochus, antequam ad Baptismum conferendum procedat, diligenter ab iis ad quos spectat, siscitetur, quem vel quos susceptores elegerint; et eum vel eos *tantum* ad illum suscipiendum admittat, et in libro eorum nomina describat; doceatque eos quam cognationem contraxerint; quod si alii, ultra *designatos*, baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant. Hactenus Conc. Trid.

Unde, juxta probabiliorem sententiam, peccat mortaliter

arochus, qui plures quam duos admittit susceptores.

Item, si plures quam duo designentur et a parocho admittantur susceptores, probabiliter omnes contrahunt cognationem spiritualem, quia præstant animum suscipiendi t taotum.

Insuper, si ex negligentia parentum aut parochi, nullus usceptor fuerit designatus, et nihilominus plures infantem le fonte susceperint, hi cognationem contrahunt, juxta Passerinum, Barbosam, Navarrum et alios. Præfata autem verba Conc. Trid. : *Quod si alii ultra designatos*, etc., intelligenda sunt de iis qui tangunt, sed non habent animum suscipiendi. Vide de Angelis, lib. 4, tit. 11, n. 3.

205. — *Quæritur* 3° utrum pater, v. g., qui propriam prolem baptizavit, vel e sacro fonte levavit, contrahat aliquod impedimentum cum uxore illius prolis matre?

Resp. 1. Si sit aliqua necessitas, maxime propter mortis periculum, tunc qui propriam baptizat prolem *legitimam*, aut eam materialiter tantum tenet, citra veri et proprii sumpti patrinatus prærogativam, nullo modo impeditur a petitione debiti, ex cap. 7, causa 30, q. 1, ubi hæc ratio affertur, quia inculpabile judicandum quod necessitas intulit. Ita omnes.

Dixi : *prolem legitimam*, quia si pater in casu necessitatis filium, quem ex concubina suscepit, baptizet, cognationem cum ea contrahit.

2. Si pater aut mater legitimam prolem extra necessitatem aut probabilem ignorantiam temere aut malitiose baptizaverit aut susceperit, peccat mortaliter; sed conjux innocens certo retinet jus petendi debitum; imo dubium est an exinde oriatur conjugalis usus impedimentum pro conjuge culpabili; ac proinde adest principium in re dubia non posse certum jus conjugi auferri. Vide de Angelis, *ibid* n. 4.

206. — Cum illud impedimentum ex solo jure ecclesiastico oriatur, in illo dispensare potest Ecclesia. Attamen difficilius conceditur dispensatio, quam ubi agitur de cognatione naturali ; et longe difficilius conceditur, ut quis ducat personam a se susceptam aut baptizatam, quam illius patrem aut matrem. Ex stylo curiæ Romanæ, si commercium carnale habitum fuerit cum persona cognatione spirituali juncta, illud exprimendum est in libello supplici.

3. De Cognatione legali.

207. — *Quæritur* quid sit cognatio *legalis*, quotuplex, et inter quosnam constituat impedimentum dirimens?

Resp. 1. Cognatio legalis dicitur *propinquitas proveniens* ex *adoptione*, juxta legem *civilem* facta, quæ quasi similitudinaria generatio est.

2. Duplex est, *perfecta* vel *imperfecta* : per priorem, quæ *adrogatio* dicitur, adoptatus transit in potestatem et familiam adoptantis, et omnia filii legitimi jura acquirit. Per posteriorem, adoptatus in filium vel nepotem succedit quidem adoptanti ab intestato, sed non transit in familiam et potestatem adoptantis, nec fit ejus necessarius hæres ex testamento.

3. Adoptio legalis perfecta inducit cognationem, quæ matrimonium dirimit, ex cap. unico de *cognatione legali*, et ex *per adoptionem, causa* 30, q. 3.

At hodie adoptio legalis in Statibus, qui eam admittunt, nec plene cum adrogatione, nec plene cum antiqua adoptione simplici convenit, ut videre est in codice civili, art. 344; nihilominus talis adoptio producit impedimentum ex cognatione legali, ut pro *Gallia* declaravit S. Pœnitentiaria, apud Angelis, lib. 4, tit, 12, n. 3; et, pro regno Neopolitano S. Officium, 23 febr. 1853. Cæterum, ad cognationem ex adoptione requiritur sanctio legis civilis, ex qua sola oriri potest, cum non sit naturalis; constat ex decis S. Officii 16 apr. 1761. Cognatio legalis matrimonio superveniens debiti petitionem non impedit, cum nullus textus ad hoc proferatur. Ita Giraldi, de Angelis.

Jam vero, ex constituta adoptione, prohibentur nuptiæ sub pœna nullitatis, 1. ratione *civilis paternitatis*, inter adoptantem et adoptatum ejusque filios, idque perpetuo, etiam resoluta adoptione; 2. ratione *civilis confraternitatis*, inter adoptatum vel adoptatam, et filias filiosque adoptantis naturales ac legitimos usquedum adoptio perdurat vel isti non emancipantur; 3. ratione *affinitatis* ortæ ex civili vinculo adoptionis, inter adoptatum et uxorem adoptantis, atque inter adoptantem et uxorem adoptati pariter perpetuo [1].

1. En France, depuis 1870 jusqu'à 1876, le nombre des adoptions est descendu de 138 à 95 par an. Ces 95 adoptions ont été consenties par 43 hommes, 30 femmes, 44 conjoints.

Le nombre des femmes adoptées est de 63; une moitié des adoptés n'avait aucun lien avec les adoptants; 32 étaient leurs enfants naturels, 11 leurs neveux et nièces, 5 leurs parents plus éloignés.

II
De impedimento Affinitatis.

Circa affinitatem quatuor examinanda sunt : 1° quid sit affinitas; 2° quomodo dignoscantur gradus affinitatis; 3° an et in quo gradu affinitas sit impedimentum dirimens; 4° quonam jure affinitas sit impedimentum. Unde

208. — *Quæritur* 1° *quid sit* affinitas?

Resp. Affinitas est *propinquitas, quam aliqua persona contrahit cum consanguineis illius personæ, cum qua commercium carnale consummatum habuit.*

Dicitur 1. *propinquitas quam contrahit persona,* id est, quædam conjunctio et attinentia, quam ipsa etiam naturalis ratio barbaros docuit oriri ex actu conjugali; constat enim ipsos paganos ratione Matrimonii specialem quamdam amicitiam et necessitudinem habuisse cum consanguineis conjugis.

Dicitur 2 : *quam contrahit cum consanguineis illius cum qua habuit commercium carnale;* quibus verbis ostenditur, quod ad affinitatem contrahendam nihil refert utrum hujusmodi commercium licitum sit, v. g., in Matrimonio, sive illicitum, v. g., in fornicatione; sive sit voluntarium, aut violentum; cognitum, sive incognitum; in his enim omnibus casibus oritur affinitas. Unde non oritur affinitas ex matrimonio rato.

Dicitur 3 : *contrahit cum consanguineis illius personæ.* Unde affinitas non oritur 1. inter ipsas personas quæ commercium habent; neque 2. inter personam quæ habuit hujusmodi commercium et inter affines illius cum qua illud habuit : sed affinitas solum contrahitur, 1. *inter virum et consanguineas mulieris a se carnaliter cognitæ;* 2. *inter mulierem et consanguineos viri a quo cognita fuit.*

Unde sequitur licitum esse (ut frequenter videmus) quod duo fratres, vel pater et filius unius familiæ ducant duas sorores, vel matrem et filiam alterius familiæ. Similiter potest quis ducere successive duorum fratrum relictas viduas; in his enim et similibus casibus nulla est affinitas

impediens Matrimonium inter has personas, quia ne... habuit commercium cum consanguineo alterius, ut s... pono. Hinc axioma : *affinitas affinitatem non parit.*

Dicitur 4 : *cum qua commercium carnale consumma... habuit,* ita ut adsit effusio seminis intra vas mulieris. T... enim sanguis unius dicitur sanguinem alterius tanger... vir et mulier fiunt una caro; ac proinde consanguinei f... minæ redduntur proquinqui seu affines viri in eo gra... in quo sunt consanguinei feminæ; et vice versa.

Consentiunt Doctores in neganda affinitate, si sola f... mina seminaverit. Juxta vero communem saltem h... sententiam, adest affinitas, si seminaverit solus vir, qu... ut hodie communiter docent medici, ad generationem p... lis sufficit seminatio ex parte viri, nec ullomodo requirit... ex parte feminæ. Attamen, cum res in jure sit dubia, pos... tantum seminatione ex parte viri, judicandum est n... esse impedimentum, ait Mansella, c. 3, art. 2, n. 3: vid... S. Ligor. lib. 6, n. 1075, 1036.

In praxi, quoad forum *externum*, cum de copula const... semper præsumendum est pro impedimento contrah... Idem præsumendum est in foro *interno*, cum de opposit... non constat, quia judicandum est ex communiter conti... gentibus. Si vero certo constet seminationem alterutra e... parte non esse secutam, nequit in foro conscientiæ pro impedimento sententia ferri. Schmalzgrueber, lib. 4, tit. 14 n. 71-73; Mansella, *ibid.*

209. — *Quæritur* 2° quomodo *dignoscantur* gradus affinitatis?


Resp. In affinitate distinguuntur gradus, sicut in consanguinitate, atque duplex est etiam linea, recta et collateralis. Hæc autem est regula apud omnes recepta, ad computandos in qualibet linea affinitatis gradus : *Qui personam aliquam carnaliter cognovit, affinis est illius consanguineis, eodem gradu quo persona cognita est illis consanguinea:* revera, cum affinitas sit quædam cognatio communicata, communicatur in gradu in quo est.

Unde patet posse simul concurrere plura affinitatis vin-

la, v. g., si commercium habitum fuerit cum pluribus isdem personæ consanguineis, vel si utrinque fuerit mmercium cum consanguineis compartis.

Itaque, in praxi, inquirendum est an vir commercium buerit cum aliqua aut pluribus ex consanguineis mu-ris quam ducere vult, vel e contra an mulier commer-ım habuerit cum aliquo aut pluribus ex consanguineis ri : si neutrum acciderit, nulla est affinitas.

Ad notionem affinitatis magis elucidandam inservire po-rit subsequens tabella, quæ refert consanguineos viri et ulieris in linea recta. Lineas collaterales, v. g., fratres, nsobrinos, etc., facile qu:sque adjiciet.



210. — *Quæritur* 3° an et in quonam gradu affinit... impedimentum dirimens?

Resp. 1. Affinitas est impedimentum dirimens, ut ... tat ex traditione Ecclesiæ, quæ explicatur in Con... ter. IV, cap. *Non debet*, de Consanguinitate et affinit...

2. Affinitas *licita* in linea *recta*, matrimonium irrit... quocunque affinitatis gradu, haud secus ac in cons... nitate; in linea autem *collaterali*, dirimit matrim... intra quartum gradum, sicut ipsa consanguinitas, ex C... Later., *ibid.*

3. Affinitas illicita seu potius ex commercio *forni*... dirimit matrimonium usque ad secundum gradum in... sive in utraque linea, ex Conc. Trid., n. 27. Per comm... cium fornicarium hic intelligitur omne commercium ... nale consummatum et illicitum, quod non fit sub ... *matrimonii* seu maritaliter, ut evenit, quando matrim... initum et consummatum, est invalidum. In hoc casu ... trovertitur an ex tali commercio enascatur 1. impedim... tum affinitatis etiam ad quartum gradum, n. 215; 2. ... pedimentum honestatis publicæ usque ad quartum g... dum; n. 212; de Angelis, lib. 4, tit. 13, n. 5. Unde tu... est recurrere ad dispensationem.

Si affinitas superveniat matrimonio jam inito, non d... solvit quidem Matrimonium, sed sub gravi privat jure p... tendi debitum; et ideo, si uterque conjux affinitatem c... traxerit, neuter potest sive petere sive reddere debitu... Quare in multis diœcesibus Episcopus statuit posse qu... libet sacerdotem approbatum ad excipiendas confessio... ab hoc impedimento conjuges dispensare.

Attamen uxor, vi aut metu cognita a consanguineo vi... jus debitum petendi non amisit, si vis absoluta fuerit, v... si illa uxor graviter non deliquerit, imo probabilius etia... graviter peccaverit; quia metus gravis excusat a legibu... humanis, etsi a lege naturali excusare non valeat.

211. — *Quæritur* 4° quo jure affinitas dirimat Matrimo... nium?

Resp. Solo jure ecclesiastico in quocunque gradu et line...

am recta, si oriatur ex commercio illicito. Idem verum ., quando oritur ex commercio licito, si excipias primum ıdum lineæ rectæ, v. g. inter socerum et nurum, socrum generum. Imo, juxta de Angelis, lib. 1, tit. 14, n. 5, *omnes Doctores* nunc *unanimes* sunt in assertione, quod iam primus gradus lineæ rectæ sit interdictus tantum jure clesiastico, et constantem Ecclesiæ praxim in deneganda spensatione esse œconomicum, » seu ex prudentiali jusdictione. Ex tali enim conjunctione oriretur maxima et ublica cum scandalo turpitudo atque indecentia, quam et sum civile jus agnovit, tales nuptias prohibendo. Revera, ffinitas non minus contrahitur in primo gradu lineæ rectæ, ive oriatur ex commercio licito, sive fornicario; atqui ffinitas in primo gradu ex commercio fornicario est de ure ecclesiastico; ergo et quando oritur ex commercio icito seu maritali.

III

De Impedimento Honestatis publicæ.

212. — *Quæritur* 1° quid sit honestas publica, de qua hic agitur?

Resp. Honestas publica est *propinquitas proveniens ex sponsalibus, aut ex Matrimonio rato et non consummato, quam sponsus contrahit cum consanguineis sponsæ, et vicissim sponsa cum consanguineis sponsi.*

Dicitur 1 : *propinquitas*, quia præ se fert aliquam speciem affinitatis, propter quam videtur indecens et contra communem honestatem, ut quis eam ducat in uxorem cujus consanguineam antea sibi desponsavit aut uxorem duxit.

Dicitur 2 : *proveniens ex sponsalibus, aut ex Matrimonio rato et non consummato*, in quo differt ab affinitate; nam affinitas oritur ex consummato commercio maritali, vel fornicario : honestas autem publica oritur ex *sponsalibus*, vel ex *Matrimonio absque commercio carnali consummato*. Dubitatur tamen an illa honestas non oriatur etiam Matrimonio *consummato*, sed invalido, n. 210.

Dicitur 3 : *cum consanguineis personæ desponsatæ*, non vero cum affinibus, quia ad affines non extenditur honestas

publica; quapropter posset sponsus defunctæ sponsæ ducere non quidem sororem, quia est consanguinea sponsæ, sed viduam fratris sponsæ, quia vidua fratris est tantum affinis sponsæ. His positis,

213. — *Quæritur* 2° an et quomodo honestas publica sit impedimentum dirimens?

Resp. Impedimentum dirimens honestatis publicæ contrahitur 1. *ex sponsalibus validis et absolutis, in primo gradu tantum*; 2. *ex Matrimonio rato* sed *non consummato*, etiam *irrito*, usque ad *quartum gradum*, modo irritum non sit ex defectu consensus. Constat ex Conc. Trid., n. 26, et cap. *Sponsam*, de Sponsalibus.

Et quidem 1° *ex sponsalibus validis et absolutis, in primo gradu tantum*. Unde 1. hoc impedimentum non contrahitur ex secundis sponsalibus post prima valida et non dissoluta contractis; quia tunc secunda sponsalia sunt invalida.

2. Si sponsalia valida postea dissolvantur, vel per mortem alterius contrahentium, vel per mutuum utriusque consensum, vel alio modo, manebit tamen semper impedimentum perpetuum publicæ honestatis. Ratio est quia cum sponsalia fuerint valida, contractum est impedimentum, quod postea cessare non debet.

3. Si quis contraxit sponsalia cum una, cujus postea sororem cognoscit carnaliter, cum neutra potest valide Matrimonium contrahere; non quidem cum sponsa, propter impedimentum affinitatis quam contraxit per commercium carnale cum ejus sorore: non etiam poterit contrahere Matrimonium cum suæ sponsæ sorore, propter impedimentum publicæ honestatis.

4. Cum idem impedimentum ex sponsalibus validis non contrahatur ultra primum gradum, potest sponsus inire Matrimonium cum omnibus consanguineis sponsæ suæ, præterquam cum ejus matre vel filia, vel sorore.

5. Multi sentiunt sponsalia *occulta* non constituere præfatum impedimentum; nam hujusce impedimenti ratio consistit in externa et apparenti decentia, juxta quam inter fideles non convenit, ut illius uxor ea esse dicatur, quæ

it sponsa consanguinei, et e contra : porro ex occultis onsalibus non oritur illa externa et apparens indecentia ; go nec impedimentum honestatis publicæ. Vide Fagnan. cap. *Ad audientiam*, n. 28 ; Pitonium, *Disc. eccl.* 52, 96 ; *Acta S. Sedis*, t. 12, p. 175. At praxis romana iud omnino tenet, atque S. Pœnitentiaria dispensat ab o impedimento orto ex sponsalibus occultis, notanter sept, 1834. Vide De Angelis, lib. 4, tit. 4, n. 7.

2° *Ex matrimonio rato*, sed *non consummato, etiam irto, usque ad quartum gradum*, modo irritum non sit *ex fectu consensus*.

Proinde, illud impedimentum non oritur ex matrimonio ito puerorum vel amentium ; nec ex Matrimonio contracto x errore personæ, vel ex metu gravi et injusto, vel cum cto consensu ; nec ex Matrimonio impuberis, malitia ætaem non supplente. In his enim casibus, nullum est, vel a are nullum reputatur Matrimonium defectu consensus. ttamen, juxta communissimam sententiam, matrimonium mpuberum per verba de præsenti clandestine initum, ransit in sponsalia de futuro matrimonio, juxta juris xioma : *valuit ut potuit*, *non sicut agebatur*. Ita etiam S. Congr. Conc., jul. 1587, 27 mart. 1696.

Præterea, si Matrimonium sit invalidum ob publicam honestatem ex præcedentibus sponsalibus ortam, quia, v. g., sponsus Matrimonium cum sorore sponsæ contraxit, tunc ex ejusmodi Matrimonio, si non sit consummatum, non oritur honestas publica respectu prius desponsatæ, quam proinde potest et tenetur in conjugem accipere, ut constat ex cap. unico *de Sponsalibus*, in Sexto ; ratio est quod istud Matrimonium habeatur quasi mera sponsalia posteriora, et ideo nulla nulliusque effectus respectu prius desponsatæ.

214. — *Quæritur* 3° an publicæ honestatis impedimentum oriatur ex Matrimonio *occulto*, aut publico sed *clandestino*, aut *mere civili?*

Resp. 1. Quidquid in contrarium dicant plures, juxta Rom. Congr. praxim impedimentum honestatis publicæ oritur ex Matrimonio sive *occulto* seu inito aut potius atten-

tato absque ullo teste, sive *clandestino*, seu attentato ab-
que præsentia parochi, ut aiunt de Angelis, lib. 4, tit.
n. 8, Mansella, c. 4, art. 3, n. 7.

2. *Civile* matrimonium non æquivalet sponsalib.
n. 143, nec matrimonio occulto aut clandestino, nullumq
honestatis publicæ impedimentum producit, ut constat
decis. S. Cong. Conc., 17 mart. 1879, a Leone XIII e-
presse approbata, in qua hæc leguntur : « In locis, t
promulgatum est decretum Conc. Trid., de clandestinitat
civile matrimonium non producit publicæ honestatis imp-
dimentum, sive fideles actum ipsum explentes *intenda*
uti par est, (matrimonio ecclesiastico jam rite celebr
vel cum animo illud quantocius celebrandi,) *meram c*
moniam civilem peragere, sive *intendant sponsalia de fu-*
inire, sive tandem ex ignorantia, « ut, in spretum eccle-
ticarum legum, *intendant matrimonium de præsenti c*
trahere. » Itaque hujusmodi decisio omnem *tollit contr-*
versiam, ita ut non sit mera declaratio, sed *declaratio c*
decreto, ut ait de Angelis, *ibid*., n. 10.

Cæterum, illa decisio spectat civile matrimonium s-
lummodo *ratum* : vix autem contingit quod illud matrim-
nium maneat ratum seu non consummatum ; et ideo s
rara est illius decisionis applicatio.

215. — *Nota*. De aliis respectibus matrimonii civili
qui, scilicet, non attinent ad præfatum impedimentum
non loquitur laudata decisio, neque aliquid mutatum est
Proinde 1. valet illud matrimonium, posito consensu de
præsenti, initum in loco in quo nondum publicatum est
Conc. Trid., decretum de clandestinitate, 2. Inito matrim-
nio civili cum consensu de præsenti, et postea consummat
ex copula acta sub specie matrimonii, producitur impedi-
mentum affinitatis usque ad *quartum* gradum, juxta plure
n. 208, 210. Vide de Angelis, *ibid*. p. 138. 228. 3. *Excom-*
municationem incurrunt, qui in Ordine majori vel voto reli-
gioso solemni adstricti, civile matrimonium attentant, ex
dictis in Tract. *de Censur*., n. 72; et, si isti tale matrimo-
nium consumment, incurrunt irregularitatem ex bigamia

nilitudinaria, ex dictis in Tract. *de Ordine*, n. 84. 4. De-ım, si quis, vera uxore adhuc vivente, *civiliter* contrahat m alia, et cum ea maritaliter vivat, atque cum hac, prima mortua, velit coram Ecclesia sociari, obstat, ex consueta sponsione S. Pœnitentiariæ, impedimentum criminis ex ulterio cum attentatione matrimonii, n. 226.

216. — *Quæritur* 4° ex quonam jure deducatur impedientum honestatis publicæ?

Resp. Ex jure ecclesiastico, juxta omnes, et ideo in eo ispensare potest Ecclesia, atque illud unum est ex iis in uibus facilius dispensat S. Sedes, præsertim si, ut pleumque evenit, oriatur tantum ex sponsalibus. Non raro ıeuntur Matrimonia ex illo impedimento irrita, quia ad oc satis non attendunt pastores aut confessarii.

IV

De Impedimento Disparitatis cultus.

218. — *Quæritur* quid hic intelligatur per cultus disparitaem, et an hæc sit impedimentum dirimens?

Resp. Per disparitatem cultus intelligitur *diversitas Religionis inter contrahentes, quando, scilicet, unus est baptizatus, alius vero non baptizatus.*

Porro hæc *disparitas cultus est impedimentum jure ecclesiastico dirimens Matrimonium inter baptizatum et non baptizatum.*

Constat ex cap. *Cave*, causa 28[a], 1, et can. *Si quis*, ibidem. Colligitur præterea præsertim ex usu receptissimo, ac longa Ecclesiæ consuetudine, quam uno consensu omnes Theologi et Canonistæ testantur et quæ vim legis habuit tantum ab initio seculi duodecimi. Vide Bellarm., *de sacram. Matrim.* lib. 1, c. 23.

Dixi : *jure ecclesiastico*, quia Matrimonia hujusmodi nulla lege divina expresse prohibita sunt, quamvis omnes fateantur illicita esse, non solum jure ecclesiastico, sed etiam naturali ob periculum subversionis et apostasiæ, pravæ liberorum educationis, discordiarum in Religionis negotio, etc., quæ omnia sunt contra Matrimonii finem.

In hac lege gravibus de causis dispensat S. Pontifex, et quidem in locis infidelium, pro matrimoniis jam contractis

vel contrahendis; in locis vero christianorum tantum [illegible] matrimoniis jam contractis : atque sub hisce conditionibus, nempe, 1. ut cohabitatio cum infideli nullum periculum perversionis aut nullam Creatoris contumeliam seu peccati occasionem pro fideli includat; 2. ut proles ex tali matrimonio suscepta in christiana religione educetur; 3. ut spes probabilis habeatur de infidelis conversione.

Semel autem impetrata dispensatione, et consummato matrimonio, omnino indissolubile evadit, nec pars fidelis [illegible] potest privilegio in favorem fidei concesso, ex dictis [illegible] in fine.

V

De Impedimento conditionis servilis.

219. — *Error conditionis servilis reddit Matrimonium invalidum illius, qui, cum, sit liber, personam servam ducit, putans eam esse liberam.* Ratio desumitur ex pluribus decretis juris canonici, maxime ex cap. *Ad nostram*, de conjugio servorum.

Attamen si homo liber, sciens conditionem servilem personæ cum qua contrahit, eam velit accipere, tunc Matrimonium erit validum.

In Gallia nullum habet locum hujusmodi impedimentum cum nulli sint *servi*, sed omnes liberi.

VI

De Impedimento raptus.

220. — *Quæritur* 1° quid hic intelligatur per raptum?

Resp. Nomine raptus intelligitur *violentæ alicujus personæ abductio in locum ubi sit sub potestate raptoris, idque Matrimonii contrahendi causa.*

Dicitur 1 : *abductio*, qua, scilicet, quis transfertur de loco in locum : cui implicite æquivalet detentio sive in domo propria, sive extra domum eamdem.

Dicitur : 2 : *violenta*, alioquin abductio erit fuga, non raptus, nec detentio æquivaleret abductioni. Requiritur autem ut vis inferatur ipsimet personæ raptæ, et in hoc raptus violentiæ differt a raptu seductionis. Cæterum ad violentiam sufficit metus gravis; atque violentiæ æquiparatur dolus, dummodo mulier sit invita.

Dicitur 3 : *alicujus personæ*, licet sit meretrix, saltem ex

e novo Conc. Trid., imo ipsa sponsa, juxta communion sententiam, quia nec sponsus jus habet eo modo coıdi propriam sponsam. Dubium est an adsit impedimenn, si mulier rapiat virum : canones non loquntur nisi *rapta*, et pro viro non est eadam ratio periculi.

Dicitur 4 : *in locum ubi sit sub potestate raptoris*, uti exesse exigit Conc. Trid., n. 29. Non sufficit autem quod ılier in domo paterna existens trahatur per vim ab uno biculo in aliud; secus, si inde deducatur in aliam doum.

Dicitur 5 : *Matrimonii ineundi causa*, directe aut saltem ıuivalenter. Si alio de motivo abducatur aut retineatur, n erit impedimentum.

221. — *Quæritur* 2° an raptus sit impedimentum diriens?

Resp. Ex decreto Conc. Trid., 29, *inter raptorem et rapım, quandiu ipsa in potestate raptoris manserit, est impediıentum dirimens.* Ratio autem cur Concilium hujusmodi npedimentum de novo statuerit, est ut consensus sit omino liber, et nulla plane inferatur violentia.

Attamen, ut Concilium addit, *si persona a raptore separata, et constituta in loco tuto, et libero, consenserit habere aptorem in virum, tunc validum erit Matrimonium*; nihilominus ipse raptor, et omnes illi auxilium, vel consilium, el favorem præbentes, sunt ipso jure excommunicati et nfames. Vide Tract. *de Censuris*, n. 79.

Itaque raptus impedimentum differt ab impedimento metus, in eo quod prius non cessat, etiam vi cessante, nisi rapta subtrahatur a potestate raptoris; atque Matrimonium antea initum, esset irritum, licet illa libere consentiret. Vide *Acta S. Sedis*. t. 1, p. 23, 54. Revera, impedimentum raptus inductum est tum ad tuendam mulierum libertatem in connubiis, tum in odium et pœnam gravissimi illius criminis; nec convalidatur Matrimonium cum illo impedimento initum, nisi sub iisdem conditionibus ac matrimonium cum metu contractum, n. 188, 295.

Nec super hoc impedimento, sicut et in metu, datur

dispensatio ab Ecclesia, ne videatur dispensatio attin-substantialia contractus, nempe consensum, et ut inte-servetur libertas in matrimoniis.

222. — *Quæritur* 3° utrum decretum Conc. Trid. hab-locum in raptu, qui fit tantum *causa explendæ libidin*.

Resp. Affirmant aliqui, quia est verus raptus, et re-fertur puellæ. Negant alii, et nituntur declaratione C-Conc. data anno 1856, quæ definivit raptores ob aliam sam, quam ut uxorem ducant, non comprehendi a Con-Sic forte cum quibusdam distingui posset: vel rapta li-nis intuitu, Matrimonium eligit tanquam minus malum se liberet a majori; vel omnino libenter, quia sibi est ℓ-rabile. In 1° casu, Matrimonium est irritum, sive ex s-sive etiam ex *raptu*, quia tunc raptor *censetur det-intuitu Matrimonii;* ita Mansella, et alii communiter. 2° casu, valet Matrimonium. Sic satis providetur liber-ratæ, cui, aliunde, minor injuria infertur, quando ra-causa libidinis, quam ubi intuitu Matrimonii, quod ir-ritum erit, vel eam in perpetuum ligabit.

223. — *Quæritur* 4° an decretum Conc. Trid. contra rapt-habeat locum in raptu seductionis, nempe cum puella ab-tur, non invita, sed blanditiis, muneribus, vel aliis medii-ducta, et invitis illius parentibus vel tutoribus?

Resp. *Negative*. Quia talis seductio non est proprie ra-nec repugnat libertati Matrimonii, cui soli Concilium v-hoc dereto consulere; etenim, nulla facta mentione parent-in decreto dicitur raptam a raptore separatam et in loco t-constitutam, posse iterum consentire, si velit. Insuper nu-est contraria consuetudo *vere* ab Ecclesia *probata*. Vide Angelis, lib. 4, tit. 1, n. 20.

VII

De Impedimento Criminis.

224. — *Quæritur* quodnam sit crimen de quo hic agitur et an sit dirimens impedimentum?

Resp. 1. Nomine *criminis* non hic intelligitur quodlib-crimen, sed *conjugicidium*, seu conjugis occisio, vel *adult*-

m, vel *utrumque simul*, dummodo adsint quædam con-
iones infra explicandæ.

2. *Conjugicidium* vel *adulterium*, vel *utrumque simul in* *busdam circumstantiis dirimit Matrimonium subsequens er ipsos complices criminis*. Constat ex pluribus Ecclesiæ cretis, præsertim ex can. *Si quis vivente*, causa 31, æst. 1, et ex multis capitibus tituli *De eo qui duxit*.

Illud autem convenientissime statutum fuit ne, *sub spe* *trimonii contrahendi cum complicibus*, facile conjuges alli-rentur ad ea crimina, præsertim ad conjugicidium : quæ nnia contraria sunt arctissimo amoris ac fidei vinculo, iod inter conjuges esse debet.

Jam vero diligenter expendendæ sunt *conditiones*, seu rcumstantiæ necessariæ, ut crimen sit impedimentum irimens, sive crimen accipiatur pro conjugicidio *sine adul-rio*, vel pro adulterio *sine conjugicidio*, vel denique suma-ır pro *conjugicidio* et *adulterio* simul.

1. De Conjugicidio sine adulterio.

225. — *Quæritur* quænam requirantur conditiones ut onjugicidium sine adulterio sit impedimentum dirimens?

Resp. Tres requiruntur conditiones, nempe. 1° mutua onspiratio inter complices, 2° intentio Matrimonii, 3° mors secuta ex tali conspiratione.

Et quidem 1° *mutua inter complices conjugicidii conspiratio:* et hoc fit quando alteruter conjux sive maritus, sive uxor, in mortem alterius conjugis conspiravit cum illa persona, cum qua vult inire Matrimonium. Unde non sufficit quod conjux conjugem occidat, si ea persona, cum qua vult contrahere Matrimonium, ignoret vel non consentiat huic homicidio; in illo enim casu conjugicidium non erit impedimentum dirimens.

2° Machinatio *ex intentione Matrimonium ineundi*. Ita communiter. Finis enim legis est, ne intuitus Matrimonii ad conjugicidium inducat.

Alii requirunt intentionem ex utraque parte, et ideo utrique manifestatam, alioquin finis legis non verificaretur in utroque machinante; ita Kugler, Lagedamon, Carrière. Alii

vero dicunt sufficere intentionem ex una parte tantum, qr sufficienter existit motivum legis, quando adest intentio una parte; ita Sanchez, Schmalzgrueber, Collet, S. Ligor., l Luzerne, Labrunie. Sed inter istos alii exigunt ut illa intent sit manifestata, ut subjiciatur punitioni Ecclesiæ; ita Poi tius, S. Ligor. Alii illud non exigunt, quia Ecclesia non pun præcise intentionem, sed occisionem factam tali intentione ita Reiffenstuel. In foro externo semper præsumitur illa inten tio, quando fit conspiratio et postea Matrimonium initur.

3° *Ex illa amborum conspiratione et cooperatine, sive pe seipsos, sive per alios, mors conjugis illata et de facto subse- cuta.* Unde non sufficit ad impedimentum dirimens contra- hendum, si, v. g., per culpam Medici mors *sequatur.* neque etiam sufficit conjugicidium attentasse, vel illud fr- tum habere. Sed etiam, si quis occidat conjugem, et *dete-* gatur postea fuisse cum eo Matrimonium invalidum, nec erit vere conjugicidium, nec proinde impedimentum. *It* Sanchez, La Luzerne, Carrière. Non requiritur autem ut illud matrimonium fuerit consummatum.

2. De Adulterio sine conjugicidio.

226. — *Quæritur* quænam requirantur conditiones ut adulterium sine conjugicidio sit impedimentum dirimens?

Resp. Tres requiruntur conditiones, nempe, 1° adulte- rium formale, seu cognitum ex utraque parte, verum et consummatum; 2° promissio vel attentatio Matrimonii; 3° utriusque perpetratio vivente priore et eodem conjuge.

Et quidem 1° *Adulterium formale ex utraque parte, verum et consummatum.*

1. *Formale ex utraque parte,* id est, ut uterque *cognos-* cat alterutrum esse conjugatum; unde, si uterque sit con- jugatus, et ut talis ab altero cognitus, duplex *crimen* admittunt, et ideo duplex incurrunt impedimentum, atque in petitione dispensationis exprimenda est illa circumstan- tia aggravans. Ita La Luzerne, Carrière. 2. *Adulterium ve- rum;* non enim sufficit existimatum : v. g., si putabatur conjux vivere, qui jam erat mortuus, vel si Matrimonium cum conjuge esset invalidum, quamvis putaretur validum

Consummatum; non enim sufficiunt tactus, oscula, etc.,
1 requiritur commercium carnale consummatum.

2° *Promissio vel attentatio Matrimonii cum complice adul-*
ii.

1. *Promissio* Matrimonii *acceptata*, sive cum juramento
re non; sive *ante*, sive *post* adulterium; dummodo data
t et exterius manifestata pro futuro Matrimonio inter
lulteros contrahendo post mortem conjugis. An autem
la taciturnitas sit signum sufficiens acceptationis vel non,
l an sufficiat promissio ficte data et sincere acceptata,
l non; probabilius multi negant. Nec ad hoc impedimen-
im contrahendum sufficit promissio Matrimonii ab utroque
evocata ante adulterium, nec etiam promissio conditio-
ata, nisi transierit in absolutam per eventum conditionis
nte mortem conjugis.

2. *Vel attentatio Matrimonii*, cum scilicet adulteri, *du-*
ante Matrimonio legitimo, inter se Matrimonium contrahere
ggrediuntur, sive hoc fiat ante, sive post cognitionem ha-
itam de statu conjugii, dummodo post habitam cognitio-
iem conjugii, et nondum revocato Matrimonio attentato,
nterveniat adulterium. Item nihil refert sive clandestine,
ive in præsentia Parochi Matrimonium attentatum sit.

3° *Promissio vel attentatio Matrimonii fiat et adulterium*
committatur vivente priore et eodem conjuge. Si enim promis-
sio fiat vivente uno conjuge, et postea committatur adulte-
rium, vivente alio conjuge, tunc non oritur impedimen-
tum : sic, v. g., Paulus, qui vivente uxore sua Catharina,
Matrimonium contrahere attentavit cum Martha; deinde
mortua uxore sua Catharina, Matrimonium contraxit cum
Joanna : postea, vivente uxore sua Joanna, adulterium com-
misit cum eadem Martha; tunc nullum est impedimentum
dirimens inter Paulum et Martham, modo non reiteretur
eidem Marthæ antea facta promissio quæ, per Matrimonium
subsequens cum Joanna, revocata censetur. Idem verum
est, si adulterium commissum fuerit, vivente priori con-
jure, et promissio Matrimonii fiat, stante secundo conjugio.
Hæc enim promissio non præbet fundamentum sufficiens
metuendi conjugicidii.

3. De Conjugicidio cum adulterio.

227. — *Quæritur* quænam requirantur conditiones conjugicidium simul et adulterium sint impedimentum dirimens?

Resp. Tres requiruntur conditiones, nempe 1° adulterium verum, consummatum et formale, seu cognitum ab utraque parte; 2° mortis machinatio facta ab uno adulterantium ex intentione Matrimonii contrahendi; 3° mors secuta ex vi talis machinationis.

1° *Adulterium verum, consummatum et formale ex utraque parte,* illudque adulterium præcedere debet conjugicidium non tamen necesse est ut præcedat machinationem; unde si vir, v. g., venenum propinet uxori ut, illa defuncta, ducat alteram mulierem cum qua nondum adulteratus est, sed cum illa adulteratur ante mortem uxoris, vir ille, defuncta uxore, non poterit illam mulierem ducere; est enim inter illos impedimentum dirimens.

2° *Mortis machinatio facta ab uno adulterantium ex intentione Matrimonii contrahendi;* unde non sufficeret si solum intenderet, v. g., liberius cum ea vivere, aut ducere aliam feminam ab adultera diversam; at vero necesse non est ut occisor significet personæ adulteræ hanc suam intentionem. Item non requiritur conspiratio.

3° *Mors de facto secuta ex machinatione unius ex adulteris;* sive occidat suis manibus, sive veneno, sive mandato non revocato, sive consilio, aut alia efficaci cooperatione.

Idem incurritur impedimentum, si una pars sit infidelis, altera vero fidelis, modo hæc, post adulterium, commiserit conjugicidium.

228. — Hæc omnia his paucioribus verbis contrahit S. Ligorius, n. 1033, post plures auctores :

1. *Conjugicidium* ex communi conspiratione et *cum intentione* contrahendi ab utroque, imo forsan ab uno tantum habita.

2. *Adulterium* cum promissione matrimonii ab altero acceptata.

3. *Utrumque simul* intuitu matrimonii, absque conspira-one et matrimonii promissione.

229. — Interrogandæ sunt quædam personæ de hoc im-edimento, v. g., si ancilla postulet nubere hero suo re-enter viduo, atque dicere poterit Confessarius : « Quomodo um cito post mortem conjugis vultis conjungi? an sat ma-ure et sat diu deliberastis de Matrimonio ineundo? an de o jam cogitastis ante mortem conjugis? » Si affirmative espondeat pœnitens, perget Confessarius : « An promisis-is matrimonium unus alteri? — Ita. — An aliqua familia-itas inter vos fuit, vivente conjuge, etc.? »

230. — Aliunde certum est hoc impedimentum esse tan-um juris ecclesiastici. Attamen nullo exemplo constat S. Pontificem dispensasse super hoc impedimento si sit publicum, quando adfuit conjugicidium. Difficile etiam conceditur dispensatio pro occulto casu adulterii, utroque, vel altero machinante.

NUMERUS III

De Impedimento formam contractus respiciente, seu de Clandestinitate.

Dicemus 1° de notione hujus impedimenti; 2° qualis requiratur Parochi præsentia; 3° quis in hac re sit proprius Parochus; 4° quænam debeant esse dotes Parochi; 5° quis possit supplere Parochum; 6° quot et quinam requirantur testes; 7° quænam necessaria sit decreti promulgatio; 8° quid de Protestantium Matrimoniis in Gallia ratione clandestinitatis.

I. — *De notione Impedimenti Clandestinitatis.*

231. — *Quæritur* quid sit *clandestinitas* de qua hic agitur, et an sit impedimentum dirimens?

Resp. Clandestinum dicitur Matrimonium, quod absque solemnitate contrahitur, seu absque *præsentia Parochi* vel alterius Sacerdotis, de Parochi aut Episcopi licentia, et absque *præsentia duorum vel trium testium*.

Matrimonium absque illa solemnitate contractum est omnino invalidum, iis in locis quibus Conc. Trid. fuit promulgatum. Constat ex decreto Conc. Trid., n. 22, quod habet : « Qui aliter quam *præsente Parocho*, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, *et duobus vel tribus testibus*, Matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum *omnino inhabiles* reddit, et *hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit* prout eos præsenti decreto irritos facit et annullat... Decernit insuper, ut hujusmodi decretum in unaquaque Parochia suum robur *post triginta dies habere incipiat, a die primæ publicationis* in eadem Parochia factæ, numerandos. »

Illud autem fuit præcipuum hujus decreti motivum nempe, ut occurretur malis quæ ex clandestinis Matrimoniis emergebant, dum nonnulli, priori uxore cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahebant. Ita Conc. Trid., ibid.

II. — *Qualis requiratur Parochi præsentia.*

232. — Præsentia Parochi a Tridentino requiritur quatenus est *testis auctorizabilis pro Ecclesia*, ut loquitur Bened. XIV, *de Synod.*, lib. 13, cap. 23, n. 6, seu prout testis principalis ab Ecclesia deputatus, ut ejus nomine Matrimonio assistat, sicque de Matrimonio certo constet. Unde non sufficit præsentia physica Parochi; sed moralis requiritur, ita ut Parochus videat contrahentes et eorum verba audiat, vel ea non percipiens, signa mutui consensus videat; sed valeret Matrimonium, licet Parochus non adesset nisi invitus et coactus, imo etiamsi affectasset non intelligere, modo reipsa ea quæ agerentur, videret aut audiret eo quod in hujusmodi etiam casibus fidem facere posset Ecclesiæ vere coram se celebratum fuisse Matrimonium. Ita S. Congreg. Conc., et Benedict. XIV, *ibid.*

Multa ex modo dictis applicanda sunt etiam testibus, de quibus agitur infra, n. 242.

233. — Hinc Parochus *valide* potest ubique assistere

atrimonio, etiam extra parochiam, quia illa assistentia on est proprie actus jurisdictionis, aut ad summum non isi jurisdictionis voluntariæ. Ita S. Congregat. Conc., apud agnanum, lib. 1. in cap. *Quoniam, de Constitut.*, n. 25.

Licite autem, seclusa gravi causa, assistere non potest isi 1. in ecclesia sua parochiali; 2. in alia ecclesia parohiali de consensu Parochi loci illius; 3. in sacellis vel ratoriis privatis de licentia Episcopi, in cujus ditione situs st locus.

III. — *Quis sit proprius Parochus.*

234. — Distinguendum est inter Parochum domicilii, uasi-domicilii et simplicis habitationis. Scilicet, ille alicubi *lomicilium* habet, qui *ibi versatur cum intentione perpetuo manendi* actibus manifestata, v. g., huc rem suam asportando, vel hic officium stabile et permanens acceptando; unde absque temporis mora obtinetur domicilium statim ac incipit habitatio cum illa intentione exterius manifestata.

Quasi-domicilium autem alicubi habet, qui ibi versatur *cum intentione manendi per majorem anni partem*, aut *saltem per semestre;* ita communiter auctores, et ex aperta declaratione S. Officii, 24, mart. 1867. Vide S. Ligor., lib. 6, n. 1091.

Tandem is habet *simplicem habitationem*, qui de facto alicubi commoratur per spatium saltem *unius mensis continui* et *non interrupti, absque intentione* ibidem commorandi saltem per semestre.

235. — Jam vero 1° *Parochus domicilii alterutrius contrahentium est proprius Parochus*. Constat, tum quia Conc. Trid. non exigit præsentiam Parochorum, sed Parochi: Parochi autem titulum nemo meliori jure sibi vindicare potest, quam Parochus domicili; tum ex declarationibus S. Congreg. Conc. apud Bened. XIV, *Instit.* 33, n. 5 et 6.

Unde sufficit præsentia Parochi sponsi vel sponsæ; imo, ad validitatem sufficit ut assistat Parochus sponsi in parochia sponsæ, non autem ad licitatem, sine licentia. Ita ex

decis. S. Pontificis apud Fagnanum, lib. 4, in cap. Qui nobis. Usus invaluit ut Matrimonium celebretur a Parocho sponsæ in sua Parochia, quia virginalis pudoris est ut, quæ nubit, *expetita magis videatur a viro, quam ipsa virum expetiisse*, ait S. Ambrosius, lib. 1, *de Abraham*, c. 9.

Qui etiam habet duo domicilia, id est, qui in duobus locis æqualiter est collocatus, celebrare Matrimonium poterit coram parocho alterutrius domicilii; at conveniens est recurrere ad eum, cujus parochiam tunc habitat.

236. — 2° *Parochus quasi-domicitii valide, sed non semper licite est etiam proprius Parochus in re Matrimonii.* Valide quidem, ut communiter sentiunt auctores, atque infertur ex decisi. jam allata S. Officii. Non semper *licite*, scilicet quando Matrimonium nulla difficultate implicaretur per recursum ad Parochum domicilii. Ita Benedict. XIV, *Inst.* 88, n. 15, 16.

Hinc 1. Judices, Medici, facultatis alicujus Professores, discipuli famulique, licet exteri, rite Matrimonium contrahunt, si Parochus adsit ejus loci ubi degunt. Ita Bened. XIV, *Inst.* 33, n. 11.

Hinc 2., si quis in eadem urbe domicilium et quasi-domicilium haberet, coram Parocho quasi-domicilii valide sed illicite celebraret Matrimonium, nisi ex speciali causa ita ageret.

237. — Juxta auctores quosdam parochus simplicis habitationis valide potest assistere matrimonio, et innituntur Constitut. Benedict. XIV *Paucis*, 19 mart. 1758. At, ex decreto S. Officii, 24 mart. 1867, in hac Constitut. tempus ad acquiremdum quasi-domicilium non fuit coarctatum ad unum mensem, sed requiritur habitatio cum *intentione* manendi saltem per semestre; atque, ex interpretatione nupernorum Doctorum, Benedict. XIV spatium unius mensis assignavit solummodo, ut ex tali habitatione jure præsumi possit, quod quis habeat intentionem manendi saltem per semestre; sed hæc præsumptio cedit veritati, ita ut, si reipsa recognoscatur deficere illam intentionem, parochus

nplicis habitationis invalide assistet matrimonio. Tandem Congr. Conc. iteratim declaravit ad valide assistendum atrimonio non sufficere simplicem habitationem ex parte onsorum. De Angelis, lib. 4, tit. 3, n. 4, 5.

Quoad *vagos*, seu qui non habent domicilium aut quasi-›micilium, eorum proprius Parochus ille est in cujus unc ditione versantur; et, si unus tantum sit vagus, ılide et licite contrahere potest Matrimonium coram vagi arocho. Sed Conc. Trid., ut multis malis ac præsertim agantium polygamiæ occurreret, præcipit Parochis ne lorum Matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquiitionem fecerint, et re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint, n. 30.

Sed etiam, si incolæ loci, in quo tridentinum decretum eceptum est, se conferant in locum ab illo decreto exemptum, sine intentione domicilii aut quasi-domicilii ibidem igendi, et insuper *absque fraude* seu intentione contrahendi clandestine, valide ibi contrahunt absque præsentia parochi et testium, ex communiori sententia, juxta Sanchez, Pontium, Reiffenstuel, Engel, Leurenium, Barbosam, Schmalzgrueber, Mansellam; quia peregrini non adstringuntur patriæ legibus, quando extra eam vagantur, præsertim quoad contractus, qui subjiciuntur legibus locorum, in quibus versantur. Secus vero, si ibidem se conferant in fraudem legis, seu intentione clandestinum contrahendi matrimonium. Nemini enim sua fraus patrocinari debet.

Similiter, incola loci, ubi obligat decretum Trident., valide contrahit clandestinum matrimonium in loco alterius partis, in quo non receptum est illud decretum; ratione enim individuitatis contractus, alter sponsus privilegio gaudet sui consortis, juxta omnes.

238. — Præfata quidem vera sunt, stando juri communi canonico : quod vero ad ea attinet quæ a singulis Episcopis hæc in re pro suis Diœcesibus statuta sunt, unusquisque suæ Diœceseos usum et praxim ediscat et servet.

Sedulo notandum est quod Parochus vel alius Sacerdos

qui, absque proprii Parochi aut Ordinarii licentia, alienæ parochiæ sponsos Matrimonio conjungit, ex Conc. Trid. n. 22, *ipso jure tandiu suspensus manet, quandiu ab Ordinario ejus Parochi qui Matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.*

IV. — *Quinam veniant sub nomine Parochi.*

239. — 1° Parochi nomine intelligi solent non solus Episcopus et Vicarii generales, qui etiam invito Parocho Matrimonio assistere, vel alium ad id delegare possunt, sed etiam Pastores, qui sub Prælatis incumbunt regimini animarum, ut Vice-Rectores, *Curés Succursaux.*

2° Communius sentiunt auctores, quoad validitatem sufficere parochum non sacerdotem; sed iste non potest alium delegare, qui non sit sacerdos, ut infra, n. 241.

3° Requiritur ut sit verus Parochus, vel saltem habeat titulum coloratum cum errore communi; et hoc verum est non tantum pro iis, qui versantur in errore communi, sed etiam pro iis qui cognoscunt scientia privata invaliditatem tituli. Unde, juxta omnes, non sufficit titulus coloratus sine errore communi, nec, juxta plerosque auctores, error communis sine titulo colorato.

240. — Cæterum valide, licet plerumque illicite, assistere vel ad hoc delegare potest Parochus suspensus, irregularis, excommunicatus, schismaticus, dummodo non renuntiaverit titulo, aut ab illo canonice depositus non fuerit.

Valide etiam, sed illicite, assisteret Parochus, cui interdictum fuisset ab Episcopo ne Matrimonio assistat, ut declaravit S. Congreg., eo quod, non obstante interdicto, semper remaneat Parochus. Si interdictum esset a S. Pontifice ex decreto *irritanti,* valide non assisteret Parochus interdictus; bene vero, si ex decreto mere *prohibenti*. Tandem dubium est an valide assisteret Parochus publice hæreticus, quia, juxta plures, eo ipso privatur beneficio et desinit esse Parochus.

V. — *Quis possit supplere Parochum.*

241. — Ex decreto Conc. Trid., delegatus ab Episcopo el Parocho potest valide Matrimonio assistere. Sed 1. deleatus debet esse *Sacerdos*, tum ex Conc. Trid., tum ex iteata S. Congregat. Conc. decisione.

2. Delegatio seu licentia debet esse *expressa*, nec sufficit *acita*, id est, non sufficit spes ratihabitionis, nec consenus *præsumptus*, nec etiam *tolerantia* Parochi, nisi omnium udicio illa tolerantia ex parte Parochi vere æquivaleat approbationi.

3. Quidam, contra plerosque, contendunt non sufficere licentiam *generatim datam* pro administratione Sacramentorum, vel ad tenendum per aliquod tempus locum Parochi, nulla facta speciali mentione Matrimonii. Hoc pendet ex circumstantiis, ex quibus colligetur quænam fuerit intentio Parochi. Sic, v. g., si Parochus præsens concedat hujusmodi licentiam, non censebitur includi Matrimonium; item si brevis debeat esse illius absentia; secus vero, si longa esse debeat; quia sæpe Matrimonium non posset absque incommodo ad longum tempus differri. In omnibus casibus tutius est ut Parochus mentem suam clare aperiat, vel recurratur ad Episcopum.

4. Sed etiam, si licentia concessa fuerit eo inscio cui concessa est, docent fere omnes invalidum fore Matrimonium. Si vero concessa fuerit petente eo, cui concessa est, sed ab hoc ea utenti nondum cognita, valde dubium est an validum sit Matrimonium; si licentia innotuerit quidem utenti, qui eam non postulaverat, sed per quemdam tertium non missum a concedente, illud non sufficit. Ratio est quod hæc licentia sit quædam donatio; et ideo ad hujus validitatem requiritur ut consensus fuerit intimatus; alioquin censetur esse merum propositum.

5. Si licentia obtineatur per *metum*, valet nihilominus Matrimonium, quia metus non tollit omnino voluntarium et liberum.

Si vero obtineatur *per dolum vel errorem*, distinguendum est. Scilicet, si Sacerdos Matrimonio assistat jussu Episcopi,

qui falso putavit illum esse parochum contrahentium, validum est Matrimonium, ex decisione S. Congregat.

Si vero Matrimonium celebretur coram alieno parocho licentia proprii parochi dolo extorta, cum errore nominis personæ unius e contrahentibus, invalidum est Matrimonium juxta communem Canonistarum et Theologorum sententiam. Aliunde ita statuit S. Cong. Conc., 22 maii, 1875.

Si demum adsit error aut dolus circa causam allegatam ad obtinendam licentiam, non consentiunt inter se auctores; sed tamen plerique stant pro validitate. Vide Carrière, n. 1331.

6. Sacerdos habens licentiam ad assistendum cuidam Matrimonio, non potest *alium subdelegare*, si data sit illi licentia ob dotem specialem, v. g., quia est cognatus contrahentium; potest autem, si nullum adfuerit motivum ipsi peculiare, sed, v. g., contrahentes hanc parochiam petierint ad vitandas expensas, vel alia incommoda.

7. *Vicarius*, si suppleat vices Parochi defuncti vel absentis, valide potest, seclusa delegatione Parochi, Matrimonio assistere, quia tunc est delegatus *ad universalitatem causarum;* et ideo etiam tunc potest alium subdelegare ad casum particularem.

8. Si autem Vicarius sit præsentis Parochi adjutor, attendendum est ad statuta vel consuetudinem diœcesis. Ex consuetudine in Gallia et in aliis locis communius recepta, Vicarius assistere potest Matrimonio saltem Parochianorum et saltem in ipsa parœcia celebrato.

Dixi : *saltem parochianorum ;* quia si ageretur de matrimonio alienorum venientium cum sui parochi aut Ordinarii licentia, ad parochum directa, dubium est, juxta plures, an possit Vicarius illud matrimonium celebrare ; alii vero multo plures et probabilius sentiunt illud posse Vicarium, si ejus parochus non sit ab alio delegatus ob dotem ipsi propriam, v. g., quia est cognatus contrahentium, ut jam dictum est, 6.

Dixi etiam : *in ipsa parochia celebrato*, quia, juxta quosdam, delegatio vicario concessa, in sensu naturali locum afficit, et ideo non sequitur personas. At multo plures et probabilius putant vicarium matrimonio assistere posse

tiam extra suam parochiam, si parochus, qui licentiam edit, nullam restrictionem apposuerit.

Præterea Vicarius alium sacerdotem subdelegare potest ad matrimonio in casu particulari assistendum saltem in parochia, quia, cum sit delegatus ad universalitatem causarum, potest subdelegare ad casum particularem.

Dixi : *saltem in parochia*, quia quidam allegant pro hujusmodi restrictione S. Cong. decisionem, quæ potius contrarium supponit, et ideo nulla est ratio restringendi ad territorium parochiæ; vide Institutiones canonicas, Tract. 2, n. 86 in fine, n. 92; Carrière, n. 1344.

VI. — *Quot et quinam requirantur testes.*

242. — Constat ex Conc. Trid. præsentiam *duorum vel trium testium*, una simul cum parocho, et non singillatim, requiri et sufficere; sed tacet Concilium circa illorum qualitates, ideoque sufficit, juxta communem Theologorum et Canonistarum opinionem, quod usum rationis habeant, et de celebrato Matrimonio testari possint.

Hinc parentes, affines, cognati, domestici, feminæ, impuberes, licet in aliis negotiis ut testes non admitterentur, in nuptiis eo magis desiderantur, quo contrahentibus proximiores sunt; cum facilius testari possint de contrahentium domicilio, conditione et aliis quæ ad Matrimonium celebrandum attinent, n. 246.

VII. — *Quænam necessaria sit decreti promulgatio.*

243. — Juxta Conc. Trid., n. 231, præsens decretum vim obligandi non habet in unaquaque Parochia, nisi post triginta dies, a die publicationis in eadem parochia factæ numerandos.

244. — Hinc 1. ut decretum obliget, non sufficit ut quovis modo fuerit promulgatum, sed requiritur illius in Parochiis promulgatio, vel ejusdem diuturna observantia, quæ promulgationi æquivaleat. Ita S. Congreg. Conc. et Bened. XIV, *de Synod.*, lib. 12, c. 5, n. 6. An vero Decretum istud in omnibus Galliæ provinciis coloniisque fuerit promulgatum, *a nemine controvertitur.*

245. — Hinc 2. decretum Conc. Trid. minime obliga[t] locis, ubi non fuit promulgatum, nec unquam recep[tum] sensu mox exposito, cum lex nondum promulgata vim ob[li]gandi non habeat; et aliunde constat ex tenore decre[ti]

246. — Hinc 3. nec etiam obligat, ubi illius impletio moraliter impossibilis; tunc enim Ecclesia non vult ob[li]gare : et ita Congreg. Conc., apud Bened. XIV, *de Syn.* lib. 12, cap. 5, n. 5. Sic etiam Pius VI in Responsioni[bus] ad Episc. Gall., et præsertim ad Episcop. Genevens[em] 5 sept. 1795. Magnum est enim discrimen inter hoc et [alia] impedimenta : alia non obstant cuilibet Matrimonio; ist[ud] autem omne prorsus Matrimonium impediret; debuit er[go] Ecclesia illud eo modo restringere.

Hæc autem exceptio individualis est, eo sensu quod [non] requiritur nec sufficit ut recursus ad proprium Parochum vel ejus ad hoc delegatum aut superiorem, sit moralit[er] impossibilis communitati, v. g., alicui provinciæ, uti as-serunt pauci, inter quos Gury, n. 841; sed requiritur et sufficit ut ille recursus sit moraliter impossibilis ipsis con-trahentibus, juxta communem auctorum sententiam; [et] proinde expendendæ sunt peculiares circumstantiæ *in* qui-bus unusquisque versatur. Vide Carrière, n. 1210.

Si Parochus adiri nequeat, semper coram duobus testi-bus Matrimonium iniri debet, alioquin esset irritum. Lex enim quæ tota adimpleri nequit, pro parte quæ potest ser-vari, obligat; et ita declaravit Pius VI in Brevi, an. 1795. et, ex recenti declaratione S. Officii, sufficiunt testes quando per *spatium mensis* tutus non sit ad parochum ac-cessus. Mansella, p. 146.

1. Non fuit promulgatum in Anglia, Scotia, in Borussia, Pomerania, Saxonia, Svecia, Argentorati pro hæreticis, in plerisque Helvetiæ proviaciis, in Dania, Norvegia; in regionibus sive Europæ, sive Asiæ generatim sub ditione turcica vel persica constitutis; in multis imperii sinensis provinciis; in vicariatu Sut-chuensi, saltem usque ad an. 1803; in Abyssinia.

Dubitatur an sit promulgatum Bremæ in circulo Saxoniæ inferioris, in Val-chia, Bulgaria, in Syria, in insula Cypri, in ora Malabarica, in diœcesi Detroi-tensi, in California superiori, in provincia Quebecensi. Vide Mansellam, c. 1, art. 4, n. 11, 12.

III. — *De conditione Protestantium respectu Clandestinitatis.*

248. — *Quæritur* quænam sit conditio protestantium seu hæreticorum valide baptizatorum, quoad clandestinitatis decretum?

Resp. Distinguendum est : scilicet, vel agitur de hæreticis 1. *societatem distinctam* efformantibus a parœciis catholicis *eo momento*, quo in hisce parœciis promulgatum fuit illud decretum; 2. vel *non distinctam societatem religiosam* efformantibus; 3. vel habitantibus in locis, in quibus illud decretum, licet publicatum, *nunquam fuit observatum* tanquam ejusdem Concilii decretum, vel si quandoque observatum fuit, longo dein temporis intervallo *in desuetudinem abiit;* 4. vel demum de hæreticis ab illo decreto exemtis ex *speciali concessione* S. Sedis.

Si *primum*, prædicto decreto non subjiciuntur illi hæretici. Nam in tali casu promulgatio facta in parœcia, in qua habitant, eos non spectat. Id expresse declarat Pius VII, in Brevi 27 jun. 1805, ad Napoleonem ; Vide Carrière, n. 1216 [1].

Si *secundum*, illi hæretici præfato decreto obstringuntur, tum quia in tali casu sunt membra parœciæ, in qua promulgatur illud decretum; tum quia Congreg. Romanæ constanter responderunt pro talium matrimoniorum invaliditate ratione clandestinitatis, ut ait de Angelis, *ibid.*

Idem verum est de hæreticis qui, progressu temporis, exclusive aut principaliter invasere loca, in quibus prædicti decreti promulgatio jam facta est, etsi illi hæretici in iis locis societatem religiosam omnino a societate catholicorum distinctam efforment. Horum enim hæreticorum matrimonia sive inter se, sive cum catholicis inita absque forma Conc. Trid., generaliter loquendo, invalida judicantur

1. Cum inter Patres Conc. Trid. moveretur *quæstio* de statuendo clandestinitatis impedimento, P. Lainez observavit hæreticos non recepturos hanc legem, ex quo infinita adulteria erant eventura, et gravis confusio futura quoad legitimas successiones. Quæ igitur incommoda ut eliminarentur, Concilium induxit specialissimam præfati decreti promulgationem in unaquaque parœcia. Vide de Angelis, lib. 4, tit. 3, p. 104.

a Rom. Congregationibus, ait de Angelis, *ibid.*, n. 8, in fin

Si *tertium*, non adstringuntur illi hæretici decreto clan-destinitatis, ex Brevi Pii VII ad Arch. Moguntinum, 8 oct. 1803, in quo expresse declaratur « matrimonia hæreticorum, *coram ministro acatholico inita*, esse *rata et firma* in locis, in quibus decretum Conc. Trid., vel nunquam publicatum fuit, vel *nunquam observatum* tanquam ejusdem concilii decretum, vel, si quandoque observatum fuit, longo dein temporis intervallo *in desuetudinem abiit*. »

Si *quartum*, patet, vi specialis exemptionis a S. Sede concessæ, hæreticos, ad quos spectat illa exemptio, non adstringi decreto clandestinitatis. Jam vero Benedict. XIV Constitut. *Matrimonia*, 4 nov. 1741, et *Singulari*, 9 febr. 1749, declaravit decretum Conc. Trid., non promulgari in Hollandia et in provinciis fœderatis Belgii pro matrimoniis inter hæreticos, vel inter unam partem hæreticam et alteram catholicam; *de Synod.*, lib. 6, c. 6, n. 7-12. At, ex Brevi Pii VII, 23 apr. 1817, « illa declaratio ad alias regiones aut diœceses extensa haberi nunquam potest, nisi peculiari decreto ad ipsam a Sede Apostolica declaretur. »

Hujusmodi concessio fit, non eo quod hæreticorum jura a guberniis civilibus sunt recognita, nec quia hæretici sunt in societate religiosa constituti, sed solummodo ad vitanda gravissima mala, quæ absque illa concessione imminerent fidelibus in illis regionibus existentibus; de Angelis, *ibid*. Quare S. Sedes nunquam voluit Benedictinam declarationem extendere ad regiones, quæ principibus subsunt catholicis[1].

1. A Decreto clandestinitatis matrimonia sive inter hæreticos, sive inter unam partem hæreticam et alteram catholicam, eximuntur in hisce regionibus : Uratislaviæ, 1785; Ulmiæ, 1774; in Ducatu Claviensi, 1795; in civitate Mastricht, 1836; in civitate Constantinopoli ejusque suburbiorum locis, 1769; in S. Petri suburbio in vicariatu Limburgi, 1844; Pondicerio, 1833; ora Coromandelica, 1881; Japonia, 1628; ora Malabarica, 1765; Bombay, 1761. Calcutta, 1838; Canada, 1768; Curaçao, 1851; insula SS. Trinitatis, 1815; Ludoviciana et Florida, 1831.

Pro matrimoniis tantum mixtis, in Hibernia, 1785; Hungaria, 1844; Bavaria, 1834; in universo imperio Russiaco et regno Poloniæ, 1844; in provinciis Rhenanis, 1830; Georgia, 1845.

x his omnibus inferre licet quænam sit, respectu clan-initatis, conditio protestantium in Gallia degentium. ●licet, 1. quidquid sit de eorum conditione ante edicti netensis revocationem an. 1685, certum est, post illam ocationem, jam non constituisse religiosam societatem prie dictam, sed pertinuisse ad parœcias, in quibus Trit. decretum fuerat promulgatum. Nec profecto ab hoc deto eosdem exemit edictum auctoritatis civilis, an. 1787, cultuum libertate, ex quo tempore Protestantes in Gallia igiosam societatem distinctam efformarunt. Talis enim emptio procedere nequit ab auctoritate civili; ergo ex hac rte illi hæretici decreto clandestinitatis adstringuntur.

2. Nec ab illo exempti sunt per aliquam specialem con-ssionem S. Sedis, ut omnino constat.

3. Tandem, illud decretum nunquam servarunt protes-ntes in Gallia degentes, ab an. 1787 usque ad præsentem iem : et sane tale temporis intervallum sufficiens est, ut ex aliqua in desuetudinem abeat.

An vero in hoc casu id dici possit, negandum nobis videur. Nam 1. ex Brevi Pii VII supra relato, non obligat decretum Tridentinum, *in locis*, in quibus longo temporis intervallo in desuetudinem abiit : atqui semper illud decretum ab an. 1787, in omnibus Galliæ parœciis, quorum pars censentur Protestantes coram Ecclesia, servatum fuit; ergo illud decretum pro illis protestantibus in desuetudinem non abiit. 2. Nec credibile est, quod Ecclesia hæreticali separationi, eo quod sit iterata ac perlonga, adnectet privilegium exemptionis ab illa lege. 3. Reipsa, ex dictis ad *secundum*, Congregationes Rom. constanter habent ut invalida matrimonia hæreticorum, qui invasere loca, in quibus prædicti decreti promulgatio facta est, licet progressu temporis illa loca principaliter aut *exclusive* occupent, ac in iis efforment religiosam societatem omnino distinctam. 4. Demum, ex dictis ad *quartum*, S. Sedes nunquam concedit a prælaudato decreto exemptionem ob hoc motivum, quod hæretici efforment societatem spiritualem omnino distinctam. Ergo Protestantes in Gallia degentes decreto clandestinitatis obstringuntur.

In praxi, S. Sedes pluries prudenti œconomia vult conversos hæreticos, qui de sui conjugii validitate non dubitant, in bona fide esse relinquendos. Si vero dubitent de illa validitate, renovetur consensus coram parocho et testibus, vel, si id fieri non possit, obtineatur dispensatio *in radice* super impedimento clandestinitatis.

SCHOLIUM

De impedimentis civilibus.

249. — Quid non possit circa ipsum contractum matrimonii, aut quid valeat circa ejusdem accessoria gubernium civile, jam dictum est n. 47, 48, 8[4], 8[5]. Unde.

250. — *Quæritur* quænam sint in Gallia varia statuta a gubernio civili circa matrimonium?

Resp. 1. Civile gubernium in Gallia decrevit ut parochi matrimonium non celebrent, nisi prius authentice eis constet sponsos coram magistratu civili contraxisse; art. 199, 200 Cod. civ. Ex decreto autem S. Pœnitentiariæ, n. 48, huic necessitati obtemperare possunt sponsi, modo quam primum contrahant coram Ecclesia, et interea sejuncti consistant.

2. Idem gubernium de prævio consensu parentum, de bannorum publicatione plura decernit, art. 148-160, 63-69, 166-17..

3. Tandem in eodem codice enuntiantur quædam impedimenta, quæ non afficiunt ipsum matrimonii contractum inter baptizatos, nisi in quantum consonant cum impedimentis juris naturalis, aut divini, aut ecclesiastici. Cujusmodi impedimenta civilia hic breviter recensemus. Silicet,

1° *Amentia.* An amentes ut tales a judice declarati et interdicti, possint coram lege civili per luciditatis intervalla contrahere matrimonium, valde controvertitur inter jurisperitos: vide Demolombe, Traité *du mariage*, t. 1, n. 127, 128.

2° *Error.* His quæ statuuntur jure naturali et canonico perfecte concordant art. 146, 180 et 1109.

3° *Vis.* Principiis jam supra stabilitis, n. 187, apprime consonant quæ in Codice civili leguntur, ab. art. 1109 usque ad 1115, de contractibus in genere et speciatim de Matrimonio, art. 180.

4° *Impotentia.* Nulla fit expressa mentio de hoc impedimento in Codice civili. Verum, juxta art. 144, Matrimonium contrahere non possunt mas ante 18 annos evolutos, et femina

te 15 etiam integros, ob scilicet præsumptam incapacitem nsummandi Matrimonium. Ideoque si uxor, quæ nondum atem a lege præscriptam attigerat, ante sex menses conperit, jam de nullitate Matrimonii postulari non potest, xta art. 185.

5° *Ligamen;* art. 147, 148.

6° *Ordo.* Quamvis de hoc impedimento nulla fiat *expressa* in odice mentio, agnoscunt saniores Jusperiti Ordinem sacrum erum esse impedimentum dirimens Matrimonium coram lege vili, et ita pluries judicatum est a tribunalibus, sive a Curia aprema. Vide Marcadé, t. 1, n. 564; Rogron, art. 140; Deıolombe, *ibid.* n. 131, 131 bis. An autem vota religiosa emissa altem in quibusdam mulierum communitatibus, constituant oram lege civili dirimens impedimentum, vide Demolombe, *bid.*, n. 132.

7° *Cognatio* 1. *naturalis.* Jus civile eodem modo computat gradus in linea recta ac jus canonicum; multum vero ab ipso liffert in computandis gradibus in linea collaterali. Tot enim numerat gradus, quot sunt generationes ab uno cognatorum usque ad stipitem, et a stipite ad alterum cognatum, dempto tamen stipite. Unde fratres sunt in secundo gradu, avunculus et nepos in tertio, consobrini germani in quarto, et sic deinceps : art. 738 Cod. civ.

Lege civili Matrimonium prohibitum est in linea recta inter ascendentes et descendentes legitimos vel naturales ad infinitum, art. 161 ; in linea vero collaterali prohibitio non extenditur nisi ad fratres et sorores legitimos vel naturales, art. 162; avunculum et neptem, amitam et nepotem, art. 163; hoc etiam articulo propatruus et proneptis, *grand-oncle, petite-nièce*, comprehenduntur, ut declaravit Concilium Status, anno 1808.

2. *Cognatio legalis*, ut supra, n. 207; art. 348 Cod. Civ.

8° *Affinitas* est impedimentum civile in linea recta usque in infinitum, art. 162, et in linea collaterali non extenditur ultra secundum gradum civiliter computatum, art. 162. Disputant Jurisperiti utrum affinitas civilis ex commercio illicito contrahatur.

9° *Honestas publica.* Codex civilis, sub titulo affinitatis, hoc agnoscit impedimentum ex matrimonio rato, non consummato.

10° *Raptus.* Aliquando raptus dat locum nullitati matrimonii, ut deducitur ex art. 354, 355, 356, et præsertim 357 Cod.

pœn.; sed quia lex semper præsumit vim illatam hinc metum incussum personæ raptæ, istud impedimentum confundi videtur cum impedimento vis aut metus. Raptus seductionis aliquatenus includitur in necessitate consensus parentum, quem exigit Codex, ut jam diximus.

11° *Clandestinitas.* Eam constituit absentia Magistratus civilis, *Officier civil*, domicilii utriusque contrahentium.

§ IV

De impedimentorum dispensatione.

Dicemus 1° de notione, speciebus et possibilitate dispensationum; 2° de potestate dispensandi super impedimenta Matrimonii; 3° de causis dispensationum; 4° de modo obtinendi dispensationes; 5° de modo exsequendi dispensationes; 6° de cessatione impedimentorum in casu ignorantiæ, necessitatis, dubii.

NUMERUS PRIMUS

De notione, speciebus, et possibilitate dispensationum in impedimentis Matrimonii.

251. — *Quæritur* 1° quid sit dispensatio de qua hic agitur?

Resp. Dispensatio de qua tractandum habemus, est relaxatio seu exemptio impedimenti *matrimonialis facta pro aliquo casu particulari ab eo, qui potestatem habet.*

Dicitur 1 : *relaxatio* seu *exemptio;* eaque vox locum tenet generis.

Dicitur 2 : *impedimenti matrimonialis*, quod est, scilicet, ex jure ecclesiastico. Non datur enim dispensatio proprie dicta in impedimentis ex jure naturali aut divino, ex dicendis, n. 253.

Dicitur 3 : *pro aliquo casu particulari;* et in hoc dispensatio differt ab abrogatione, qua impedimentum pro tota Ecclesia et absolute tollitur.

Dicitur 4 : *ab eo qui potestatem habet;* quibus significatur auctor dispensationis. Aliunde vide quæ de dispensatione in genere diximus in Tract. *de Legib.*, n. 105.

252. — *Quæritur* 2° quotuplex sit dispensatio impedi-nti Matrimonii, et pro quonam foro concedi possit?

Resp. 1. Triplex est dispensatio, scilicet, simplex, vel *in* *lice*, vel *perinde valere*.

Dispensatio *simplex* ea est, quæ non sanat quidem vitium od præcessit, sed partes reddit solummodo capaces ad nsentiendum in posterum, ita ut non habeat effectum re-oactivum. De ea fusius dicemus, n. 298.

Dispensatio *in radice*, ea est, quæ ita tollit impedimen-m Matrimonii jam initi, ut absque renovatione consensus, moveantur illius impedimenti effectus ab ipso tempore atrimonii. Quæ notio infra evolvetur, n. 299.

Dispensatio *perinde valere* est nova superioris gratia, qua onceditur ut dispensatio jam obtenta, sed ex aliquo vitio ssentiali invalida, revalidetur; et ideo hæc secunda gra-ia, qua prima fit legitima, dicitur *perinde valere* (*ut prima erinde valeat*).

2. Triplex hujusmodi dispensatio concedi potest vel pro foro *externo* tantum, vel pro foro *interno* tantum, vel pro *utroque* foro. Videlicet, *forum*, in genere, est juridictio, potestas gubernandi. Forum *externum*, quoad rem spiritualem, est potestas regendi fideles quatenus sunt membra societatis ecclesiasticæ; forum *internum*, est potestas regendi conscientiam fidelium quatenus sunt personæ privatæ. Forum internum duplex est, nempe, vel *sacramentale*, vel simpliciter *conscientiæ* : prius exercetur intra tribunal sacramenti Pœnitentiæ; posterius, extra illud tribunal exercetur.

Jam vero dispensatio conceditur pro foro externo et etiam pro foro interno, si agatur de impedimento publico; si autem quæstio sit de impedimento secreto, dispensatio non conceditur nisi pro foro interno, ita ut, nova requiratur dispensatio pro foro externo, si impedimentum secretum postea fiat publicum.

253. — *Quæritur* 3° an possibilis sit dispensatio ab impedimentis Matrimonii?

Resp. Impedimenta, ex supra dictis, n. 181, sunt vel ex

jure naturali, vel ex jure divino, vel tantum ex jure ecclesiastico. Porro, neque Deus ipse dispensare potest ab impedimentis quæ a jure naturali primario oriuntur... nempe proveniunt ex defectu consensus, vel ex impot...

Ab impedimentis ex jure naturali secundario, vel jure positivo divino dispensari nequit absque speciali concessione ex parte Dei; et etiam, hujusmodi concessio esset dispensatio proprie dicta a jure naturali secundario, sed declaratio quod jus illud in hoc vel illo casu particu... non obligaret, ex dictis in Tract. de *Legib.*, n. 19.

Ab impedimentis autem ex jure ecclesiastico dispensari potest, necnon ac ab omni lege positiva. Aliunde id constat tum ex usu quotidiano, tum ex Conc. Trid., quod, sess. ... c. 18, *de Reform.*, ait generatim de legibus ecclesiasticis: « Publice expedit legis vinculum quandoque relaxari... plenius evenientibus casibus et necessitatibus pro communi utilitate satisfiat. » Id speciatim de impedimentis Matrimonii aperte supponit, n. 7, 28. Quibusnam autem impedimentis id applicandum sit, deduci potest ex dicendis ... de unoquoque impedimento.

NUMERUS II

De potestate dispensandi super impedimentis Matrimonii

Agemus de potestate dispensandi competente 1° S. Pontifici, 2° Episcopis.

PUNCTUM PRIMUM

De potestate super impedimentis Matrimonii dispensandi competente S. Pontifici.

254. — Ex dictis in Tract. *de Eccles.*, n. 202-204, ad S. Pontificem pertinet valide dispensare a quacunque lege ecclesiastica, et ideo a quolibet impedimento Matrimonii jure ecclesiastico constituto.

Romæ autem quatuor sunt tribunalia per quæ S. Pontifex suam exercet auctoritatem dispensandi super impedimentis Matrimonii, scilicet, Congreg. S. Officii, Concilii, Pœnitentiaria, Dataria.

Congreg. S. Officii directe emittit dispensationem a ve-

› Ecclesiæ de Matrimoniis catholicorum cum hæreticis, 160. Præterea Congregationes S. Officii et Concilii suam ›ponunt sententiam de opportunitate dispensationis su- r impedimentis majoris momenti, scilicet, super dispa- ate cultus, Matrimonio rato et non consummato, voto lemni castitatis, ætate pubertatis, super dispensatione terpellandi partem infidelem, ut supra, n. 118, super ssolvendis sponsalibus, super opportunitate dispensa- ›nis *in radice.*

Pœnitentiaria et Dataria concedunt dispensationes super ıriis impedimentis, eo modo et ordine quem statuemus ıfra, n. 276, 277.

Cæterum Dataria vacat diebus dominicis, et etiam a rima die octobris ad decimam quintam novembris; præ- ›rea per tres hebdomadas a die Nativitatis Domini, per uas hebdomadas a die Paschatis, et totidem a die Pente- ostes, et a die festivitatis S. Petri; per aliquot dies post ıssumptionem; demum per totum tempus quo vacat ;. Sedes.

Pœnitentiaria autem nunquam vacat; attamen tempore ʼacationis S. Sedis, illud tribunal potestate non pollet nisi ›ro foro interno.

PUNCTUM II

De potestate super impedimentis Matrimonii dispensandi competente Episcopo.

Dicemus de potestate super impedimentis Matrimonii Episcopo competenti 1° jure proprio seu tanquam Episcopo; 2° vi consuetudinis; 3° vi delegationis.

I. — *De potestate super impedimentis Matrimonii dispensandi Episcopo competente jure proprio.*

PROPOSITIO

255. — *Episcopi non possunt jure proprio dispensare ab impedimentis Matrimonii.* Certum est.

Constat 1° ex *natura* auctoritatis *Episcopalis*. Namque de fide est *Episcopos* esse inferiores S. Pontifice et Ecclesia, a

quibus constituta fuerunt impedimenta Matrimonii : p... inferior non potest dispensare circa legem a superio... tam, nisi superior *expresse* vel *tacite* hanc facultatem ... cesserit. Dispensare enim est tollere aut suspendere ... legis seu voluntatem superioris pro aliquo casu particu... porro id nequit inferior, cum illius voluntas subje... voluntati superioris.

2° *Ex Auctoritate SS. Pontificum*, qui facultatem dis... sandi ab impedimentis tanquam Sedi Apostolicæ *ex... propriam* vindicare, data occasione, non omiserunt. In... ter alios Pius IV, ann. 1563; Bened. XIV, qui non s... quæstionem fuse discutit, sed ait Congregationes Urbis ... semel proscripsisse opinionem, quæ asserit Episcopo... *proprio* dispensare posse, tanquam *falsam et temerari...* Pius VI occasione edictorum Josephi II, et Pius VII in Br... 27 februarii 1809 ad Episcopos Gallicanos. Tandem, ... abundantiam juris, certum est et ab omnibus concess... potestatem Episcoporum, si existeret, fuisse in hoc lim... tam, et quidem sapientissime, alioquin mox multis de... sis corruisset diciplina Ecclesiastica.

Hinc nunquam Episcopi in impedimentis quibuscum... dispensant, nisi ex concessione sive generali, sive parti... lari S. Pontificis, atque ex potestate tantum *quasi ordina...* si sit ex concessione generali, ut docent S. Ligor., Kug... Antoine, Billuart, etc.

II. — *De potestate super impedimentis Matrimonii dispens... Episcopo vi consuetudinis competente.*

PROPOSITIO PRIMA

256. — *Vi consuetudinis universaliter receptæ, Episc... dispensant ab impedimentis prohibentibus, quæ non sunt ex... presse reservata S. Sedi.* Certum est.

Constat illa consuetudo praxi constanti et universali, n... ullus de hoc dubitat, ait Benedict. XIV, *de Synod.* lib. 9 ... c. 2.

Jam vero specialiter reservantur 1° vetitum latum ... S. Pontifice vel alio superiore, v. g., ab Archiepiscopo i...

.u appellationis; 2° impedimentum hæresis; 3° votum ;rediendi religionem a S. Pontifice approbatam; 4° votum *petuæ* castitatis *perfectum,* id est, plane voluntarium et ɔ objecto directo habens castitatem perfectam; *certum* et *solutum,* id est, non alternativum aut conditionatum. tamen in voto etiam castitatis perpetuæ emisso ab alteru- ɔ conjugum *post* Matrimonium contractum, dispensare ›test Episcopus in ordine ad debitum petendum; secus :ro, si sit emissum de mutuo consensu conjugum. nisi lsit necessitas, v. g., periculum incontinentiæ. Insuper, urgeat eadem necessitas, in voto perpetuæ castitatis nisso etiam *ante* Matrimonium, dispensare potest Episcoms ad petendum debitum, imo et ad contrahendum Ma- :imonium. Vide S. Ligor. lib. 6, n. 987. 5° Quoad impe- imentum feriæ jam diximus n. 162. 6° Demum quoad ponsalia, etsi Ecclesia intendat fidem esse servandam ponsalium, nec judices ecclesiastici possint in iisdem dis- ›ensare, alterutra parte invita, id tamen juris competit ;. Pontifici, qui talem dispensationem non concedit nisi ob :ausas satis graves et præsertim respicientes bonum publi- :um. Hæc dispensatio conceditur a S. Congr. Conc. De Angelis, lib. 4, tit. 1, n. 6.

PROPOSITIO II

257. — *Et tacito consensu S. Pontificis, possunt Episcopi quandoque dispensare ab ipsis impedimentis dirimentibus.* Certum est.

Quatuor casus distinguendi sunt, prout agitur de dispensatione impedimenti *ante* matrimonium *contractum,* vel *cum quo* jam contractum est matrimonium, vel *supervenientis* matrimonio jam legitime *inito,* vel *dubii.*

I. Ab impedimento dirimente *ante contractum* matrimonium *dispensare potest Episcopus,* modo illud impedimentum sit *occultum, et adsit urgens necessitas ab eo dispensandi.*

Et quidem 1° *modo illud impedimentum sit occultum,* n. 278. Hoc autem fieri potest materialiter vel formaliter. Occultum est *materialiter* impedimentum, si publice non cognoscatur *factum,* ex quo oritur impedimentum, v. g.,

ipsum commercium carnale, et quidem consummatum quo oritur impedimentum affinitatis illicitæ. Form... occultum est impedimentum, si factum, ex quo ... notum sit, v. g., prædictum commercium carnale, sed ... retur illud factum *constituere dirimens impedimentum*. C... rum patet impedimentum materialiter occultum, e... fortiori occultum formaliter; sed aliquod impedime... facile posse esse materialiter publicum, ac simul occu... formaliter; imo sat raro, ne dicam, rarissime, fact... quibus oriuntur impedimenta dirimentia, sunt publica ... maliter, seu quatenus impedimenta, ut fatetur Benedict. X... *Instit.* 87, n. 48.

Jam vero, 1. si impedimentum sit *occultum materiali...* cum eo ipso sit occultum quoque formaliter, tunc ... verificatur conditio : *dummodo impedimentum sit occult...* et ideo, ex hac parte, constat dispensandi potestas Episcopo, ut communiter sentiunt Theologi, inter ... Sanchez, Pontius Bonacina, Barbosa, Cabassut, etc.

2. Si vero impedimentum sit occultum *formaliter tant...* potest etiam dispensare Episcopus, juxta communi... aut etiam communem Theologorum et Canonistarum s... tentiam, quam refert Benedict. XIV, *ibid.*, n. 42, et de S... *nod.*, lib. 9, c. 2, n. 2, licet tamen eam non antep... Hujusmodi quæstio recens discussa fuit a quatuor Con... toribus S. Congr. Conc., qui agnoscunt præfatam Epis... auctoritatem uti communiter admissam; huicque concl... sioni consonat decisio S. Congr. Conc., 29 jan. 1881. V... *Analecta*, 1882, col. 583-605.

Revera, adjectivum *occultum* afficit substantivum *im...dimentum;* ac proinde istud censetur ignorari, nisi publi... cognoscatur uti impedimentum, seu formaliter, ut ait B... nacina, apud Benedict. XIV, *Instit.* 87, n. 42.

Attamen, cum agitur de contrahendo matrimonio, oport... cum maxima ponderatione procedere; nec permittenda e... matrimonii celebratio cum impedimento certo, ac simul cu... jurisdictione probabili aut etiam probabiliori, nisi urge... necessitas, ne nullitatis periculo exponatur sacramentum

2° *Modo adsit urgens necessitas*, nempe, si augustiæ tem...

rum non patiantur adiri Papam, ut, v. g., quando, para- omnibus ad nuptias, confessarius ex confessione unius onsorum cognoscit inter illos adesse affinitatem illicitam, l impedimentum criminis; aut si vitari non possit scan- lum, vel unius sponsorum infamia, vel timeantur inimi- tiæ, nisi intra breve tempus celebretur matrimonium, et leo nisi dispenset Episcopus.

An vero, in iisdem adjunctis, si non possit adiri Episco- us, agnoscendus sit casus epikeii, atque parochus aut onfessarius possit ad matrimonii celebrationem procedere ide n. 292.

Ut vero fideles talibus occurrant augustiis, eos sæpe mo- neat Parochus de confessione aliquot diebus ante Matrimo- nium facienda.

Ad Matrimonium autem contrahendum dispensare nequit Episcopus, si agatur de impedimento *publico;* et propositio affirmativam asserens, etiam pro matrimonio contrahendo sive in articulo mortis, sive in alia urgentissima necessi- tate, uti falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa et sedi- tiosa damnata est a S. Congr. Inquisit., 13 mart. 1660, et a S. Congr. Conc., 19 jan. 1861; vide n. 292.

II. Ab impedimento dirimente, *cum quo jam initum* est matrimonium, dispensare potest Episcopus, modo tres si- mul concurrant conditiones subsequentes :

1° Matrimonium contractum fuerit cum *bona fide* seu *impedimenti ignorantia* saltem ex parte unius conjugum, *in faciem Ecclesiæ,* et præmissis denuntiationibus. Nam, ex Conc. Trid., n. 28, carere debent spe dispensationis, ac separandi sunt, qui Matrimonium scienter cum impedi- mento contraxerint, vel solemnitates requisitas neglexerint. Attamen, juxta Kugler, adesse potest exceptio in quibus- dam casibus extraordinariis.

2° Matrimonium sit *publicum,* et impedimentum *occul- tum,* id est, non publice notum, nec ad forum contentio- sum deductum, aut facile deducendum, alioquin partes se- parari possent sine scandalo, et ita non esset necessitas ut Episcopus dispensaret. Admittunt tamen multi Doctores casus impedimenti publici in quibus ratione sive scandali,

sive prolis, præsumi potest ab Episcopo consensus S. P... ficis in dispensationem, sed hoc dicunt esse rarissime.

3° Adsit *urgens necessitas*, ita ut partes separari nequ... sine scandalo, vel cohabitare non possint sine incont... tiæ periculo; necesse est etiam ut vel propter distant... vel ob paupertatem adire non possint Summum P... cem, etiam per litteras.

Quidam requirunt etiam ut matrimonium fuerit ... summatum, quia ante consummationem facilior est ... ratio. At plerique auctores illud non exigunt; et ... ordinarie aderit incontinentiæ periculum, si expectan... S. Sedis dispensatio.

Aliunde, necesse est ut impedimentum sit ex iis in... bus dispensare solet S. Pontifex, alioquin non censer... dispensandi facultatem concedere. Cum autem vix ullum... in quo non dispensetur, hæc conditio parum morabitur ait Carrière, n. 1084.

Notandum est in præfato casu dispensationem imp... menti prodesse tantum in foro conscientiæ; et ideo, si ... pedimentum postea detegatur et deducatur ad forum ... tentiosum, opus erit nova dispensatione a S. Pontifi... obtinenda. Ita Benedict. XIV, *de Synod.*, lib. 9, c. 2, n. ... et alii varii auctores; n. 252.

III. *Si impedimentum superveniat Matrimonio jam legiti... inito*, v. g., ob votum perpetuæ castitatis emissum p... matrimonium contractum, vel ob affinitatem ex commer... illicito, ex quibus petitio debiti fit illicita, in hujusmodi impedimento dispensare potest Episcopus ad petendum ... bitum, ut communissime docent auctores. Vide tamen q... diximus de voto perpetuæ castitatis emisso post Matrim... nium contractum, n. 256.

Equidem in Indulto triennali, n. 268, Episcopis conce... tur illa facultas dispensandi ad petendum debitum. Ex ... tamen inferri nequit quod eadem facultate non polleant ... tacito consensu S. Pontificis. Nam, ex una parte, hujusmodi facultas per Indultum concedi potest ad cautelam aut ... abundantiam juris, et, ex alia parte, curia Romana per dispensationum concessionem, nec ideo per Indulta, nunquam

endit controversias dirimere, ut ait Benedict. XIV, *(est. canon.* 183, n. 26, 27.

IV. *Si dubium* sit impedimentum sive quoad *jus* seu gem qua statuitur, sive quoad *factum*, ita ut dubitetur cadat sub lege ex se certa, nulla opus est dispensatione xta probabilistas, qui simul fatentur ad majorem cautem postulandam esse dispensationem, n. 293. In hoc casu spensatio concedi potest ab Episcopo, juxta communissiam sententiam, ait S. Ligor., lib. 1, n. 192, lib. 6, n. 902. em, juxta eosdem, dicendum est, in dubio de ipsa facul-te dispensandi seu de sufficienti causa ad dispensandum; . Ligor., lib. 1, n. 192; vide Institut. canonicas, Tract. 4, . 99, ad 4.

Proinde, in hac materia applicandum non est in toto suo igore principium de sequenda parte tutiori, ubi agitur de 'alore sacramentorum. Nam in casu dubii de jurisdictione, pro collatione sacramenti Pœnitentiæ, vel pro dispensa-ione impedimenti Matrimonii, S. Pontifex, ex sententia communi, supplet jurisdictionem, saltem quando adest causa gravis necessitatis, aut magnæ utilitatis, aut causa rationabilis, ut ait S. Ligor., lib. 7, n. 573.

Cæterum, præfata dispensandi facultas in quadruplici casu Episcopo competens, est ordinaria aut quasi ordinaria, quatenus non personæ sed officio adnexa; et ideo Episcopus eam delegare potest non modo in particulari, sed etiam generaliter pro omnibus casibus occurrentibus. Eam tamen dispensandi facultatem non habent Vicarii generales sine Episcopi *speciali* commissione : quia illa facultas non est ordinaria in Episcopo nisi tantum ex præsumpta S. Pontificis voluntate, non autem ex privilegio in jure expresso. Aliter dicendum de Vicario capitulari, qui succedit in omnem ordinariam Episcopalem jurisdictionem. S. Ligor., lib. 1, n. 154.

258. — *Quæritur* an, si sponsi sint diversæ diœcesis, requiratur dispensatio utriusque Episcopi?

Resp. Quæstio expendi potest respectu licitatis aut validitatis. Porro ratione licitatis requiritur dispensatio utrius-

que Episcopi, ut sat communiter sentiunt auctores. Magis etiam controvertitur utrum illud requiratur sub pœna nullitatis. Negant Kugler, S. Ligor., n. 1142, et alii; affirmant communius auctores, inter quos Habert, Collet, Gibert, Lagedamon, etc. Sed hæc decisio locum non habet nisi in impedimentis publicis. In occultis enim, quæ ortum habent a crimine, satis est ut reus dispensetur a proprio Episcopo.

III. — *De potestate super impedimentis Matrimonii dispensandi Episcopo competente vi delegationis.*

259. — Agitur de dispensandi facultate Episcopis a S. Pontifice concessa per Indulta, quæ, quoad extensionem concessionum, varia esse possunt pro diversis diœcesibus aut temporibus. Cujusmodi igitur Indulta tantum præcipua et usu frequentiora indicare possumus, nempe, Indultum annuale, triennale, quinquennale, et alia quædam Indulta magis particularia.

1. De Indulto annuali.

260. — Hujusmodi Indultum quotannis conceditur Episcopis, et dicitur *annuale, ordinarium,* vel *diei 15 novembris*, ratione diei qua conceditur. Varias ejus clausulas expendere necesse est. Sic per partes se habet :

261. — « D. N. Leo PP. XIII, venerabili Episcopo.... attentis peculiaribus circumstantiis, infrascriptas facultates ad totum futurum annum duraturas benigne concessit, cum potestate illas suis Vicariis generalibus communicandi, quibus sive per se, sive per alias idoneas personas ecclesiasticas ad hoc specialiter deputandas uti poterunt, sub ea tamen expressa conditione ut in singulis actis expressa mentio fiat specialis Apostolicæ delegationis et non aliter. » ·

Itaque 1. Episcopus omnes facultates sibi per annuale Indultum concessas communicare potest non solum Vicariis generalibus, sed etiam Officiali, modo iste sit deputatus ad dispensationes in matrimonialibus causis, ut inferri licet ex

ecis. S. Pœnitentiariæ, 17 jun. 1852; S. Ligor., lib. 6, n. 1125. ubium est autem an easdem facultas vice-officiali communiare possit Episcopus, et de facto ab hujusmodi communicaione abstinent Episcopi; et ideo vice-officialis nec fulminare, ec convalidare potest dispensationes vi laudati Indulti.

Probabilius est quod Episcopus quotannis communicare deeat suis Vicariis generalibus et Officiali facultates concessas er illud Indultum, et quidem statim post ejusdem Indulti reeptionem. Quæ communicatio implicite continetur in volunate generali, qua Episcopus suis Vicariis generalibus et suo)fficiali concedit omnem potestatem, quam concedere potest n causis matrimonialibus.

2. Pro casu *particulari*, Episcopus delegare, Vicarius autem generalis aut Officialis subdelegare potest alium sacerdotem ad usum facultatum vi præfati Indulti concessarum, ut constat ex decis. S. Pœnitentiariæ, 30 jan. 1862. Nec ad hoc requiritur ut ille sacerdos sit in dignitate constitutus, sed solum persona *idonea*, id est, capax, docta et prudens, ex decis. S. Pœnitentiariæ, 11 jun. 1859.

3. Episcopus et ejus ad hoc delegati facultatibus concessis per Indultum annuale uti possunt ab ipsa die 15 novembris, ex decis S. Pœnitentiariæ, 20 feb. 1865, et probabilius usque ad diem 31 decembris, eo quod in illo Indulto dicitur : *Ad totum futurum annum duraturas*; non vero : *Ad annum duraturas*. Tutius est tamen uti novo Indulto post diem 15 novembris.

4. Sacerdos ab Episcopo vel a Vicario generali vel ab Officiali delegatus aut subdelegatus pro casu particulari ad facultates per Indultum annuale concessas, potest sua delegatione aut subdelegatione uti post annum elapsum, etiam ipse Episcopus aut Vicarius generalis aut Officialis dispensare non possit, nec dispensationes convalidare vi Indulti 15 novembris anno præcedente concessi. Similiter, mortuo Episcopo, subdelegatus ad facultates vi Indulti annualis concessas, potest iisdem facultatibus uti. Hæc sententia est saltem valde probabilior, et ideo tuta, ex principio : favores sunt ampliandi.

5. Si Episcopus, aut Vicarius generalis, aut Officialis, aut eorum delegati vel subdelegati, in fulminatione dispensationis aut revalidationis dispensationis non faciunt *expressam mentionem specialis Apostolicæ delegationis*, actus irritus efficitur, ex Benedict. XIV Const. *Ad tuas manus*. Adnotatio autem diei quo Indultum apostolicum datum est, vel temporis quo est duraturum, non est necessaria, ex decis. S. Pœnit., 7 aug. 1860.

262. — « Dispensandi in Matrimoniis nulliter ... Ecclesia usque ad præsentem diem, nec ultra initis su... quibuscunque impedimentis juris duntaxat ecclesi... quibus Apostolica Sedes dispensare consuevit, exc... impedimentis ex ordine sacro et ex voto solemni cast... provenientibus. »

Unde 1. in præfato casu Episcopus dispensare nequ... Matrimonium jam contractum sit mere civile, non vere ini... coram Ecclesia, quia Indultum annuale semper hanc co... tionem ponit, *coram Ecclesia.*

2. Vi illius Indulti, Episcopus dispensare non potest ab ... pedimentis pro Matrimoniis contractis *post* diem 15 novemb... ex ipso Indulti tenore, et ex decis. S. Pœnitentiariæ, 7 feb. 1...

3. Si sponsi contraxissent cum mala fide, nempe, quia ... non declararunt impedimentum, vel non declararunt ve... gradum consanguinitatis aut affinitatis, vel falsam cau... protulerunt, et quidem scienter, tunc ex praxi Romæ ser... Episcopus conjugibus imponere debet aliqualem pœnitenti... Vide Caillaud, n. 331.

263. — « Dispensandi in Matrimoniis *contrahendis* tertio et quarto simplici vel mixto consanguinitatis ... affinitatis gradu, modo secundum non attingat. »

Jam vero 1. vox *mixtum* hic non significat gradus inæqua... juxta omnes, sed consanguinitatem aut affinitatem ex utraq... parte, id est, ex parte patris et ex parte matris, ut ait Ca... rière, n. 1100; vel etiam consanguinitatem simul et affinit... tem, ut clare infertur ex aliis pluribus Indultis, et hanc int... pretationem propugnat Caillaud, n. 333. At, si, ratione ver... *mixto,* Episcopus potest dispensare in tertio et quarto gra... etiam *duplici,* idem dici nequit de gradu *triplici,* id est, ... triplici stipite proficiscente, ex decis. S. Congreg. Conc. 26 apr. 1873. Vide *Acta S. Sedis,* t. 7, p. 291.

2. Verba, *modo secundum non attingat,* indicant Episcopu... dispensare non posse de secundo ad tertium, nec de secund... ad quartum, et ideo hic non applicari regulam : *gradus re... motior ad se trahit propinquiorem.*

3. In præfato casu dispensare potest Episcopus etiam quand... commissus est incestus, imo, juxta Caillaud, n. 336, quand... incestus commissus fuit cum intentione facilius obtinend... dispensationem.

4. Præfata dispensatio importat etiam legitimationem pro. susceptæ, excepta adulterina; et idem verum est, quoties Episcopus dispensat vi Indulti 15 nov., ex decis. S. Pœnitentiariæ, 4 jul. 1859.

5. Si tertio aut quarto consanguinitatis aut affinitatis superaddatur aliud impedimentum primi aut secundi gradus, a quo jam dispensavit Curia Romana, quin conscia esset alii impedimenti in tertio aut quarto gradu, Episcopus vi Indulti annualis in tertio aut quarto gradu dispensare nequit. Hoc constat, quando dispensatio in primo aut secundo concessa est a S. Pœnitentiaria, quæ semper hanc conditionem ponit: *dummodo inter eos aliud non existat canonicum impedimentum*. Idem etiam verum est, si dispensatio in primo aut secundo gradu concedatur a Dataria, ex decis. S. Pœnitentiariæ, 5 apr. 1853.

At vero, si tertii aut quarti gradus consanguinitatis vel affinitatis impedimento superaddatur aliud impedimentum, a quo vi Indulti 15 nov. Episcopus dispensare valet, potest Episcopus ab illo tertii aut quarti gradus impedimento dispensare; eo quod nulla sit de hac re in Indulto restrictio, nec aliunde contraria decisio.

6. Episcopus, qui vi consuetudinis, n. 256, 257, aut Indulti personalis, et ideo Indulti 15 nov. dispensat in tertio aut quarto gradu, eleemosynam pro qualitate personarum imponere potest, sed in pios usus impendendam.

264. — « Dispensandi super impedimento publicæ honestatis justis ex sponsalibus proveniente. »

265. — « Dispensandi super impedimento cognationis spiritualis, præterquam inter levantem et levatum, aut vice versa. »

Per levantem, ex communi sensu, intelligendus est ipse baptizans, non vero patrinus aut matrina.

266. — « Dispensandi super impedimento criminis ex adulterio et ex fide data proveniente; neutro tamen conjugis mortem cum effectu machinante. »

267. — « Dispensandi seu convalidandi Litteras dispensationis super quovis canonico impedimento ab Apos-

tolica Sede expeditas, quæ nullæ fuerint ob incestum reticitum in precibus, aut patratum vel iteratum post m preces, et ante dispensationis executionem; vel q fuerint ob errorem nominis aut cognominis contrahen in Matrimoniis tam contrahendis, quam etiam in f Ecclesiæ jam contractis, ut servatis servandis licite seu renovari possint, injuncta, si agatur de incestu v errore nominis aut cognominis culpabili ex parte u rum, congrua pœnitentia salutari; et, si agatur de Lit ab apostolica Dataria obtentis non in forma pauperum per impedimentis primi, seu primi et secundi, aut ser tantum consanguinitatis, vel affinitatis gradum, præ batur etiam aliqua eleemosyna judicio ejusdem Ordin juxta contrahentium vires taxanda. »

Unde 1. illa potestate gaudent Episcopi sive incestus publicus, sive non, cum hac de re nulla sit distinctio exceptio in illo Indulto.

2. Nec potest Episcopus illas dispensationes convalidare incestus fuerit commissus cum intentione facilius obtin dispensationem, ex decis. 4 jul. 1834.

3. Illa convalidatio fieri debet ante fulminationem dispensationis, sed nihil impedit quin fiat in uno et eodem actu, h v. g., terminis : « Viso Indulto 15 nov. anno..., vi cujus co validamus Litteras Apostolicas nullas ob errorem nominis ob incestum : virtute Brevis Rescripti Apostolici expe Romæ sub data... dispensamus... »

4. Eadem convalidatio fieri potest sub conditione, id e posito quod commissus fuerit incestus.

2. De Indultis triennali et quinquennali, et aliis particularibus.

268. — Episcopus immediate post suam institutionem et Vicarii Capitulares post mortem Episcopi, a Majori Pa nitentiario recipiunt Indultum triennale, in quo, inter ali conceduntur tantum *pro foro conscientiæ*, n. 252, subse quentes facultates :

1° Dispensandi ad petendum debitum conjugale cum transgressore voti castitatis, qui Matrimonium cum dicto voto contraxerit; hujusmodi pœnitentem monendo, ip sum ad idem votum teneri, tam extra licitum Matrimoni

ım, quam si marito, seu uxori respective supervixerit.
2° Dispensandi cum incestuoso aut incestuosa, ad petenm debitum conjugale, cujus jus amisit ex *superveniente* *ulta* affinitate illicita.
3° Dispensandi super impedimento ex affinitate illicita oveniente, quando agitur de matrimonio cum dicto imdimento *jam contracto*, aut etiam *contrahendo*, quando nnia parata sunt ad nuptias, nec matrimonium absque riculo gravis scandali differri potest usquedum ab Apos lica Sede obtineatur dispensatio : firma manente condione, quod copula habita cum matre mulieris hujus natiitatem non antecedat, et injuncta in quolibet casu pœnintia salutari; et, si agatur de matrimonio cum dicto mpedimento jam contracto, injuncta confessione sacramenali semel in mense per tempus dispensantis arbitrio stauendum.

4° Dispensandi super impedimento occulto criminis, lummodo sit absque ulla machinatione, et agatur de matrimonio jam contracto, injuncta gravi pœnitentia salutari, et confessione sacramentali semel qualibet mense, per tempus dispensantis pariter arbitrio statuendum.

5° Dispensandi super impedimento tertii aut quarti gradus consanguinitatis vel affinitatis super quo obtenta fuerit dispensatio a S. Sede, sed reticita incestuosa copula, n. 285; ac etiam dispensandi seu revalidandi ejusmodi Litteras irritas redditas ex incestu, sive post petitam petitionem, sive post illius expeditionem, et ante executionem, in casibus occultis, sive agatur de Matrimonio contrahendo, sive jam contracto, injuncta in singulis casibus congrua pœnitentia salutari.

Jam vero 1. Episcopus, vi consuetudinis, pollet fere omnibus facultatibus per Indultum triennale ipsi concessis, sed cum hoc discrimine, quod exercitium harum facultatum vi præfati Indulti non adeo numerosis et gravibus conditionibus subjicitur, n. 257.

2. Episcopo qui obtinuit Indultum 15 nov., fere inutile evadit Indultum triennale, si excipiantur duo priores casus hujusce Indulti.

269. — Indultum *quinquennale*, inter alia, concedit re matrimoniali easdem facultates jam Episcopo conc... per Indultum annuale aut triennale; et ideo nihil sp... liter de Indulto quinquennali dicemus.

Haud raro conceduntur Indulta particularia, quorum tute potest Episcopus 1° dispensare pro aliquot casibus primo aut secundo affinitatis gradu in linea collaterali causa urgeat.

2° Convalidare dispensationes Romæ concessas, sed ... tas et nullas vel ob incestum commissum, vel ob matrimonium civile contractum cum intentione facilius obtinendi dispensationem, quin hujusmodi intentio declarata fu... in libello supplici. Item convalidare dispensationes nul... eo quod aliud adest impedimentum, sed non adeo gra... quod nonnisi emisso libello supplici cognitum fuit. Ite... convalidare dispensationes nullas ob errorem circa natur... impedimenti ab amanuensi commissum, v. g., quando i... dicatur consanguinitas loco affinitatis, n. 285, 287.

3° Dispensare etiam *in radice* pro aliquot casibus, ... agatur de matrimoniis jam contractis, quando unus sp... sorum consensum coram parocho et testibus renovare re... cusat.

270. — *Quæritur* an Episcopus præfatis Indultis uti possit *extra fines suæ diœcesis?*

Resp. Exstat de hac re decisio S. Cong. S. Officii, 22 nov 1865, quæ sic contrahitur. 1. Si in Indulto apponatur hæc clausula : *Nullomodo uti possit extra fines suæ diœcesis*, Episcopus non potest Indulto uti nisi cum propriis subditis in diœcesi existentibus actu, quo conceditur gratia. Cæterum, præfata clausula non debet subintelligi in hujusmodi indultis, nisi expressa fuerit, vel aliter constet de mente S. Pontificis, vel nisi subjecta materia eam requirat.

2. Si sponsi sint ejusdem diœcesis, et in alia diœcesi velint contrahere matrimonium, vel si sponsi sint diversæ diœcesis, Episcopus, vi Indulti, nisi obstet tenor Apostolicæ concessionis, potest dispensare ab impedimento dirimente cum duobus sponsis sibi subditis, vel cum sponso

›i subdito, ..ndi. In ...uiritur venia pro celebratione matri-
..nii ab Episcopo loci, ubi ipsum matrimonium con-
..hitur.

3. Si agatur de impedimento mixtæ religionis, pars ca-
..lica dispensari potest ab Episcopo cui est subdita ob
..micilium, dummodo in eadem diœcesi actu existat,
..ando dispensationem recipit. Dispensatio autem ita ob-
..ta executioni tradi potest ubicunque mixta connubia
..ntrahi permittuntur, nisi aliquid aliud obstet judidio Or-
..narii loci, in quo contrahitur matrimonium; secus, pro
..spensatione ad Apostolicam Sedem recurrendum est.
..de *Analecta*, 1867, col. 1005.

NUMERUS III

De causis dispensationum.

Dicemus 1° de necessitate et sufficientia causarum dis-
..ensationis; 2° de earum verificatione.

PUNCTUM PRIMUM

De necessitate causarum pro obtinendis dispensationibus ab impedimentis, et de iis quæ sufficiant.

271. — *Quæritur* 1° an ad licitatem aut validitatem dispensationis requiratur justa causa?

Resp. 1. Ad *licitatem* requiritur justa causa, ut constat ex Conc. Trid., n. 28 : « In Matrimoniis contrahendis, inquit, vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, *idque ex causa*, et gratis concedatur. »

2. Ad *validitatem* dispensationis ab impedimentis requiritur justa causa, si dispensatio concedatur ab Episcopo, qui tanquam delegatus dispensat a legibus universæ Ecclesiæ, quales sunt leges de impedimentis. Superior enim nunquam confert delegato facultatem dispensandi sine causa seu temere et inique.

Non requiritur autem justa causa, si dispensatio concedatur ab ipso S. Pontifice. Lex enim pendet a voluntate legislatoris. qua ideo voluntate sublata, eo ipso lex tollitur. Vide Tract. *de Legibus*, n. 112. Sed de facto nunquam S. Pontifex intendit valide dispensare sine justa causa.

Equidem haud raro Romæ conceduntur inter alia, ... quæ dicuntur *sine causa* : quæ autem verba non significant eas absque ulla ratione concedi, sed tantum sine causa *se* finali seu determinativa, aut intrinseca et Matrimonii propria, ut ipse S. Pontifex declarat his verbis, quæ ... hujusmodi dispensationibus leguntur : *ex certis rationabilibus causis animum nostrum moventibus*. Causæ autem ... sunt vel per se tantum *impulsivæ*, de quibus, n. 272, ... 274, vel usus legitimi in quos adhibetur eleemosyna, ... fit in talibus dispensationibus. Revera, cur largior eleemosyna, quæ in utilitatem Ecclesiæ et bonum religionis ... pendetur, non esset ratio tam sufficiens dispensationis, ... nobilitas sanguinis, aut aliæ causæ ab omnibus admissæ ? In eo casu dicunt auctores per hanc eleemosynam compensari vulnus illatum ecclesiasticæ disciplinæ. Quare verba Conc. Trid., quibus declaratur dispensationes esse gratis concedendas, significant tantum *absque concedentium lucro* ex responso a viris maxime peritis Datariæ facto ... Alexandro VII ; n. 280, 281. Vide Carrière, n. 1128.

272. — *Quæritur* 2° quænam sint causæ justæ, ut dispensetur in impedimentis dirimentibus ?

Resp. Dici potest generatim concedi posse dispensationem, quoties occurrit necessitas, vel magna quædam utilitas. Quæ necessitas vel utilitas est vel ipsorum conjugum vel societatis politicæ, vel ipsius Ecclesiæ. Cæterum ... gravior requiritur causa, quo gravius est impedimentum quo dispensandum est.

Causæ autem speciales, ex quibus solet S. Pontifex dispensare, maxime in consanguinitate aut affinitate, duplicis sunt generis, aliæ *honestæ*, aliæ vero quæ dicuntur *infamantes*. Honestæ aut infamantes sunt vel *finales*, id est per se determinantes, vel *impulsivæ* tantum, ita ut seorsim sumptæ non sufficerent, dum, si plures sumantur, sufficiunt.

273. — I. CAUSÆ HONESTÆ.

1° *Causæ honestæ* per se *finales*. 1. *Ætas puellæ* 24 annum excedentis, unde difficultas extra parentelam conve-

nter nubendi. In libello supplici exprimi debet, quod ılla hic et nunc virum paris conditionis quoad divitias, ıtem, mores, indolem non invenit. Hæc causa non suf-gatur viduæ, quæ ad alias nuptias convolare cupiat. *Incompetentia dotis*, ob quam femina non invenit virum ualis conditionis, nisi consanguineum. Nec spes pinguis ereditatis computatur, nisi oriatur a linea recta, nempe avo, a patre vel matre. — 3. *Angustia loci*, propter ıam puella non reperit Matrimonium æquale, nisi cum nsanguineis aut affinibus(1). 4. Conservatio *illustris famie* in eodem sanguine, *vel conservatio bonorum* in eadem milia *illustri*. — 5. *Excellentia meritorum in Religionem*, ve petentis dispensationem, sive illius personæ pro qua pe-tur talis dispensatio. — 6. *Vidua pauper et liberis gravata*, uos sponsus alere intendit et promittit. Idem sufficit, tiam vidua uno tantum filio gravaretur. Quandoque con-editur dispensatio ea tantum de causa, quod vidua junior it, atque in periculo incontinentiæ versetur. — 7. *Lites uper successione bonorum jam exortæ*, vel *earumdem grave ut imminens periculum;* scilicet, si mulier gravem litem uper successione bonorum magni momenti sustineat, ne-ue adsit alius, qui litem hujusmodi in se suscipiat, pro-riisque expensis prosequatur, præter illum qui ipsam in ıxorem ducere cupit. Huic proxime accedit alia causa,

(1) 1. Angustia loci non est desumenda a numero focorum cujusque parœciæ, ed a numero focorum cujusque loci vel etiam plurium locorum, si non distent ad nvicem ultra milliare seu mille metros; ita S. Congr. Conc., 16 dec. 1876. :. Adest angustia loci, si locus, vel plura loca ad invicem non distantia ultra nilliare, non excedant numerum 300 focorum seu 1,500 civium, demptis pro-estantibus, Judæis, incredulis. 3. Præfatus locus is est, ubi nata est oratrix, el ubi nati sunt oratores, si in illo loco hic et nunc domicilium habeant sive arentes puellæ, sive orator, etsi puella actualiter alibi commoretur; vel si uella illum locum actualiter habitat, licet orator alibi habeat domicilium. — ied etiam sufficere potest angustia loci in quo vel oratrix, vel oratores, vel pa-entes oratricis simul et orator actualiter habent domicilium, etsi non sit nativi-atis locus. — 4. Tandem afferri potest angustia loci, si oratrix, propter angus-iam loci, virum paris conditionis invenire nequeat actualiter, licet antea jam nvenerit; imo etiamsi actualiter inveniat virum paris conditionis non consan-;uineum vel non affinem, sed degentem in alio loco, ex decis. S. Congreg., 28 nov. 1870.

nempe, *dos litibus involuta*, cum mulier alio est des... viro, cujus ope bona sua recuperare valeat : sed hæc ca... nonnisi pro remotioribus gradibus sufficit. — 8. *Bo... pacis*, quo nomine veniunt nedum fœdera inter reg... principes, sed etiam exctinctio gravium inimicitiaru... rixarum, et odiorum, quæ inter contrahentium consang... neos vel affines orta sint. — 9. *Periculum fidei*, in re... bus scilicet ubi degunt hæretici, cum quibus oratrix... iniret Matrimonium. — 10. *Copiosior eleemosyna* ad... causas. — 11. *Matrimonium coram Ecclesia jam con... tum;* si autem sponsi contraxerint in mala fide de im... mento, illa causa est infamans. — 12. *Contractus ... initus*, et quidem ex honesto fine, et cum intentione ... cohabitandi ante dispensationis concessionem ; ali... illa causa esset infamans.

2° *Causæ honestæ tantum impulsivæ*. — 1. *Similes ... gionis et pietatis sensus*, seu difficultas inveniendi *viru...* dole, moribus, fide, pietate et christianis virtutibus ... commendatus. — 2. *Honestas familiarum*, ita *ut nulla ... pitudinis nota seu vitio laborent*. — 3. *Infirmitas oratr...* quæ nempe esset vel sanitate debilis, aut surda, *aut dif...* mis, aut alia infirmitate laborans. — 4. *Orbitas pue...* scilicet, ex parte patris, vel matris tantum, a *fortiori* utraque parte.

274. — II. CAUSÆ INFAMANTES.

1° *Causæ infamantes per se finales*.

— 1. *Commercium illicitum* cum consanguinea aut affi... ex quo timetur infamia nisi contrahant. — 2. *Pericul... diffamationis, evitatio scandali*, si non dispensetur in imp... dimento secreto, quod, si aliquo modo reveletur, erit cau... aut occasio diffamationis vel scandali. — 3. *Periculum vitæ*, quando, v. g., parentes mortem minitantur oratr... nisi contrahat cum complice commercii illiciti. — 4. *Tim... fundatus contractus mere civilis*, ut præcaveatur scandalu... et illegitimitas prolis nascituræ. — 5. *Legitimanda prol...* ex fornicatione nata aut concepta cum consanguinea v... alia persona impedimento laborante.

' *Causæ infamantes tantum impulsivæ.* — 1. *Amor inor-*
;tus, unde, fatentibus partibus, aut ex rumore publico,
›r peccati. — *Diuturna vel nimia familiaritas* partium,
[ua oriri potest scandalum, vel unius partis infamia,
sequatur Matrimonium. — 3. *Infamatio oratricis*,
ndo, v. g., hæc est spuria vel ex parentibus haud boni
ninis nata. — 4. *Dispensatio civilis obtenta.*

PUNCTUM II

verificatione causarum quæ allegantur ad dispensationem obtinendam.

275. — Dicemus infra, n. 286, an veræ debeant esse
causæ; hic autem quæritur quonam tempore veræ esse
beant, an, scilicet, 1° quado Romam scribitur; 2° an
ando Romæ conceditur dispensatio; 3° an quando fulmi-
tur; 4 an quando a postulantibus executioni demandatur.
rro.

1° *Quando Romam scribitur*, non necesse est ut tunc vera
t causa ad validitatem dispensationis; sufficit enim veram
se causam tempore quo datur dispensatio, ut hæc non
ncedatur sine causa; nec ideo in hoc casu adest menda-
ium, cum vere non decipitur S. Pontifex, si vera sit causa
o momento quo datur dispensatio.

2° *Quando Romæ conceditur dispensatio*, requiritur eodem
empore veram esse causam; hodie vero Pontifex proprie
on concedit dispensationem, sed eam dat in forma, ut
iunt, *commissoria*, id est, committit Episcopo seu Officiali
facultatem dispensandi; et ideo S. Pontifex nihil aliud exigit
in suis litteris, quam ut causæ veræ sint, quando delegatus
dispensat. Ita communiter auctores.

3° *Quando dispensatio conceditur* a delegato seu *fulminatur* [1], requiritur ut tunc vera sit causa, alioquin dispen-
satio concederetur sine causa.

4° *Quando dispensatio executioni demandatur* per celebra-

1. Verba *fulminare, fulminatio,* primum adhibita fuerunt ad significandam publicationem excommunicationis, quæ haud secus ac ipsum fulgur reformidanda erat. Postea vero eadem verba significarunt publicationem omnium Rescriptorum Curiæ Romanæ.

tionem Matrimonii, non requiritur tunc veram esse causam. Semel enim fulminata dispensatione, res omnino consummata est ex parte concedentis, et ideo cessare non potest dispensatio. Ita plerique auctores contra Sanch., Compans et quosdam alios; vide Tephany, n. 437.

Cæterum dispensatio, cum fiat per rescriptum gratiæ, non cessat per mortem dispensatoris, ex dictis in Tract. de Legibus, n. 114.

NUMERUS IV

De modo obtinendi dispensationes.

Dicemus 1° de tribunali ad quod recurrendem est; 2° de expensis et taxa solvendis; 3° de iis quæ in libello supplici exprimenda sunt.

PUNCTUM PRIMUM

De tribunali Romæ ad quod recurrendum est pro obtinendis dispensationibus.

276. — *Quæritur* 1° quotuplex sit Romæ tribunal pro concedendis dispensationibus, et in quibusnam impedimentis dispenset unumquodque?

Resp. Jam diximus n. 264, Congreg. S. *Officii* dispensare a vetito Ecclesiæ de matrimoniis catholicorum cum hæreticis; a cæteris autem canonicis impedimentis dispensare Pœnitentiariam et Datariam. Scilicet,

Pœnitentiaria dispensat in impedimentis *occultis*, quæ notitiam aliorum absque infamia, scandalo, aliisque incommodis manifestari non possunt; et quæ ideo *forum internum* solum spectant. Unde in impedimentis consanguinitatis aut affinitatis ex copula *licita*, sed etiam cognationis spiritualis, quantumcunque occulta sint, non dispensat. Pœnitentiaria ad primo contrahendum Matrimonium, licet ad revalidandum jam contractum dispenset.

In postulato, tacitis propriis sponsorum nominibus, ficta nomina apponuntur, v. g., Caius, Bertha; neque ullæ solvuntur expensæ, aut taxa, sed omnia gratis expediuntur in præfato tribunali.

In præsens tamen conceditur, ut adeatur Pœnitentiaria

n pro impedimentis notoriis, quando *concurrit vera orum paupertas per authenticam Ordinariorum attestaem comprobanda.* S. Pœnitentiaria non habet peculiarem nulam, qua dispensationes pro pauperibus expediat; et jus dispensationes *in forma pauperum* apellare lubeat, antum sensu ita appellari poterunt, quia in favorem uperum conceduntur.

)ataria dispensat in impedimentis *notoriis*, aut quæ in itiam aliorum absque infamia, scandalo aliisque incomodis manifestari possunt. Ibi vera dispensandorum nona, eorumque Diœcesis vel Diœceses exprimi debent, jue solvendæ sunt expensæ, et etiam, si agatur de conguinitate aut affinitate licita, solvenda est taxa pecuaria, quæ gallice dicitur *Componende*, cujus legitimitatem m expendimus, n. 271.

Aliquando taxa non exigitur etiam in Dataria, et tunc spensatio dicitur *in forma pauperum*, ut infra, n. 281, 282.

Tandem dispensatio a Dataria semper per Episcopum etenda est; a Pœnitentiaria autem peti potest immediate b ipso oratore aut ab alio ejus loci; sed facilius et utius mediante Episcopo, et tacito oratoris nomine posulatur.

277. — *Quæritur* 2° ad quodnam tribunal recurrendum sit, quando *duo* sunt impedimenta, quorum unum est *publicum*, alterum vero *occultum?*

Resp. Distinguendum est. Scilicet, vel illa impedimenta sunt omnino *disparata*, seu talis rationis, ut unum non augeatur ex altero, v. g., consanguinitas et machinatio : tunc recurrendum est ad Datariam pro notorio, et ad Pœnitentiariam pro occulto.

Si vero impedimenta *non sint disparata*, sed talis rationis, ut eorum conjunctio majorem afferat repugnantiam ad matrimonium contrahendum, et ideo difficiliorem reddat dispensationem ; v. g., si quis velit ducere consanguineam, cujus sororem turpiter cognovit : tunc petenda est dispensatio impedimenti notorii a Dataria, tacito altero : sed utrumque exprimendum est in supplicatione ad Pœniten-

tiariam pro occulto, ut hæc cognoscat totam dispen difficultatem.

In utroque casu tutius est primum recurrere ad Pœnitentiariam, quia alioquin, si dispensatio in Pœnit. denegaretur, frustra expensæ factæ fuissent in Datar.

278. — *Quæritur* 3° quid requiratur ut impedim. censeatur *occultum?*

Resp. Si in uno loco sint plus quam decem perso majori parti notum sit, non censetur occultum.

Si vero locus affluat, v. g., quinque *millibus* inco ex mente auctorum, dici potest occultum non esse, si quam decem aut duodecim innotescant. Si *impedime* sit in uno loco publicum, licet in loco ubi degun trahentes, occultum, illud exprimendum *est* : qu omissum fuerit, tutius est rescribere ad Pœnitentia Si crimen, ab initio publicum, fiat occultum, *aliqu* conceditur dispensatio, modo effluxerint decem ann Benedict. XIV. *Instit.* 86, n. 40, 44, 46, 47.

Si factum sit publicum, sed non agnoscatur ut crim sum, S. Pœnitentiaria dispensare potest. Si publicum crimen, sed vulgo ignoretur annexum impedimentum ut sit occultum *formaliter* seu uti impedimentum, hoc putatur occultum, juxta communem Doctorum sententi ex dictis n. 257, ad I.

279. — Hic subjiciemus duplicem formulam ad im landas dispensationes, unam pro dispensatione a *Pœnit* tiaria, aliam pro dispensatione a Dataria.

Epistolæ supplicatoriæ inscriptio a foris (*l'adresse*) fit Majorem Pœnitentiarium in hunc modum :

Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinali Ma Pœnitentiario.

Romam.

Intus autem his incipit verbis epistola :

Eminentissime et Reverendissime Domine,

Titus et Bertha consanguinei in secundo gradu, non spe fa lioris dispensationis, sed vesana libidine victi, rem simul hab

: Petrus vero Titii frater, Bertham ducere intendit, consti-illi dote, quam aliunde habere non posset juxta status sui :itionem; ambo supplicant SS. DD. Nostrum in Dataria :tolica, ut dignetur cum illis super dicto consanguinatis im-nento dispensare. Eminentiæ autem vestræ humiliter sup-at oratrix Bertha quatenus, specialem sibi gratiam fa-do, ut, non obstante prædicto affinitatis ex illicita copula :enientis impedimento penitus occulto, Matrimonium cum o Petro licite et valide contrahere possit, cum ipsa dispen-: dignetur.

ignetur Eminentia vestra responsum dirigere ad me infra iptum. Hic exprimendum est nomen et cognomen illius quem rescribendum est; nomen item oppidi vel civitatis quam aut per quam rescribendum et hæc quidem vulgari gua. Si autem in oratricis Berthæ loco nullus sit Confessa-is Doctor in Theologia, vel Jure canonico, addi deberet : *quia in oratricis loco nullus reperitur Confessarius in Theo-gia vel Jure canonico Doctor, dignetur Eminentia vestra pro-dere et disponere ut etiam alius possit exsequi,* nempe vel arochus, aut simplex Confesarius cui pœnitens suam ape-uit conscientiam, aut cui majorem haberet aperiendi duciam.

ALTERA FORMULA

Eminentissime et Reverendissime Cardinalis,

Puella quædam annos circiter quindecin nata, scienter et li-ere votum emisit castitatis perpetuo servandæ; nunc vero, 'onfessarii judicio qui jamdudum ipsius confessiones excipit, n certum salutis discrimen veniret, nisi nubet : quapropter upplicat humiliter et enixe, votum sibi commutari ad effectum :ontrahendi Matrimonium.

Dignetur Eminentia vestra, etc.

Notandum autem 1. nihil interesse quod latino vel gallico scribatur idiomate. 2. Supplicatio continere debet simplicem et nitidam facti expositionem, absque ullo dictionis et verborum apparatu, et præsertim debet sine ambagibus exprimere naturam dispensationis quæ petitur, et causas quibus moveri potest Romm. Potifex ad dispensationem concedendam. 3. Si unus duntaxat conjugum sit impedi-

menti occulti conscius, ille solus in singulari, ficto no[...] debet appellari.

PUNCTUM II

De expensis et taxa solvendis.

280. — *Quæritur* 1° quænam sint expensæ ab orat[...] solvendæ?

Resp. Ex triplici capite oriuntur hujusmodi ex[...] scilicet, ex transmissione epistolarum et rescriptoru[...] salario debito mandatario aut secretario, ex expe[...] dispensationis [1].

281. — *Quæritur* 2° quinam solvere debeant ex[...] aut etiam taxam?

Resp. Oratores *vere pauperes* solvere debent tantum[...] pensas ex transmissione epistolarum et rescriptoru[...] etiam ex salario debito mandatario apud Pœnitenti[...] et Datariam.

Qui non sunt vere pauperes, tenentur solvere non [...] expensas ex transmissione epistolarum *aut* rescripto[...] et ex salario debito mandatario apud Pœnitentiari[...] Datariam, aut secretario Ordinarii, sed *etiam* exp[...]

1. « L'official envoie à Rome une supplique et en reçoit un bref ou [...] crit : voilà une première dépense que doivent acquitter les suppliants. — [...] diocèse est obligé d'avoir à Rome un agent ou chargé d'affaires. Cet age[...] présenter chaque supplique au bureau, où la dispense doit être *expédiée*; [...] réclame en temps utile et acquitte sur le champ les droits d'expédition [...] bien que ce mandataire soit rémunéré, qu'il vive de son emploi; on lui [...] une certaine somme pour chaque dispense. — Enfin, il y a *les droits d'exp*[...] tion. Les dispenses occupent à Rome beaucoup de monde; il y a des frai[...] bureau considérables. Le traitement de tous ces employés, et tous ces fra[...] bureau seraient, pour la cour de Rome, une charge exorbitante, si toute[...] dispenses étaient accordées gratis. — Lorsque la dispense est accordée par l'Or[...] dinaire, les frais de bureau du secrétariat et le traitement du *secrétaire sont* [...] motifs suffisants pour autoriser l'Evêque à recevoir ce qui est fixé par le tarif. [...] est regrettable que ces tarifs ne soient pas partout les mêmes; chaque curé [...] s'en tenir à celui de son diocèse. » Caillaud, n. 68.

Le curé ou le vicaire ne doit jamais demander la dispense d'un empêchem[...] avant que les futurs époux aient remis entre ses mains la somme nécessaire p[...] les frais et la componende. S'il agit autrement, bien souvent ces frais et c[...] componende resteront à sa charge.

›ne expeditionis dispensationum a Dataria aut ab Ordi-
o concessarum; et insuper, si agatur de dispensatione
›r impedimentis *consanguinitatis* aut *affinitatis licitæ*,
.m (componende) sive gradui impedimenti sive fortunæ
.orum proportionatam, n. 271.
›uoad officialem Episcopi, cui committitur fulminatio
xecutio dispensationis a S. Sede concessa aut commissa,
njungitur abstinere ab omni spe muneris, præmii vel
›endii, etiam sponte oblati, pro subscriptione, sigillo aut
. qualibet de causa aut titulo, sub pœna excommunica-
›is latæ sententiæ, non obstante consuetudine etiam im-
morabili; atque, si agatur de dispensatione in *forma*
iperum, excommunicatio est S. Pontifici reservata, et
a dispensatio tunc per Officialem concedenda, nullius
›oris est ac momenti. Ita in Rescripto dispensationis, et
Congr. Conc., 20 jan. 1767, 28 jan. 1882. Vide Institut.
nonicicas, Tract. 2, n. 91, ad 6.
Quando autem Episcopus ipse vi consuetudinis, n. 256,
›7, aut vi Indulti personalis, uti Indulti 15 nov., n. 260,
ncedit dispensationem, non potest jure communi, ullam
›eciem taxæ, ullum vel minimum emolumentum recipere,
: Benedict. XIV Bulla *Venerabilis*, 17 jan. 1757, ex Brevi
i IX, febr. 1864; vide *Analecta*, mars 1875, col. 312;
iovine, t. 2, p. 106. Itaque 1, ex jure communi, Episco-
us pro dictis dispensationibus nullam taxam aut eleemo-
›nam exigere potest. 2. Vi Indulti 15 nov., n. 263, ad 6,
um dispensat in tertio aut quarto gradu consanguinitatis
ut affinitatis, imponere debet eleemosynam iis, qui non
unt vere pauperes, et pro quantitate eorum fortunæ, in
›ios usus erogandam; sed non constat quod Episcopus
›xigere possit ut illa eleemosyna ipsi tradatur, ut et ipse
n pios usus eam eroget. 3. Nec videtur prohibitum, quin
)fficialis diœcesanus, pro dispensationibus ab ipso vi con-
›uetudinis, aut Indulti 15 nov. concessis super impedimen-
is publicis, exigat, ad morem Datariæ, solutionem expen-
sarum pro expeditione litterarum et salario Cancellarii.
4. S. Pœnitentiariæ omnino gratis dispensat super impedi-
mentis occultis ex decreto Gregorii XIII; et ideo in similibus

casibus Officialis diœcesanus, ut videtur, nihil re...
potest.

In Gallia, Episcopi exigunt ut taxa seu eleem... quam imponunt vi Indulti 15 nov. ipsismet remitt... et ipsi eam in pios usus impendant, ex concessione Ep... pis Galliæ facta a Pio VII, in Brevi 28 febr. 1809.

282. — *Quæritur* 3° quinam sint vere pauperes ... ab expensis ratione expeditionis dispensationis et ... exempti?

Resp. Res non ita facile determinatur. Juxta mult... pauperes sunt qui jacent non solum in paupertat... etiam in miserabilitate, atque ex labore et industria vivunt. Sed hæc non sufficiunt, cum non desint qui ... divitias sibi comparant.

Ex declaratione data an. 1788 a Pio VI, illi repu... sunt vere Pauperes, quorum fortuna non excedit va... circiter 3,000 francorum; ii vero quorum fort... 10,000 francorum valorem non excedit, dicuntur *fere* ... peres, et taxæ subjiciuntur. At ratio habenda est mut... nis quæ in fictivo nummorum pretio, temporum *suc*... supervenit, ex quo fit ut hodie a Dataria habeantur ... vere pauperes illi, qui ultra valorem 15,000 franc... non possident. Vide Caillaud, n. 65 [1].

1. Præfata quæstio fuit proposita an. 1875 S. Congregationi Conc..., autequam responsum præberet, audire voluit S. Pœnitentiariam ac ... Datariæ Apostolicæ.

Porro Magnus Pœnitentiarius, 17 jul. 1875, respondit S. Pœnitent... juxta decretum Benedict. XIV, 26 sept. 1754, uti *vere* pauperes reputa... quorum fortuna non excedit 1,600 fr., vel, pro regionibus citra montes, 1,7... atque ad Datariam remittere contrahentes, quando isti majorem fortunam pos...

Pro-Datarius autem, 28 jan. 1878, respondit Datariam uti *vere et* ab... pauperes habere eos qui nihil possident, sed ex suis labore et industria ... vivunt; uti vero pauperes, sed non absolute, oratores qui simul sumpti pos... fortunam infra 2,700 fr. nec supra 5,400. In hoc casu exigitur *ordinarie* ... taxa proportionata, quæ aliquando, pro circumstantiis, totaliter vel quoad partem oratoribus remittitur.

Quibus auditis, S. Congr. Conc. respondit, 15 jun. 1878, standum esse de... creto Benedict. XIV, 26 sept. 1754, juxta quod uti vere pauperes reputant... illi, quorum fortuna non excedit 1,600 fr.

ˋ æterum, in determinando oratorum fortunæ statu, at-
endum est præsertim ad bona quæ possident in *capitali*,
usquam ad oratorum reditus, ut ex praxi constat, con-
Carrière, 1129.

\d hujusmodi determinationem computanda sunt dos
tium, immobilia jam ab ipsis possessa, mobilia quorum
cipiunt reditus, fructus laboris et industriæ suæ, qui
ra expensas in sustentationem necessario faciendas su-
rest, hæreditas exspectata ex parte patris, matris, avi,
iæ, circiter pro dimidia tantum valoris realis sumpta, sed
am probabilius ipsæ pensiones sponsorum.

In omni casu, ex oratorum fortuna deduci debent debita,
era quæcunque quibus gravatur, ut in computatione non
censeantur nisi bona vere libera et utilia.

Ne detur locus anxietatibus circa valorem dispensationis,
tius est verum fortunæ statum exponere : quod clare et
men sine scrupulo præstandum est.

Quæ autem expensæ et taxa solvi debent vel ab utroque
onso, vel ab uno tantum, pro diversis circumstantiis.
ilicet, si communi consensu postuletur dispensatio, nisi
sit specialis conventio, ab utroque æqualiter solvendæ
unt. Qui vim intulit consanguineæ, et ideo eam ducere
ogitur, debet solus ferre expensas. Qui injuste resilit a
atrimonio, vel alteri causam resiliendi culpabiliter præ-
et, solus expensas solvere debet.

283. — *Quæritur* 4° an valeat dispensatio concessa in
orma pauperum, si oratores non sint vere pauperes?

Resp. Distinguendum est : 1. vel agitur de dispensatione
n forma pauperum vi Indulti concessa ab ipso Episcopo :
et tunc invalide ab impedimentis consanguinitatis aut affi-
nitatis licitæ dispensantur ii, qui falso paupertatem allega-
runt in hoc casu, ex decis. S. Congr. Conc., 36 apr. 1873.
Facultas enim delegata ad *vere pauperes*, intra limites dele-
gationis contineri debet.

2. Vel agitur de dispensatione super iisdem impedimen-
tis in favorem pauperum concessa a S. Pœnitentiaria,
n. 276: et tunc res controvertitur inter Canonistas; imo

S. Congr. Conc. ea de re interrogata ab ipsa S. Pœnit... ria, controversiam dirimere noluit, sed rescripsit ... 1873 : *Nihil innovandum*. Paupertas enim nunc est ... principalis et finalis, v. g., ordinarie in casibus m... indotatæ, viduæ, pauperis et liberis gravatæ, peri... puellæ honestas ob paupertatem naufragium patiatur quando etiam in casu augustiæ loci, aut ætatis puellæ, tunc, si desit vera paupertas, deficit causa sufficiens... que invalida est dispensatio; nunc vero paupertas est ... tantum impulsiva, cujus ratione facilius solummodo c... ditur dispensatio, v. g., aliquando in casibus jam rec... tis, et sæpe in casibus dotis incompetentis, augustiæ ... ætatis puellæ : et tunc, si desit vera paupertas, nihilomi... valet dispensatio. Quibus attentis S. Congr. Conc., no... luit, nec facile potuisset controversiam dirimere. Pr... si, dispensatione nondum fulminata, vel jam inito m... monio, Ordinario constet quod contrahentes non sint ... pauperes, recurrendum est ad dispensationem *perinde* ... *lere*, ut concludit ipse Canonista in sua relation... S. Congr. Conc., 28 jul. 1873.

3. Vel agitur de dispensatione super iisdem impedim... tis in *forma pauperum* concessa a Dataria, n. 276, et ... iterum distinguendum est. Scilicet, invalida est dispens... si a Dataria, ut plurimum fit, concedatur sub hac claus... *Dummodo exponentes præter supra dicta bona nihil* ... *habeant, neque seperare possint*. In his enim exprimitur c... ditio sine qua non, uti aliunde declaravit S. Pœnitentiar... mense aug. 1846. Quando autem a Dataria non appon... hujusmodi clausula, dubium est an sit valida dispens... licet opinio pro validitate probabilior videatur, et ideo r... currendum est ad dispensationem *perinde valere*; et re... talis est praxis, quæ apud Datariam obtinet. Attamen Ca... laud, n. 275, refert decis. S. Pœnitentiariæ, 3 dec. 18... ex qua in præfato casu, si, jam inito matrimonio, const... contrahentes non esse vere pauperes, validum est matrim... nium; et oratores tenentur tantum solvere jura Datari... Vide *Analecta*, 1875, col. 320, 323; *Acta S. Sedis*, t. ... p. 297.

PUNCTUM III

De iis quæ in libello supplici exprimenda sunt.

84. — *Quæritur* quænam in libello supplici exprimenda ., ut dispensatio sit valida?

Resp. Dispensationes sunt invalidæ vel propter *veritatis pressionem*, et tunc dicuntur *subreptitiæ;* vel ob *allegaem falsi*, et tunc dicuntur *obreptitiæ*. Cum tamen non ivis reticentia veri, aut expressione falsi dispensatio itetur, attendendum est ad sequentes regulas, quæ verıtur circa requisita vel ex parte formæ postulationis, vel parte motivi seu causæ, vel ex parte objecti.

285. — I. Ex parte *formæ* postulationis, — *Suppressio ·itatis quam jus, vel stylus Curiæ Romanæ, vel consuetudo dispensationis impetrationem exprimi jubet, reddit dispen'ionem subreptitiam et invalidam, etiam quando, eadem ve'ate expressa, nihilominus gratia fuisset concessa.* Tunc im S. Pontifex non aliter dispensare intendit.

Unde 1°, si *agatur de dispensatione super Matrimonio jam valide inito,* exponendum est 1. an partes, vel ex eis una, ına vel mala fide contraxerint, nempe, an cum notitia ıpedimenti Matrimonium inierint; 2. an ex spe facilius ›tinendæ dispensationis; 3. an Matrimonium consumma'rint, et quidem a tempore quo saltem una pars notitiam abuit impedimenti; 4. an clandestine aut in facie Ecclesiæ; . an post bannorum denuntiationem, aut his omissis con:axerint. Quare, si civiliter tantum contraxerint, spe fa. ilius obtinendi dispensationem, illud exprimendum est, t hæc simul intentio; item, si civiliter contraxerint absque ıtentione contrahendi coram Ecclesia, quia in hoc casu dest Matrimonium clandestinum. Patet enim facilius, aut lifficilius, pro variis illis circumstantiis, concedi debere lispensationem.

2° Si *copulam consummatam*, n. 208, ad 4, habuerint ıupturi « cum impedimento consanguinitatis, aut affinita·is, aut cognationis spiritualis vel legalis, aut honestatis ›ublicæ, subreptitia est ac *nullius valoris* dispensatio super

illis impedimentis, quæ sive directe ab Apostolica sive ex pontificia delegatione conceditur, si sponsi illius dispensationis *executionem*, sive *ante*, sive *post impetrationem*, illius incestus reatum patraverint, et interrogati, vel etiam non interrogati, malitiose vel ignoranter, reticuerint illam copulam incestuosam; sive publice hæc nota sit, sive occulta, et reticuerint intentione qua eam copulam inierunt, ut dispensationem facilius sequerentur; atque sufficit ut unus ex sponsis delictum hoc suum, vel nefariam intentionem modo dictam expresserit. » Ita Benedict. XIV, Constit. *Pastor Bonus*; S. Officium, feria IV, 8 aug. 1866, S. Pœnitent., 20 jul. 18.. S. Officium, 1 febr. 1882; vide *Analecta*, 1882, col. ..

Quando super illis impedimentis dispensatio conceditur a Dataria, nulla præscribitur eleemosyna ratione incestus; si vero concedatur a S. Pœnitentiaria aut Episcopo vi Indulti 15 nov. n. 263 ad 6, præscribitur pœnitentia et eleemosyna; Tephany, n. 367.

In petenda dispensatione super impedimento affinitatis primi vel secundi gradus lineæ collateralis, si impedimentum non solum ex matrimonio consummato cum defuncto conjuge oratoris vel oratricis, sed etiam ex copula fornicaria cum eodem defuncto ante initum cum ipso matrimonium patrata oriatur, necesse non est ut istius illicitæ copulæ mentio fiat, ex dec. S. Pœnit., 10 dec. 1874.

286. — II. Ex parte *causæ* seu motivi postulationis. Si subreptio vel obreptio in causis concessionis ex dolo venerit, sive sit ex causa motiva, sive in causa tantum impulsiva, rescriptum est nullum, quia mendax precator debet carere impetratis. Ita Innoc. III, c. 20, tit. 3, lib. 1 Decret.; Card. Soglia, *Instit. juris eccl.*, lib. 1, c. 2, § 3; de Angelis, lib. 1, tit. 3, n. 5; vide Institut. canonicas, Tract. 3, n. ..

Attamen valida est dispensatio, si subreptio vel obreptio, etiam ex dolo advenerit ex causa tantum impulsiva, juxta S. Ligor., lib. 1, n. 185, card. Gousset, Theol. mor., t. 1, 203, Compans, t. 1, n. 73, Brillaud, p. 216, et alii; vide Thephany, n. 467.

. Si vero obreptio vel subreptio sit ex simplicitate vel ›rantia, ac versetur circa causam tantum *impulsivam*, n alia simul profertur causa per se motiva seu *finalis*, dum est rescriptum.

›i obreptio vel subreptio versetur circa causam motin, invalidum est Rescriptum, quia tunc Rescriptum non ιceditur nisi sub hac conditione : *Si res ita est;* vel *si ces veritate nitantur.*

Si plures allegentur causæ motivæ, quarum una dun:at est vera, validum est Rescriptum, ex regula juris : *'le non debet per inutile vitiari.*

Si Rescriptum concedatur ob plures causas singulatim pulsivas tantum, et una ex illis causis sit falsa, invaliım est Rescriptum, n. 272-74.

In dubio an circumstantia falso allegata aut omissa, fuet motiva aut tantum impulsiva, standum est pro validite actus, si res bona fide acta sit. Error in nomine pentis, ex quo iste remaneret incertus, invalidaret dispenιtionem, ut innuitur in Brevi PII VII, 18 jun. 1816; vide ephany, n. 388.

Clausula in Rescripto opposita : *ex certis rationalibus causs animum nostrum moventibus*, n. 271, vel *motu proprio*, el *ex certa scientia*, tollit vitium obreptionis aut subrepionis. modo falsa causa non exprimatur *in ipso Rescripto*, el in postulatione non taceatur inhabilitas personæ. Vide *nstitutiones canonicas*, Tract. 3, n. 18, 23 ; de Angelis, lib. I, tit. 3, n. 5.

287. — III. Ex parte *objecti* postulationis. — Suppressio reri aut expressio falsi *dispensationem subreptitiam vel obreptitiam reddit, quando facit ut Superior ignoret vinculum quod aufert, vel ejus qualitatem aut gravitatem, et similiter quantitatem aut qualitatem gratiæ, quam concedit.*

Ratio est, quia voluntas dispensantis non potest extendi ad id, quod ignorat ; ergo, si nesciat qualem et quantam gratiam concedit, concessio non est voluntaria, ac proinde est invalida. Vide Institut. canonicas, Tract. 2, n. 90, 91, Tract. 3, n. 24.

Hinc 1° expressio *unius* impedimenti *pro alio*, v. consanguinitatis pro affinitate, vel expressio impedi- *dubii* pro *certo*, reddit invalidam dispensationem, ignoratur vinculum quod auferri debet : imo in dispensationibus non valet argumentum a majori ad minus : si quis ex errore exprimat gradum consanguinitatis gradu affinitatis quæ est minus vinculum, non valere tenta dispensatio, juxta plures Doctores. Si tamen includatur in majori, tunc valet argumentum a majori minus : v. g., si exprimatur secundus pro tertio gradu sanguinitatis : quia tertius gradus includitur in secu contra vero non valet dispensatio, si exprimatur gr inferior pro superiore, v. g., tertius gradus pro secu

Hinc 2° exprimenda sunt *omnia* impedimenta *ejusdem speciei*, v. g., si consanguinitas sit duplex, vel nitas, item honestas publica, vel cognatio spiritualis, hæc impedimentorum multiplicitas difficiliorem red dispensationem, ad quam proinde graviores requiru causæ; ideoque subreptitia erit dispensatio, si non exp mantur illa impedimenta.

Attamen affinitas non est major vel minor ex plur commerciis carnalibus cum eadem persona, ideo nec non est exprimere multiplicatas copulas. Unde etiam cluditur quod, si ante dispensationem exsecutioni ma tam iteretur copula, tamen affinitas non augetur, nec Ep copus impeditur a dispensando : si autem, post sublatu affinitatis impedimentum per dispensationem ab Episc vel ejus Officiali exsecutioni mandatam, iteraretur copu jam nova exurgeret affinitas.

Hinc 3° qui obtinuit dispensationem de crimine conju cidii, et postea iterato crimine dispensationem petit, deb prioris meminisse, quia ex priore posterior redditur lon difficilior.

Cæterum, nihil refert quod subreptio vel obreptio fa sit ignoranter et per simplicitatem contrahentium, etiam absque ulla culpa, vel solum per Curiales; quia simplicitas et innocentia postulantium non possunt supplere defectum consensus in concedente.

Tandem dispensatio etiam a S. Pœnitentiaria aut Dataconcessa, esset invalida, si attingeret primum gradum sanguinitatis aut affinitatis, ex decis. Benedict. XIV, sept. 1755.

288. — *Quæritur* quisnam sit modus obtinendi dispenionem *ab Episcopo?*

Resp. 1° Si Episcopus dispenset virtute Indulti, necessaim est ut sequatur præcedentes regulas; quia S. Ponti non censetur concedere facultatem dispensandi, nisi eo odo quo ipse dispensare consuevit.

2° Si vero Episcopus dispenset jure ordinario aut iasi ordinario, ut supra, n. 256, 257, non astringitur quæ non exiguntur nisi stylo curiæ Romanæ; sed semr requiritur, ut ei exponantur natura impedimenti, cirmstantiæ quæ illud gravius reddunt, motiva obtinendi spensationem, etc.

Jam supra diximus, n. 258, de casu quo duo sponsi int diversæ diœcesis.

NUMERUS IV

De modo exequendi dispensationes.

289. — *Quæritur* 1° ad quem pertineat dispensationum xecutio?

Resp. Distinguendum est : vel dispensatio concessa est Pœnitentiaria, vel a Dataria. Si prius, rescriptorum executio generatim pertinet ad confessarium ab Ordinario approbatum, qui in foro pœnitentiæ sententiam ferre debet, his aut similibus verbis : *Auctoritate apostolica dispenso tecum super impedimentum* N, *quod incurristi, ut Matrimonium inire* (vel initum perficere) *valeas et legitimam reddo prolem susceptam* (vel suscipiendam), *in nomine Patris*, etc. Cæterum, nulla formula sub pœna nullitatis, imo nec sub præcepto præscribitur. Si confessarius prolem legitimare omisisset, hanc omissionem reparare posset; quia tunc causam sibi commissam et nondum absolutam continuaret.

Si posterius, id est, si dispensatio sit concessa a Data-

ria, ejus executio pertinet ad Officialem, sive Episcopum, sive Vicarium generalem, ad quem dirigitur rescriptum.

Si, ex errore, rescriptum dirigatur ad Officialem alterius diœcesis, nihilominus talis dispensatio executioni demandari potest ob Officiali partium, juxta auctores plerosque, Thephany, n. 390.

Si contrahentes sint e duabus diœcesibus, rescriptum dirigitur Officiali sponsæ; nec valide potest executioni mandari ab Officiali sponsi, ut multi contra paucos sentiunt, quia tunc Officialis sponsi, non est reipsa delegatus.

Communiter docent auctores Officialem posse alteri committere informationem causæ, non vero ipsam dispensationem, seu Brevis, ut aiunt, fulminationem, gallice l'entérinement.

Delegatus in fulminatione declarare debet se agere nomine legationis Apostolicæ.

290. — *Quæritur* 2° quid agere debeat delegatus, ut dispensationem executioni demandet?

Resp. 1. Delegatus per Rescriptum S. Sedis, *sub pœna nullitatis* actus, procedere nequit ante factam sibi *præsentationem litterarum delegationis*, licet ipse abunde sciat se constitutum esse delegatum. Si vero delegatio fiat ab Ordinario, valet quidem applicatio delegationis facta post hujus concessionem, et *ante acceptum responsum;* sed tunc imprudenter agit delegatus, nisi urgeant circumstantiæ, quæ dilationem minime patiantur.

2. Delegatus tenetur, sub pœna nullitatis actus, servare omnia quæ in Rescripto dispensationis injunguntur sub forma *substantiali*, id est, sub hæc clausula : *Non aliter*, vel, *si secus fiat*, *sit irritum*, aut alia simili.

3. Quoties in Rescripto exprimitur forma juris communis, tunc non irritatur actus, etiam prætermissa illa forma, si alias validus esset. Sic, v. g., si in Rescripto dispensationis dicatur : *præmissis bannorum proclamationibus*, valet dispensatio, licet non fiant proclamationes. Vide Institutiones canonicas, Tract. 2, n. 91, Tract. 3, n. 25.

Similiter, in Rescriptis S. Pœnitentiariæ apponitur clau-

ita : *audita prius ejus confessione sacramentali ;* sed non quiritur ut absolutio subsequatur.

4. Delegatus tenetur ad novam informationem faciendam, iando in Rescripto dicitur : *Mandamus quatenus... de emissis diligenter informes, si preces veritate niti repereris.* alem clausulam ordinarie adhibet Dataria.

Clausula autem quatenus *si ita est,* vel *si preces veritate itantur,* per se non requirit novam informationem, sed olummodo veritatem causæ postulationis. Si de veritate recum dubium superveniat, dispensatione jam concessa, tandum est pro validitate actus, donec contrarium certo robetur.

Delegatus tenetur laniare rescriptum Pœnitentiariæ; sed ispensationes concessæ per Datariam debent in regestis Officialitatis, vel in secretario Episcopatus accurate describi, ut de Matrimonii canonicitate constare possit. Pariter lebet Parochus, qui Matrimonium celebrat, hujus dispensationis mentionem facere in instrumento Matrimonii. Hæc amen et illa inscriptio sub pœna nullitatis non requiruntur.

NUMERUS V

De cessatione impedimentorum in casu ignorantiæ, necessitatis, dubii, seu alia via ac dispensatione.

Patet quædam impedimenta, v. g., amentiæ, ætatis, impotentiæ, cessare posse sola rerum mutatione.

291. — *Quæritur* 1° autem an cesset impedimentum, eo ipso quod est invincibiliter *ignoratum?*

Resp. Negative. Lex enim irritans etiam invincibiliter ignorata, nihilominus obligat, ex dictis in Tract. *de Legibus,* n. 65; alioquin partes semper objicere possint ignorantiam impedimenti, et ita lex inutilis evaderet. Ita omnes.

Non consentiunt autem auctores an idem dicendum sit de impedimentis, quæ habent rationem pœnæ, ut impedimentum raptus, criminis. Alii putant talia non incurri, quando ignorantur, quia ignorantia excusat a pœna. Alii autem communius affirmant hujusmodi impedimenta, licet ignorata, incurri, quia primario et principaliter rationem

habent vinculi, et secundario tantum rationem pœnæ. De Angelis, lib. 4, tit. 7, n. 5.

292. — *Quæritur* 2° an gravis necessitas tollat dirim. impedimentum?

Resp. Gravis necessitas tollit impedimentum clandestinitatis ob specialem hujusce impedimenti naturam, ut dictum est, n. 246.

Quoad autem alia impedimenta ecclesiastica, res non omnino constat. Esto scilicet, quod sponsi jam sint in ecclesia ad contrahendum, et ex eorum confessione impedimentum adesse deprehendat Parochus. Porro in hoc casu nuptiæ differri nequeant sine periculo infamiæ, scandali aut aliis gravissimis incommodis, atque pœnitens versetur in impedimenti ignorantia invincibili, omittenda est monitio, et permittenda Matrimonii celebratio, donec dispensatio obtineatur; vide n. 257, ad I.

Si vero pœnitens sit in ignorantia vincibili, aut si aperte cognoscat impedimentum, nec sine infamia aut scandalo differri possit Matrimonium, nec statim obtineri possit dispensatio ab Episcopo, tunc in varias sententias abeunt auctores. Alii putant in hoc casu Confessarium aut Parochum posse declarare legem Ecclesiæ de impedimentis non obligare in tantis angustiis, et ad Matrimonii celebrationem procedere, sed quamprimum, saltem ad cautelam, dispensationem esse postulandam. Ita Pignatellus, Roncaglia, S. Ligor., lib. 6, n. 613.

Alii vero satis communiter sentiunt in illo etiam casu stare impedimentum, atque invalidum fore Matrimonium. Ita Sanchez, Heislinger, Kugler, Collet, Carrière, n. 620. Leges enim irritantes directe feruntur in bonum publicum, et ideo obligant etiam cum gravi incommodo alicujus privati; alioquin facile inutiles redderentur. Vide Tract. *de Legibus*, n. 65.

Nihilominus hujusce opinionis auctores putant eum, qui tale Matrimonium init ad avertendum grave malum, non peccare, si vere et ex animo consentiat; et peccare tantum venialiter, si non nisi ficte consentiat. At, juxta Carrière,

622, eo modo contrahens excusari nequit a peccato vi, quia gravis irreverentia infertur sacramento, cujus na scienter profertur vel simulatur super materiam indam.

293. — *Quæritur* 3° utrum possit Matrimonium iniri n impedimento *dubio* aut *probabili?*

Resp. Duo hic diversa quæruntur : 1. utrum impedimenn revera *cesset* in dubio, sive juris, sive facti ; 2. utrum at in illo dubio contrahere, non obstante periculo Manonium nullum ineundi.

Porro jam diximus n. 257 ad 4, juxta probabilistas cese impedimentum canonicum si sit dubium quoad jus t quoad factum, et ideo in hoc casu licitum esse sacrantum; et nihilominus, juxta omnes, saltem ad cauten, postulandam esse dispensationem.

§ V
De revalidatione Matrimonii.

Dicemus 1° de ratione agendi ex parte Parochi vel Conssarii erga eos, quos noverit invalide Matrimonium conaxisse; 2° de modo redintegrandi Matrimonium invalide ntractum; 3° de modo quo sese gerere debeant conjuges, iando, post initum Matrimonium, detegitur vel superveit impedimentum.

NUMERUS PRIMUS
De ratione agendi ex parte Parochi vel Confessarii erga eos, quos noverit invalide Matrimonium contraxisse.

294. — *Quæritur* quomodo sese gerere debeat Parochus ut confessarius erga eos, quos noverit invalide Matrimonium contraxisse?

Resp. 1° Quacunque via Parochus vel Confessarius didierit partes invalide contraxisse, rei veritatem explorare lebet, et deinceps Episcopum aut viros graves consulere, si possit, illæso semper Confessionis sigillo. Si vero consuere nequeat, expendat an impedimentum dirimens sit publicum, an vero occultum.

2° Nulla est difficultas ubi impedimentum est publ... tunc enim non solum separari debent quoad torum, ... tet, sed etiam quoad habitationem, ad vitandum sc... lum, donec dispensationem obtinuerint et Matrim... redintegraverint. Si agatur de pauperibus, aliquan... possibilis est separatio quoad habitationem, etiam al... pus, et in hoc casu alio modo providendum est ut ... scandalum.

Sed *quid*, ubi impedimentum est occultum? Mul... opus est distinctione. Vel enim impedimentum est ... tum duabus partibus, vel ipsis est cognitum et occ... extraneis, vel uni duntaxat parti cognitum.

3° *Ubi impedimentum dirimens incognitum est partibus, et nullum ex monitione prævidetur incommodum, ... tur sive Parochus sive Confessarius illas monere; si vero ... incommodum prævideatur, eas admonere non debet.*

Ratio 1ᵃ partis est, quod sive Parochus sive Confess... tenentur suum parochianum aut pœnitentem a malo et... materiali avertere, cum id sine gravi incommodo fieri ... test. Caveat tamen Confessarius ne partibus præscrib... habitatione separentur, ob scandalum inde enasciturum; sed illas moneat ut caste vivant, sicut frater et soror, ... nec dispensationem obtinuerint et Matrimonium redi... graverint.

Ratio 2ᵃ partis est, quod nemo tenetur ad actum inu... lem et nocivum : porro monitio in casu foret inutili... noxia; inutilis quidem, supponimus enim partes moniti... non esse obsecuturas; noxia vero, sive quia pericul... esset ne ex monitione sequerentur scandala, vel infa... conjugum aut prolis, etc.; sive quia fornicatio quæ ha... nus erat tantum materialis, post monitionem fieret form... lis. Supponit hæc decisio conjuges putatitios laborare *ig... rantia invincibili;* si enim illorum ignorantia vincibilis es... admonendi essent, juxta principia stabilita in Tract. *Act. Human.*, n. 110, 118.

4° *Cum impedimentum partibus est cognitum, sed extra... neis occultum, partes moneri debent ut dispensationem po... lent, et interea debent quoad torum separari, non tamen qu...*

bitationem, ob scandalum inde oriturum. Attamen, si ex nmuni habitatione immineret fornicationis periculum, separatio fieri posset sub aliquo prætextu, procul dubio ienda esset.

Observabis quod in libello supplici pro obtinenda disnsatione impedimenti, conjuges putatitil explicare debent *scientes* vel *ignorantes* impedimentum, nuptias contraxent ac Matrimonio usi fuerint. Et si impedimentum prori nequeat, licet partibus cognitum, satis erit ad sacram enitentiariam recurrere.

5° *Quando impedimenti una tantum pars est conscia, hæc teri revelare non debet crimen quod huic impedimento lom dedit,* quia inde gravia orirentur mala; *sed impedienti consciam monere debet Parochus aut Confessarius ut a etitione et redditione debiti abstineat, donec, obtenta dispenitione, Matrimonium fuerit redintegratum;* idque, etiam um gravi periculo, quia fornicatio de se mala est. Si vero es ageretur cum parte ignorante impedimentum cujus alera conscia est, eædem regulæ servari deberent ac in casu uo utraque pars impedimentum ignorat.

Tandem accurate attendat confessarius, aut Parochus, itrum jam antea non obtenta fuerit dispensatio in foro onscientiæ, aut peracta revalidatio.

Ex his colliges quanta prudentia et cautione Confessarius vel Parochus sese gerere debeat erga eos, quos noverit aliquo obstringi dirimente impedimento. Quantum ad cætera quæ ea de re hic possent desiderari, consule Tract. *de Pœnitentia,* n. 353 et seq.

NUMERUS II

De modo revalidandi Matrimonium invalide contractum.

Quadruplici modo fieri potest matrimonii invalidi redintegratio, scilicet. 1° vel per renovationem consensus coram parocho et testibus; 2° vel cum sola renovatione consensus; 3° vel per renovationem consensus cum simplici dispensatione; 4° vel sine renovatione consensus cum dispensatione in radice.

I. — *De revalidatione matrimonii per renovationem* [illegible] *coram Parocho et testibus.*

295. — *Quæritur* an ad revalidationem Matrimoni[illegible] vanda sit forma a Conc. Trid. præscripta per præse[illegible] Parochi et testium?

Resp. Distinguendum est. Scilicet, 1. si forma no[illegible] fuit servata, necessario contrahendum est coram Pa[illegible] et testibus, nisi dispenset S. Pontifex. Constat ex d[illegible] n. 231.

Si vero una pars renuat sistere coram Parocho et te[illegible] bus, etiam, cum debita prudentia et charitate de le[illegible] clesiæ fuerit instructa; tunc satagendum est ut spec[illegible] procuratorem constituat, qui ejus nomine Matrimoniu[illegible] more contrahat; aut saltem expresso consensu de pra[illegible] per epistolam directam proprio Parocho aut altari S[illegible] doti licentiam habenti, Matrimonium renovetur; vel d[illegible] que recurratur ad dispensationem *in radice.*

2. Si forma a Conc. Trid. sancita jam *fuit observa*[illegible] simul Matrimonium sic celebratum sit invalidum pr[illegible] aliquod impedimentum *publicum*, aut talis naturæ q[illegible] possit probari in foro externo, utraque pars iterare de[illegible] consensum coram parocho et testibus; alioquin Eccle[illegible] non constaret de Matrimonii validitate; imo probari p[illegible] illud esse invalidum, ex publico impedimento dirimen[illegible] et ita requiritur in omnibus Datariæ rescriptis. Vide[illegible] 188, 221.

3. Tandem si Matrimonium jam coram Parocho et te[illegible] bus celebratum, fuerit irritum ob impedimentum *oc*[illegible] *tum*, necessarium non est ut in facie Ecclesiæ consen[illegible] renovetur; tum quia, eo in casu, jam contrahentes fe[illegible] runt satis Decreto de vitanda clandestinitate; tum quia [illegible] decrevit sacra Pœnitentiaria, S. Pii Pontificis V auctorit[illegible] et tenet in praxi S. Congregatio Concilii. Monendi tam[illegible] sunt conjuges ut in statu gratiæ consensum clam renove[illegible] ne gratia sacramentali defraudentur.

— *De revalidatione matrimonii per solam renovationem consensus seu absque dispensatione.*

96. — Quæstio est de matrimonio invalido ob defectum sensus ex utraque parte, vel ex una tantum parte. 'orro certum est consensum non posse suppleri per ul- ı dispensationem; et ideo consensus ab utroque con- hente exterius renovandus est, si ex utroque parte de- rit.

Si vero defuerit tantum ex una parte, multo tutius , et *in praxi tenendum*, ut ab utroque consensus reno- ur, cum id absque gravi incommodo fieri potest.

An autem illa renovatio consensus etiam ex parte illius i rite consentit, essentialiter requiratur, affirmant non uci, inter quos Pontius, Schmalzgrueber, Dens. Negant ro multo plures, inter quos S. Thomas, S. Bonaventura, Antoninus, Sanchez, Kugler, Salmant., Habert, Billuart, Ligor., Collet, Carrière; et hæc sententia admitti potest, ltem in casu necessitatis. Namque 1. consensus alterius ırtis fuit ab initio in se validus, et invalidus tantum ıoad effectum, et ideo perseverat donec fuerit retracta- ıs : atqui pars illa nunquam vere consensum retractavit, ι hypothesi; ergo perseverat ejus consensus; ac proinde, ım ponitur alterius consensus, omnino convalescit Matri- ıonium. Hæc conclusio melius congruit praxi Ecclesiæ ırca dispensationes *in radice*, n. 299. Plures afferuntur ecisiones in utramque partem allegatæ, quæ non respi- ıunt quæstionem præsentem. Imo nonnulli asserunt con- ensum dari modo irrevocabili, nec valide retractari posse. 'ide Carriere, n. 1396, 1436, 1447.

Addunt aliqui sufficere ut consensus renovetur occulte et nterne; negant vero alii. Sed eo ipso quod conjux compar- em ut conjugem tractat, sufficienter suum manifestat con- ensum.

Nec obstat quod altera pars nollet in consensu perseve- are *si sciret* compartem ficte consensisse; quia dissensus sub conditione non revocat priorem consensum absolutum, et aliud est *nolo*, aliud *nollem*.

III. — *De revalidatione Matrimonii per renovationem cons... cum simplici dispensatione ab impedimento.*

297. — Si impedimentum sit juris **naturalis** aut di... omnino necessarium est ut, eo cessante, sicuti conti... potest, v. g., in impedimento ligaminis, consensus re... vetur eodem prorsus modo ac si nunquam præstitu... set; quia prior consensus fuit *absolute* invalidus : hi... quis alteram, priori vivente, duxit conjugem, non p... etiam ista mortua, in Matrimonii societate permanere... secunda, nisi uterque consensum renovet. Nec in ho... locus est concedendæ dispensationi *in radice*. Sic Be... dict. XIV, de Synodo., lib. 13, cap. 21, p. 7.

Si autem impedimentum sit juris **ecclesiastici**, reva... tur Matrimonium vel per dispensationem **simplicem** e... novationem consensus, vel per dispensationem in r... absque consensus renovatione : de priori modo hic ag... Unde

298. — *Quæritur* quid sit dispensatio *simplex*, et ... modo renovandus sit consensus, obtenta illa dispensati...

Resp. Simplex impedimenti dispensatio ea est, quæ ... sanat quidem vitium quod præcessit, sed partes reddit ... lummodo habiles ad consentiendum in posterum. S... proinde hujusmodi dispensationis effectus est, ut jam ... lide iniri possit Matrimonium per consensus renovatione... sed prorsus nulli remanent effectus Matrimonii antea ... valide initi.

Itaque, obtenta illa dispensatione, 1. uterque conjux te... netur consensum renovare, si uterque sit conscius imp... menti. Si una tantum pars sit impedimenti conscia, ... alteri absque gravi incommodo illud manifestare pos... debet manifestare, juxta omnes; id enim est multo tuti...

2. Si vero una tantum pars impedimentum cognover... et alteri absque gravi incommodo illud non possit ma... festari, uti plerumque evenit, non consentiunt auctores... an sufficiat quod ille tantum, qui cognoscit impedimentum renovet consensum. Alii affirmant, eo quod consensus par...

quæ ignorat impedimentum, licet suo effectu caruerit, ten fuit in se validus, et ideo, sublato impedimento, im effectum producit.

Alii vero communiter negant, tum quia consensus partis ;e impedimenti non est conscia, eodem modo quo prius tus est, perseverat, ac proinde invalide; tum quia Pœnitentiaria apponit semper in suis rescriptis hanc .usulam : *altera parte de nullitate prioris consensus certio-ta*. Quæ clausula apponitur pro qualicumque impedi-nto occulto, non distinguendo an unam tantum partem iciat, v. g.. disparitas cultus, ordo, an utramque, v. g., finitas.

Hinc non solum requiritur renovatio consensus utrius-ue conjugis, sed etiam hæc renovatio prærequirit cogni-onem nullitatis Matrimonii, ex communiori sententia. Qui periti sunt moris et instituti S. Pœnitentariæ, jam ro certo tenent ad confirmandum Matrimonium requiri ovum consensum, et simul ignaro conjugi detegendum npedimentum. » Ita Benedict. XIV, *Instit.* 87, n. 71, 'roinde, quando impedimentum alteri parti absque gravi ncommodo manifestari nequit, vix ac ne vix quidem, me-lium aliud superest quam dispensatio *in radice*.

V. — *De revalidatione consensus absque renovatione consensus cum dispensatione in radice*

Dicemus de notione dispensationis in radice, de potes-tate eam concedendi, de ejus conditionibus.

299. — *Quæritur* 1° quid sit dispensatio *in radice?*

Resp. Dispensatio in radice ea est quæ ita tollit impedi-mentum, ut, absque renovatione consensus, removeantur illius impedimenti effectus ab ipso tempore Matrimonii.

Videlicet, vi impedimenti, consensus mutuus fuit inva-lidus; ex illa invaliditate orta est nullitas Matrimonii; et ex hac nullitate secuta est illegitimitas filiorum. Porro dis-pensatio *in radice* 1. vere *sanat vitium* quo invalidus effi-ciebatur consensus mutuus; atque, ex fictione juris, con-sensus coram Ecclesia eodem modo se habet, ac si nunquam

fuisset invalidus; 2. consequenter vere convalidat M... monium a tempore quo fulminatur, et, ex fictione jur... tempore ipsius Matrimonii; 3. proinde legitimitate... ordine spirituali (quatenus facit filios idoneos ad benefi... ad sacros ordines, ad ecclesiastica officia) vere confert ... post dispensationis fulminationem conceptis, et, ex fict... juris, iis etiam qui ab initio Matrimonii usque ad dis... sationem concepti fuere.

Hæc legitimatio vocatur a Canonistis *plenissima*, ut ... tinguatur ab illa quæ fit vel per rescriptum superioris ... dicitur *plena*, vel per subsequens Matrimonium, et dici... *plenior*. Vide Tract. *de Ordine*, n. 75, 76.

Unde dispensatio simplex, n. 298, a dispensatione *in ra... dice* differt ex duplici parte, nimirum : 1. prior effect... suum non habet sine renovatione consensus; posterior ... tem effectum suum producit absque illa renovatio... 2. prior effectum suum habet tantum a tempore quo co... ceditur, seu *ex nunc;* posterior vero effectum suum p... ducit a tempore Matrimonii, seu *ex tunc;* et hinc dici... dispensatio *in radice*, propterea quod destruat effect... impedimenti *a radice* seu a principio Matrimonii : videlic... dispensatio *in radice* non facit, ut matrimonium nulli... contractum, non ita contractum fuerit, sed solummo... ipsam matrimonii nullitatem directe tollit *ex nunc*, et ... directe nullitatis effectus *ex tunc*.

Aliquando per concessionem dispensationis *in rad...* unus tantum ex hujus effectibus intenditur, quia cæte... non sunt necessarii.

Sed etiam fieri potest ut, ad legitimationem plenissimam filiorum, concedatur dispensatio *in radice*, licet uterque conjux sit ad renovandum consensum paratus. Imo, ad illam legitimationem obtinendam, conceditur dispensatio *in radice* etiam altero conjuge mortuo.

300. — *Quæritur* 2° an Ecclesia habeat potestatem con... cedendi dispensationem *in radice?*

Resp. affirmative. Constat 1. *praxi* Ecclesiæ, quæ de facto multas concedit hujusmodi dispensationes.

2. *Ratione.* Juxta omnes Canonistas et Jurisperitos, ıtractus sub conditione suspensiva initus, adveniente ıditione, transit in absolutum absque renovatione conısus, atque habet effectum retroactivum seu censetur ab tio valide et absolute exstitisse, ut dictum est in Tract. *Contract.*, n. 87 : atqui Matrimonium initum cum impenento ecclesiastico, est contractus sub hac conditione spensiva initus : *Matrimonium contrahimus, si impedintum penitus tollatur ab Ecclesia*, n. 171 ; ergo, ista adniente conditione, eo ipso, absque renovatione consensus, ntractus transit in absolutum, adeo ut censeatur ab initio lide et absolute exstitisse.

Attamen Episcopus qui, ex Indulto particulari, potest de ıpedimentis dirimentibus dispensare, non eo ipso gaudet cultate dispensandi *in radice*, quia hæc dispensatio majoım requirit potestatem. Constat aliunde ex praxi Ecclesiæ, ıæ ad hoc semper dat specialem facultatem, n. 270.

301. — *Quæritur* 3° quænam sint conditiones requisitæ d concessionem dispensationis *in radice?*

Resp. Tres sunt conditiones requisitæ ad concessionem ispensationis *in radice*, quibus non impletis invalida est ispensatio, apposita tamen exceptione pro tertia condiione, ut statim dicemus. Videlicet,

1° Requiritur ut conjunctio conjugum *extrinsecam speiem habuerit justi Matrimonii*, neque ideo fuerit manifeste ornicaria ; alioquin non adesset verus consensus, nec conequentur radix Matrimonii. Ita Benedict. XIV, Constit. *Etsi Matrimonialis.*

Unde 1., si duo contrahentes, quando Matrimonium nierunt, cognoverint impedimentum, et existimaverint non posse valide contrahere, eo ipso defuit verus consensus, nec ideo locus est dispensationi *in radice*. Si vero, posita impedimenti notitia, nihilominus voluerint verum efficere Matrimonium, tunc positus est verus consensus, ac proinde locus esse potest dispensationi *in radice*. Tandem, si duo conjuges, quando inierunt Matrimonium, ignoraverint impedimentum et invaliditatem Matrimonii, sed postea

utrumque cognoverint, nihilominus locus esse potest dispensationi *in radice*, ex Benedict. XIV, *Quæst.* 174.

2. Si una tantum pars cognoverit impedimentum et invaliditatem Matrimonii, quando initum est Matrimonium tunc defuit consensus ex illa parte, quæ ideo renovare debet consensum ac proinde non datur locus dispensationi *in radice*. n. 298.

3. Si agatur de Matrimonio mere civili, hoc convalidari potest per dispensationem *in radice*, quotiescunque sic nupti vère Matrimonium contrahere voluerunt, quia tunc positus fuit verus consensus.

2° Requiritur ut *consensus utriusque conjugis perseveraverit*. Quidam dicunt consensum esse irrevocabilem, et ideo dispensationem *in radice* posse concedi, etiamsi consensus positive retractatus fuisset, quia hujusmodi retractatio nullum effectum sortiri potest, n. 296; vide Carrière, n. 1447. Quidquid sit, si rescriptum præscribat ut constet de perseverantia consensus, et media præscribat quibus id constare possit, hæc profecto adhibenda sunt. Revera sæpe illud exigitur et hoc præscribitur in rescripto. Cæterum haud multum timendum est ne locum habuerit hæc revocatio præsertim quia non sufficit revocatio interpretativa.

3° Requiritur ut adsit *urgens et gravissima causa*, ex Benedict. XIV, *de Synod.* lib. 13, c. 21. Cujusmodi causa in quartuor casibus præcipue haberi potest ; nempe. 1. quando una pars ad renovationem consensus adduci nequit, et nihilominus consensum de præsenti exhibet remanendi in Matrimonio : ita Card. Caprara ; 2. quando uni tantum parti notum est impedimentum, quod sine gravibus incommodis alteri parti manifestari nequit ; 3. quando urgens adest ratio non monendi conjuges de nullitate Matrimonii ; 4. quando adsunt legitimandi filii.

Quæ tamen tertia conditio de gravissima causa non requiritur ad validitatem dispensationis, si dispensatio concedatur a S. Pontifice ; secus, si concedatur ab Episcopo ex Indulto particulari.

Demum, qui facultatem dispensandi *in radice* obtinuit, satagere debet ut sponsi in statu gratiæ constituantur eo

›ore, quo ipsis dispensationem applicabit, ut tunc digne ›iant Matrimonii sacramentum.

›eterum nulla exstat specialis formula in Rituali ro-.o ; sed adhibenda est formula ordinaria, n. 289, ad-do verba *in radice*.

NUMERUS III

›nodo quo sesse gerere debent conjuges, quando post initum Matrimonium, detegitur vel supervenit impedimentum.

I. — *De Impedimento antecedente Matrimonium.*

502. — *Quæritur* quomodo sesse gerere debeant conjuges, quando, post initum Matrimonium, detegitur impedimentum *antecedens* Matrimonium?

Resp. Distinguendum est. Scilicet, vel illud impedimentum est certum, vel dubium.

1. Si impedimentum sit *certum*, ille qui habet illam certitudinem, nullo modo potest petere, nec reddere debitum ›ne peccato mortali, ante revalidationem Matrimonii, quia lioquin scienter accederet ad non conjugem, ac proinde ertissime peccaret peccato fornicationis, quod nunquam icitum esse potest.

Nec obstat quod conjux ignorans impedimentum petat ›ona fide ; huic enim reddere debitum esset fornicatio formalis ex parte cognoscentis impedimentum ; debebit igitur conscius impedimenti, eo meliori modo quo poterit, citius procurare dispensationem, et interim, donec obtinuerit, debet abstinere ab omni usu conjugii sub aliquo prætextu quem prudentia suggesserit, v. g., piam quamdam peregrinationem suscipere.

2. Si vero illud impedimentum *dubium sit*, conjux dubius de validitate Matrimonii non potest ante adhibitam diligentiam et sufficientem inquisitionem veritatis petere debitum conjugale, quia se exponeret periculo fornicationis : sed tamen tenetur illud reddere conjugi non dubitanti, ut habetur cap. *Inquisitioni*, de Sententia excom. et cap. *Laudabilem*, v. de Frigidis.

Conjux enim non dubitans habet jus petendi, quo pri-

vari non potest propter dubium alterius, donec con Matrimonium esse invalidum; hæc tamen obligatio q habet dubitans reddendi debitum non dubitanti, non in ligitur in primo bimestri post Matrimonium non cons matum, quia in hoc bimestri conjuges habent jus d berandi an monasterium ingredi debeant, ut patet titulo *de Conversione conjug.* : unde cum eo tempore re dere debitum non teneantur, ideo conjux dubitans de lore Matrimonii, non potest reddere debitum ob pericul fornicationis.

At, si post adhibitam diligentiam, dubium vinci non p test, tunc examinandum est utrum dubitans de valore M trimonii contraxerit Matrimonium bona vel mala *fide*. S contraxerit mala fide, id est. si ante Matrimonium dubi bat de validitate futuri Matrimonii propter aliquod *impe* mentum, et non obstante tali dubio contraxit, certum es perseverante eodem dubio, etiam post adhibitam dilige tiam, non posse petere debitum, sed tamen reddere tene tur. Si vero bona fide, id est, nullo modo dubitans d valore futuri Matrimonii, contraxit Matrimonium, tunc s dubium adhuc perseveret, juxta multos Doctores, pote non solum reddere, sed etiam petere debitum, quia *in du bio standum est pro valore actus.*

Ex quibus colligitur, quod si uterque conjux *dubitet* de valore Matrimonii, tunc neuter potest petere aut reddere nisi post adhibitam diligentiam dubium deposuerit; *si vero* post adhibitam diligentiam dubium adhuc perseveret, tunc etiam attendendum est utrum contraxerint bona vel *mala* fide : si mala fide contraxerint, nunquam reddere nec petere possunt debitum conjugale ; si vero bona fide contraxerunt, tunc petere et reddere possunt secundum sententiam satis communem, et principium mox allatum.

II. — *De Impedimento subsequente Matrimonium.*

505. — *Quæritur* quotuplex esse possit impedimentum superveniens Matrimonio jam inito, et quomodo sese gerere debeant conjuges posito aliquo ex iis impedimentis?

Resp. Quadruplex esse potest impedimentum superve-

ns Matrimonio jam inito, scilicet, votum castitatis, affi-
as, cognatio spiritualis, adulterium.

Et 1° quidem si Matrimonio jam contracto superveniat
um *castitatis* ab *utroque* conjuge emissum, certum est
utrum posse debitum petere vel reddere. Si vero ab *uno*
itum emissum sit votum, altero nesciente, potest ille,
i votum emisit, debitum reddere, sed non potest petere:
njuge autem mortuo, vel consentiente, vel dante causam
vortii, tenebitur omnimodo servare castitatem, quia tunc
ssat obligatio reddendi debitum. Si autem conjux, de al-
rius consensu, votum emisit omnimodæ et absolutæ cas-
atis, id est, neque petendi neque reddendi debiti, alius
nsetur renuntiasse juri suo, ac proinde nulla erit in vo-
nte obligatio reddendi debitum, et consequenter non po-
rit illud petere aut reddere.

2° Si post contractum valide Matrimonium superveniat
iter conjuges impedimentum *affinitatis*, puta, quia unus
x illis carnale commercium habuit cum persona consan-
uinea alterius conjugis in primo aut secundo gradu, in
lo casu reus tenetur quidem debitum reddere conjugi in-
ocenti, sed non potest petere, nisi dispensationem ab
piscopo obtinuerit: si vero uterque conjux sit reus, v. g.,
uia ex utriusque consensu crimen commissum fuit, neuter
oterit petere aut reddere, ut colligitur ex variis textibus
uris canonici.

3° Si post contractum valide Matrimonium, superveniat
mpedimentum *cognationis spiritualis*, quia scilicet, alter
onjux communem filium baptizavit scienter et absque ulla
ecessitate, tunc baptizans privatur jure petendi debitum,
ed reddere tenetur, ut alibi diximus.

4° Denique, si superveniat *adulterium*, tunc constat
onjugem innocentem non teneri debitum reddere adul-
tero, quia per adulterium soluta est ab obligatione red-
dendi.

Attamen conjux adulter, quandiu latet adulterium, non
tenetur seipsum prodere; dum innocens post cognitionem
adulterii debitum denegat, si velit; nam conjugi innocenti
licitum est exigere et reddere.

Ex dictis in hocce Tractatu, colligi potest :

1° Vix ullum esse tractatum, qui sæpius in memori revocari debeat a Parocho aut Confessario, qui vult erro haud parvi momenti, in quantum sinit fragilitas huma devitare ;

2° Quam pie ac misericorditer a Christo Domino Eccle sponso, sacramentum Matrimonii fuerit institutum ;

Quam sapienter et amanter Ecclesia illud ordinaverit dispenset, ut in omnibus, quantum fieri potest sanct ipsius cum Christo conjunctionis perfectam imaginem r ferat ;

Quam pura et alta mente fœdus illud a Christian conjugibus sit ineundum, et quam casta fidelitate tene dum ;

3° Tandem quam attente et fortiter contra homin corruptelas et passiones ignominiæ, publica Pastorum Confessariorum vigilantia et prudentia illud tutari debe ne tanta res in pristinam fœditatem apud ipsos Christian misere recidat.

Quam tamen feliciores sunt omnes, quibus a Patre datu est *capere verbum quod pauci capiunt*, et inchoare can cum virginum in hac vita, ut illud in æternum cant possint !

FINIS TRACTATUS DE MATRIMONIO.

INDEX TOMI IV

TRACTATUS

DE PŒNITENTIÆ SACRAMENTO

TRACTATUS

DE INDULGENTIIS ET SUFFRAGIIS

TRACTATUS

DE PURGATORIO

TRACTATUS

DE EXTREMÆ UNCTIONIS SACRAMENTO

TRACTATUS

DE ORDINIS SACRAMENTO

TRACTATUS

DE MATRIMONII SACRAMENTO


3 2044 073 544 314



